Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

HORACE

TITLE:

Q. HORATII FLACCI OPERA

PLACE:

VINARIAE

DATE:

1821

Master Negative #

91-80071-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

 Works 1821

Horatius Flaccus, Quintus.

...Opera ad fidem sex codicum mspt... collata cum optimis editionibus, praecipue illa Caroli Fea, acuta lectionum varietate perpetuaque adnotatione, et scholarum in usum edita a Joachimo Henrico Jaeck ... Accedunt specimina scripturarum. Vinariae, in novo bibliopolo, vulgo Landes-Industrie-Comptoir, 1821.

xx, 351 p. $16\frac{1}{2}$ cm. (Added t.p. Bibliotheca Romana classica ... tomus I.)

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 MM REDUCTION RATIO: 11x 2A
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/12/91 INITIALS BH
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Bibliotheca

Romana Classica

Scriptorum Prosaicorum et Poetarum Latinorum, ad fidem Codicum MSPT. nondum adhibitorum Bibliothecae Regiae Bambergensis, nec non Schoenborniano-Gaibacensis aeque ac Hellerianae, collata cum optimis editionibus, aucta lectionum varietate perpetuaque adnotatione, et scholarum in usum edita cum speciminibus scripturarum

a

Joachimo Henrico Jaeck,

Bibliothecae Regiae Bambergensis Praefecto.

Tomus I.

Q. Horatii opera.

Vinariae,

in novo Bibliopolio, vulgo Landes-Industrie-Comptoir

1821.

Q. Horatii Flacci

Opera

ad fidem sex Codicum MSPT. nondum adhibitorum Bibliothecae Regiae Bambergensis, nec non Schoenborniano-Gaibacensis aeque ac Hellerianae, collata cum optimis editionibus, praecipue illa Caroli Fea, aucta lectionum varietate perpetuaque adnotatione, et scholarum in usum edita

a

Joachimo Henrico Jaeck,

Bibliothecae Regiae Bambergensis Praefecto.

Accedunt Specimina Scripturarum.

Vinariae,

in novo Bibliopolio, vulgo Landes-Industrie-Comptoir.

1821.

Prologus.

Henricus II. Imperator, cognomine Sanctus, Episcopatu Bambergensi anno 1007 post Christum natum fundato, non nullos presbyterii ejusdem viros pluribus scientiarum generibus instituendos curavit, ut adolescentiam litteris imbuerent; unde *Magistrorum Scholasticorumque* nomen ducebant. Quibus ipse tum varios donavit libros, ex celeberrimis scholis Italiae et Germaniae partim in itineribus suis acquisitos partim apportatos, tum varios addidit reditus, quorum ope Fratres s. Georgii Bambergae artes liberales scientiasque et studiosae juventuti tradere, et extra limites paternae regionis propagare potuerant. Nec defuerunt plures Pontifices, Patriarchae et Archiepiscopi, qui de Episcopatus Bambergensis gloria non minus, quam de scientiarum augmento solliciti, miserint libros et vetustate et gravitate insignes, praesertim ex scholis Italiae. Quo factum est, ut schola Bambergensis eo majorem nacta sit gloriam, quo majori doctrinae laude praeterea excelluerint

discipuli, qui ex remotissimis regionibus, ut Hanno, qui postea Coloniensis factus est Antistes, ad eam optimarum artium studiis vacaturi perrexerant. Quanquam dissoluto vitae communis, quam Fratres s. Georgii degebant, vinculo, ineunte saeculo XIII, Scholasticorum plurimi officiis suis ita defecerant, ut scholae et splendor et nomen tandem extingueretur, non nulli tamen Episcopi, ut *Lupoldum de Bebenburg* nominem, ingenii gloria non minus, quam scientiarum amore clarissimi, increscentibus ignorantiae tenebris, quibus et Capituli Ecclesiae Cathedralis socii, et plurimi Episcopatus incolae involvi videbantur, retardandis omni virium conatu studuerunt. Quod exemplum praeclarius fuit, quam quod non imitarentur plures Abbates, Priores, et Scriptores monasterii ad montem s. Michaelis*). Accedit schola Abbatiae Banthensis, studiis juvenum nobili genere destinata, cujus fama per plura viguit saecula; sed

*) e. g. Abb. Wolframus a. 1112 — 1123, Prior Frutolfus, Prior Thiemo et Frater Heroldus, ejus coaevi. — Abb. Hermannus a. 1123 — 46, Prior Allenhardus, et eorum coaevi Scriptores Adelhardus, Gundoldus, Helmericus, Volmarus, Nithardus, Wecilius s., Arnoldus, Dietpertus, Gotescalcus, Hermannus, Marquardus senior, Udalricus, Burchardulus, Guntherus, Pilgrinus, Marquardus junior, Hermannus jun., Mathfridus, Berengarius et Wecilius j. — Abb. Udalricus III. a. 1475 — 83, maxime vero Abb. Andreas Lang a. 1483 — 1502, qui ipse et verbis et scriptis docuit, et cujus monumenta historiae ecclesiasticae, inedita adhuc, non possumus non admirari. (Conf. Jaeck's Beitr. z. Kunst- u. Literaturgesch. Heft. 1.)

et eam multo antea, quam Ecclesia novam et, ut dicunt, reformatam induit formam, interiisse dolemus, nec prius, quam sub Abbate Alexandro a Rotenhan, medio saeculi XVI, revixisse constat *).

Rebus sic compositis fieri potuit, ut tot tantique Codices plurimarum scientiarum a saeculo IX. ad aetatem typographicam usque, non sine magnificis picturis, scripti, in thesauris Ecclesiae Bambergensis repositi, sine ullo fructu ad nostra usque tempora asservarentur, licet eruditissimus *Erasmus de Neustetter*, cognomine *Stürmer*, et ejus amicus Decanus *Hector à Kotzau* in fine saeculi XVI et initio XVII omnem sibi darent operam, ut Codices illi, eorum sumtibus de novo ligati, omnium usui forent.

*) Encyclopädie aller Wissenschaften und Künste, von Ersch und Gruber, Art. Bamberg, Banz und Michelsberg, vom B. Jaeck. 2) Plac. Sprenger's dipl. Geschichte der Abtei Banz. Th. I. Nürnb. 1803. 8. 3) Dess. Buchdrucker - Geschichte von Bamberg. Nürnb. 1800. 4. 4) Schatt's Lebens-Abriss des Abtes Gallus Dennerlein, nebst 10 Beilagen aus der Chronik von Banz 1071 — 1803. Bamb. 1821. 8. 5) Lambertus Schaffnaburgensis ad a. 1075. 6) Launoii, Jo., opera omnia. Colon. 1731. fol. P. I. V. IV. p. 40. 7) Jaeck's Lehrbuch der Geschichte Bambergs vom J. 1007 bis auf unsere Zeiten. II. Augsb. Erlang. b. Palm u. Enke. 1820. 8. 8) Jaeck's Pantheon der Literaten und Künstler Bambergs, in 9 Bänden. Erlang. 1812 — 21. 4. u. 8. 9) Jaeck's Geschichte Bamberg's von der Entstehung des Bisthums etc. 3 Bände. Bamb. 1808/9. 8.

Quanquam eximius erat ordo, in quem singulos quam accuratissime descriptos Joannes Graf ad finem saeculi XVIII Bibliothecae praefectus et ad Ecclesiam Cathedralem Vicarius, redegit, nihilo tamen minus tantum aberat, ut vel unus Nobilis ad inquirendos eos incitaretur, ut potius ne obscuro quidem genere natis, eos inquirere, permissum foret *).

Sed mutato imperio mutatae etiam res erant. Jussu Maximiliani Josephi, Regis nostri celeberrimi, omnes libri, qui olim ecclesiae institutorum erant, anno 1803/4 in unum congerebantur locum, omnium eruditorum usui inservientes. Inprimis Codices Manuscripti et incunabula typographica erant, quae in ordinem redigenda, redactaque describenda, *Alexandro Schmoetzer*, collegae meo, Praepositi Regiminis provinciae Bambergensis mandarunt. Qua de causa laborum ejus curam non habui, ne sit mihi, quod vituperem: quis enim est, qui nesciat, senectutem juniorum vituperia aegrius ferre? Quo, amicissimo meo, prima Maji a. 1815 defuncto **),

---

*) Cl. Gerard. Gley, non nisi illicite, Codicem summi pretii anglo-saxonicum, *Paraphrasis Harmoniae Evangelicae* dictum, et saeculo IX scriptum, ex bibliotheca Capituli Ecclesiae Cathedralis ante saecularisationem perscrutatus est, unde eruerat: Langue et Litterature des anciens Francs. Paris. 1814. 8. (Conf. mea recensio in Hall. Allgem. Litteraturz. 1815. I. 193. u. Isis v. Oken 1819/21. 4)

**) A. Schmoetzer, Königl. Bibliothekar und Pfarrer am allgemeinen Krankenhause zu Bamberg, geschildert von *J. H. Jaeck.* Bamb. im Comptoir der Zeitung. 1815. 4.

Bibliothecae praefecti munus uni mihi obtigit, cui, ordinanti perlustrantique totius Bibliothecae Regiae libros, et tempus et vires defuerunt, extemplo codices Mst. et incunabula perscrutandi. Ast accidit, ut a consiliis intimis Regis Daniae Dr. A. G. *Cramer*, Professor juris in universitate Kielensi, non minori philologiae et jurisprudentiae gloria, quam ingenii et memoriae laude eximius, per duorum vix mensium spatium multa, quae omnino recondita latuerant, e pluribus juris codicibus erueret; accidit, ut doctrinae fama insignis seminarii nostri sacerdotum Praefectus et theologiae dogmaticae Professor, Dr. Fr. *Brenner*, multa, quae ad historiam sacramentorum pertinent, in iis reperiret; accidit, ut celeberrimi juris et Doctores et Professores *Bucher*, *Ortloff*, *Clossius*, *Schrader et Rosshirt* *) ex codicibus nostris vetustate quam maxime conspicuis corporis juris authoritatem, sive textum authenticum, restituere, et commentari, non minori fortuna, quam ingenio, conarentur. Silentio praetermittam G. *Seebode*, gymnasii Hildesiensis Rectorem, qui magnam partem laudis, quae tomum ejus XXI. Corporis Historicorum Latinorum, Hannoverae sumptibus Fratrum

---

*) 1) Brenner's geschichtl. Darstellung der Sacramente von Christus bis auf unsere Zeiten. Bd. I, Bamb. 1818. 8. 2) Bucher fragm. Domitii Ulpiani. Erlang. 1819. 8. 3) Ortloff von d. Handschriften und Ausgaben des Salischen Gesetzes. Koburg. 1819. 8. 4) Rosshirt Beitr. zum röm. Rechte. Heft 1. Heidelb. 1820. 8. 5) Schrader, Clossius et Tafel corpus juris civ. critico-exeget. Berolini. 1821/30. 4.

Hahn, consecuta est, uni nostrorum codicum L. Annaei Flori tribuit; praetermittam eruditos alios ex Gallia, Prussia et Russia, qui, dum in itinere constituti Bambergae monumenta adibant, in pervolvendis Bibliothecae nostrae Codicibus Mst. non sine fructu et gaudio commorarentur.

Quae cum ita se habeant, qui dilaturum me amplius studium Bibliothecae nostrae codicum opprobriis non obrueret, arbitror esse neminem. Unde factum est, ut non nullo abhinc tempore codices Authorum linguae latinae Classicorum, eosque Prosaicorum perscrutarer, qui varii ab editionibus impressis, tum antiquis tum recentioribus, quam maxime discedunt. Verum cum Q. Horatii Flacci opera omnium eruditorum memoria et animis vigent, et ea sunt, quorum studia adolescentiam alunt, senectutem delectant, secundas res ornant, adversariis perfugium atque solatium praebent, ducem eum et antesignanum judicavimus, qui coeteris omnibus facem praeferat.

Primus sex codicum Q. Horatii Flacci a me adhibitorum fuit ille membraneus Bibliothecae Regiae nostrae, de saeculo X. juxta specimen Mabillonii de re dipl. Lib. V. p. 367 Tab. XII. 2. *Ex sacramentario Ratoldi Corb.* N. 587, tum quoad superscriptum: *IN NOMINE DNI*, tum quoad ultimam lineam: *Abbatis Domni* etc., uti specimen I. scripturarum editioni meae adiectarum cuivis probabit. Codex hic plus quam ducentis et decem ante annis denuo, sed, bibliothecae praefecti nescio cujus incuria, nullo servato ordine ligatus fuit, quippe cum ultima pars

satyrarum primum, ultimum pars prima, et liber de arte poetica medium locum teneat. Desideratur Odarum liber primus, secundus initium ducit a versu 12 Odae IX, et desinit cum versu 28. Od. XVIII., Od. XIX et XX desunt. Aeque libri tertii Od. I. v. 1 — 19, Od. VI. v. 15 — 48, Od. VII. 1 — 13; Libri quarti Od. I. v. 26 — 40, Od. II., III., et IV. v. 1 — 38; Libri primi Satyr. VI. v. 80 — 127; Libri secundi Sat. I. v. 24 — 75, VI. v. 82 — 117; Libri primi Epist. I. finis et II. initium, Libri secundi Ep. I. v. 38 — 51 et v. 63 — 75, Ep. III. v. 239 — 334 desunt. Plura praeterea folia discissa doleo. Solum Epodon integrum ad nostram pervenit aetatem. Quod inter sex codices nostros hic solus Q. Horatii satyras continet, memoratu adhuc dignum judico. Manus altera inter versus, et tertia vel quarta ad utrumque marginem notas adjecit, quibus incuria bibliopegi abscissis, si restituendis non impar fuissem, alterum adhuc volumen prodiisset. Omnis Codex I. constat ex centum et triginta foliis, quorum quaevis pagina 23 — 24 versibus inscripta est, et quodvis est 10 poll. 6 lin. Bavar. longitudinis et 7 poll. latitudinis.

Inter plures codices, quos strenuus artium et scientiarum fautor *Josephus Heller*, defuncti mercatoris Bambergae filius, ad restituendas Classicorum Latinorum litteras authenticas eximia cum liberalitate mihi concessit, quam maxime eminet ille, ex quo Liber de arte poetica, s. Epistola tertia Libri secundi Q. Horatii cum usitatis editionibus comparanda erat. Qui Codex, chartaceus et 10 foliorum amplitudine, non

tam vetustate, specimine II. operi huic adjecto probata, quam textus varietate excellit, ut patet ex litteris subscriptis: „In arte poetica Horatius finit feliciter per fratrem Jacobum Dam Lectorem Bernensem anno 1485 in octava apostolorum Petri et Pauli et tempore Parisionatus sui anno primo." Quaevis pagina complectitur 22 — 23 versus, ac quodvis folium est longitudinis 12 poll. 5 lin., et latitudinis 7 poll. 8 lin. Idem volumen codicis continet adhuc plures alios Autores Classicos, ex quibus praecipue Juvenalis commemorandus est.

Quibus laboribus actis contigit mihi praeterlapso autumno, ut a plurimum eximio Domino Comite *Erwino Francisco Damiano Josepho a Schoenborn*, qui Ordinum regni Bavarici curiae superiori non minori liberalitate quam sapientia a. 1819 praefuit, veniam peterem, codices Autorum Linguae Latinae Classicorum, in Bibliotheca ejus Gaibacensi asservatos, invicem comparandi. Quibus meis precibus tanta benevolentia indulsit, ut paucis post diebus omnem codicum thesaurum mihi mitteret. Quodsi benevolentiam et liberalitatem, qua celeberrima familia Comitum a Schoenborn per centum et triginta annos, ab Archiepiscopo nempe Moguntino et Episcopo Bambergensi Lothario Francisco ad nostrum Maecenatem usque, tum artes et scientias, tum officinas et agriculturam prosequitur, etiam reliqui nobili genere nati moribus suis exprimerent, qui de ordinis hujus praerogativis indignaretur, arbitror esse omnino neminem. Ex codicibus his comparavi primo illum in 8, in Bibliotheca Gaibacensi numero

2799 insignitum, qui praeter Q. Horatii Librum de arte poetica etiam Benivoli Guidontis Musicam et L. A. Senecae Cord. exordia cum conclusionibus continet. Liber artis poeticae superscriptus est septem foliis et dimidio, quorum quodvis est longitudinis 6 poll. 6 lin., latitudinis 4 poll. 6 lin., ac quaevis pagina triginta et tres versus habet. Juxta specimen III. a me datum litterae saeculi XI. esse videntur ad normam Mabillonii de re dipl. p. 369 N. 5 — 6 *Ex autographo Majoris monasterii*, eae vero glossarum saec. XIV et XV.

Alter Codex Gaibacensis in 4., N. 1804 insignitus, continet praeter Q. Horatii Odarum Libros quatuor, Librum Epodon, Carmen saeculare et duos Libros Epistolarum (excepta illa ad Pisones), etiam P. Theoduli Eclogas cum comm., Auli Persii Flacci sex satyras in duplo cum comm., P. Ovidii N. Libros duos de remedio amoris, Maximiani glossas in P. Ovidium de Ponto, et Statii Achilleidos quinque libros glossularum. Ipse codex Q. Horatii, aeque ac reliquae partes istius voluminis, variis scriptoribus originem suam debet. Pars prior, sc. Odarum ad Carmen saeculare usque, complectitur viginti quinque folia, quorum quaevis pagina in duplici columna 36 — 46 versus habet. Pars posterior, sc. Epistolarum, continet etiam viginti quinque folia, in quorum quavis pagina triginta versus cum notis, serius inter versus et ad utrumque marginem adjectis, numerantur. Juxta specimina a me sub N. IV. a. et b. data litterae Odarum videntur esse saeculi

XII. ad normam Mabillonii de re dipl. p. 371 *Chartario Casauriensi*, eae vero notarum saec. XIV et XV. In fine hujus codicis legitur: „Expliciunt Odae Oratii feliciter MCXXV." Litterae Epistolarum aeque ac illae glossarum ejusdem sunt antiquitatis. Longitudo utriusque hujus codicis est 8 poll. 3 lin., latitudo 6 poll. 2 lin.

Tertius Codex Gaibacensis in 8., sub N. 2045, complectitur praeter Q. Horatii Epist. libros duos, excepta illa ad Pisones, a. 1332 scriptos: a) dicta moralia Monachi ignoti versibus expressa, b) Sedulii carmen paschale de Christi miraculis, finitum a. 1331 sabbatho ante Laetare, c) Aur. Prudentii Clem. psychomachiam, finitam a. 1331 paulo post festum palmarum, d) P. Ovidii libros de arte amatoria. — Q. Horatii Epistolae, quarum decima quinta libri primi ad versum 26 in duas divisa est partes, habent septendecim folia, quorum quodlibet, colore rubro flavescenti scriptum, continet 47 versus, super lineas imbuto calamo tractas, cum notis ad quindecim primas Epistolas libri primi, ad marginem et non nullis inter versus, forsan initio saec. XVI. adjectis, et maxima ex parte vix legendis. Tam in medio, quam in fine versuum, occurrunt non raro commata et puncta, ex quo antiquissimi manuscripti exemplum esse patet. Quod clarius adhuc apparet ex abbreviaturis, v. g. *n.* pro *enim*, ℶ pro *esse*, ξ p. *est*, ℵ p. *et*, *h·* p. *hoc*, *h̄* p. *haec*, *scξ* p. *scilicet*, *oȝ* p. *oportet*, *n'* p. *nisi*, *sc* p. *secundae*, *sl* p. *simul*, *lξ* p. *licet*, q² p. *quia*, *ad* p. *aliquid*. q̃ p. *quae*, *ↄtendere* p. *contendere* etc. Exempla orthographiae sunt: scencet p. censet, nichil p. nihil, michi p. mihi, perhennes p. perennes, hore p. ore, inpransus, inbres, dinoscet, percuncteris, bacis, oris p. horis, hiis p. his, prophanis, locamur p. loquamur, dampnis, obpugnat, quotiens, omerus, archiloci, velud, sollempne, lacessiti, elicona, milibus, attemptas, achademi, ungui. Littera *i* superlineata est. Ultima Epistola desinit his verbis:

„Explicit liber epistolarū oratii. Finit9. anno dñi M°. ccc°. XXX.° II.", quae sequuntur majoribus litteris: „Penna fuit utilis et palma fuit puerilis." Si codicis tabulam V. conferam cum specimine Mabillonii de re dipl. p. 373. N. 6. *Ex Codice S. G. N.* 302, subnotati eum anni esse, nullus dubito. Longitudo Cod. est 8 poll. 6 lin. — latitudo 4 poll. 6 lin.

Quartus Codex Gaibacensis in 8., sub N. 2446, complectitur: a) Alani mon. Cist. Anticlaudianum, b) Juvenalis satyras; c) Q. Horatii Epistolas XVI. libri primi usque ad v. 69: *occidere noli;* Epist. III. libri secundi ad Pisones, Ep.. XVI — XX libri primi et Ep. I. II. libri secundi. Juxta specimina a me sub N. VI. a. et b. data constat, partem priorem Epistolarum esse vetustiorem, licet litterae minus elegantes sint, et collatam cum Mabillonii Tab. XIII. p. 369. N. 5 — 6 *Ex autographo*, in medium saeculi XI. incidere. Posterioris Epistolarum partis ea peculiaris est indoles, ut littera cujusvis

versus postrema per lineam, aut curvam aut rectam, eamque rubram separata, et ad perpendicularem marginis lineam usque sit protracta. Notae in margine adjunctae videntur esse saeculi XV. Longitudo hujus Codicis est 7 poll. 10 lin. — latitudo 4 poll.

De duobus ultimis codicibus mentio jam facta est annis 1785 — 90 a celeberrimo M. J. Fr. Degen, scholae illustris Neostadii ad Aischam aeque ac Onolsbaci olim, nunc gymnasii Baruthensis Professore et Rectore in litteris, quibus ad examen autumnale invitavit, non sine maximis gratiis, quibus Comitem a Schoenborn, Maecenatis nostri Patrem, nominis immortalitate dignum pro concessa sibi, codices non nulloscomparandi, facultate prosecutus est. Dolendum modo est, quod Cl. Degen non ex tempore omnes suas notas exegetico-criticas in lucem edidit.

Quo celerius codices hi cum vulgata lectione conferrentur, multum attulit varia lectio notata a philosophiae candidato *Georgio Francisco Ammon* Bambergensi, qui ab incunabulis ingenii industriaeque laude non minus, quam morum probitate inter omnes condiscipulos suos ita excelluit, ut nullum sit dubium, quin aliquando munere docentis ullam scientiam non inglorius fungi possit. Pro auxilio, in quo mihi erat, publicas hic ei gratias agens, spem patriae in eo ponendam praenuntio.

Variis Horatii lectionibus, quas e Codicibus erueram, adjunxi non solum omnes priores jam impressas et mihi cognitas, sed etiam J. Marklandi notas aliquot, descriptas a margine

exemplaris, quod olim penes eum fuit, Horatii Bentleiani, quae in The Classical Journal N. XXXV for Sept. 1818. p. 126 — 135, et a Cl. Seebode in Bibliotheca critica 1820. I. 6, 472 et II. 1, 582 edebantur; nec non Jani Broukhusii annotationes in quaedam Horatii loca ad marginem exemplaris sui editionis Heinsianae Lugd. Bat. 1653 scriptas, et in The class. Journal N. XI. for Sept 1812 p. 145, ac in Bibliotheca critica reimpressas. Si quis omnem codicum partim nondum usitatorum et optimarum editionum copiam ingenio complecti desideret, adeat auctore me longe praestantem editionem Horatii a Chr. G. Mitscherlich curatam.

Bibliotheca Regia Monacensis novem gaudet Horatii codicibus, et quidem juxta folium 481 catalogi antiquioris Monacensis sub N. CLXXXI et CCCLXXV., ac juxta fol. 1659 catalogi s. Emmerami G. LXIX in 4. membr. saec. XI., F. I. in 4. saec. XI., G. X. in 8. saec. XIII., B. VIII. in 8. saec. XII., B. XXXIII. in fol. saec. XV., G. LXXVII in 4. saec. XII., E. CV. in 4. saec. XIV. Codices hos cum iis hic asservatis conferendi, iterum iterumque petenti mihi facultatem, ea adeo non concessa fuit, ut ne responso quidem dignus judicarer. Quod judicio eorum permittam, quibus constat, codices Monacenses in regiones a Bavariae finibus quam remotissimas migrasse, ut per longissimum temporis spatium exterorum Eruditorum manibus tererentur *).

*) Clariss. Wolfius, octo graecos codices Monacenses plures per annos Berolini se habuisse, certio-

Quamvis editiones omnium longe praestantissimae sint, quibus Bibliotheca Regia Bambergensis potissimum ab artis typographiae incunabulis abundet; quamvis numerus earum et cura librariorum ac eruditorum benevolentia, qua conatui meo succurrerent, indies augeretur, nihilo tamen minus novissimam a *C. Fea* curatam, ducem sequi, satius putavi. Quem enim,

---

rem me fecit. — Cl. Schütz in praef. ad Ciceronis opera Rhet. Lips. 1804. p. IV. ait: „Itaque in libris ad Herennium, et Ciceronis Rhetoricis, quae vulgo de inventione inscribuntur, recensendis primum usus sum codicibus Mstis aliquot, Augustano Rhetoricorum ad Herennium, et Altorfino utriusque libri, quorum usum Beyschlagii et Mannerti benevolentia etc. mihi concesserat.“ — Cl. Reiske in praef. ad Libanii Soph. orat. et declam. vol. I. Altenb. 1791. 8. p. XXI. ait: „In quo ei plurimum adjumenti attulerunt codices Msti, quos sex omnino nactus est, nempe Augustanos duo, Monachienses tres, Guelferbitanum unum.“ p. XXXV. „In Cod. Bavarico N. CLXXIV, quem primum apello, habentur haec etc. „In Cod. Bav. N. CCXI., quem secundum, et in Cod. Monachiensi seu Bav. N. 213, quem tertium appello, habentur haec. „In Cod. Augustano primo et secundo leguntur haec Libanii.“ — Cl. Matthiae in praef. ad Euripidis trag. Lips. 1813. 8. p. VII. ait: „Adieram etiam per litteras Jacobsium, petens, ut quae subsidia emendandi Euripidis Bibliotheca Monacensis haberet, ea mihi vel summitteret, vel ibidem exscribenda, excerpenda, conferenda curaret. Respondit precibus meis Viri egregii mihique amicissimi humanitas. „Codicum Augustanorum trium collationem amicissimi Hermanni benevolentiae debeo“ etc.

post Bentleji felicem audaciam, censeam habiliorem emendandis plurimis locis, pristinoque restituendis nitori, eo, qui Romae natus et diu commoratus est, ac ingenii sagacitate quam maxime eminet? Quodsi autem authoritate ejus nimium mihi freto contigerit, ut non nunquam in errores inciderem, eo facilius veniam mihi dandam esse spero, quo promtiorem me habes, ad meliori judicum sententiae obtemperandum. Neque minus adhibui non nulla scholia I. G. Graevii, duos priores Odarum libros illustrantia, a Cl. Fr. H. Bothe cum suis annotationibus ad omnia Horatii opera primum publicata*).

Notas breves, easque criticas et exegeticas authoris verbis adjeci, non nisi in gratiam tironum, et eorum, qui in legendis ejusmodi libris explanatione indigent.

---

*) Q. Horatii Fl. opera ad MSS. Codices Vaticanos, Chisianos, Angelicos, Barberinos, Gregorianos, Vallicellanos, aliosque, plurimis in locis emendavit, notisque illustravit, praesertim in iis, quae Romanas antiquitates spectant, Carolus Fea, IC. Bibliothecae Chistianae et Rom. antiquitatum Praefectus. Romae 1811. 8. 2. vol. Denuo recensuit adhibitisque noviss. subsidiis curavit Fr. H. Bothe etc. Editio post Principem et Romanam tertia. Heidelb. et Spirae, 2 vol. 1820/21. 8. — Fr. H. Bothii annot. ad Horatium ejusque vitam, Suetonio tributam. Ibidem J. G. Graevii, bon. litt. Ultrajecti olim Professoris, scholia ad Horatii Odarum libros duos priores. Ex autographo Scriptoris primum edidit Fr. H. Bothe. Heidelb. 1821. 8. — His proxime accedit Q. Horatii Fl. operum editio, quam curavit G. H. Lünemann. Goetting. 1818. 8.

Ut opus hoc et recentioribus typis, et candidiori charta, minorique pretio commendetur, maximam quoque adhibui curam. Unde omnem me mihi operam dedisse patet, ut nullus sit, cui consilium meum justa ex causa reprehendendum videatur.

Scribebam Bambergae VII. Cal. April.

MDCCCXXI.

Q. HORATII FLACCI VITA A SUETONIO TRANQUILLO CONSCRIPTA.

Q. Horatius Flaccus, Venusinus, patre, ut ipse quidem tradit, libertino et exauctionum coactore, [ut vero creditum est, salsamentario [1]), quum illi quidam exprobrasset in altercatione: *quotiens ego vidi patrem tuum brachio se emungentem?*], bello Philippensi, excitus a M. Bruto imperatore, tribunus militum meruit; victisque partibus, venia impetrata, scriptum quaestorium [2]) comparavit; ac primo

1) Qui salsamenta facit, vel vendit. 2) Munus scribae quaestorii; a quaestore in decuriam lecti.

Maecenati, mox Augusto in gratiam insinuatus, non mediocrem in amborum amicitia locum tenuit. Maecenas quantopere eum dilexerit, satis testatur illo epigrammate:

Ni te visceribus meis, Horati,
Plus jam diligo, tu tuum sodalem
Ninnio [3]) *videas strigosiorem.*

sed multo magis, extremis judiciis [4]), tali ad Augustum elogio:

Horatii Flacci, ut mei, esto memor.

Augustus epistolarum quoque ei officium obtulit, ut hoc ad Maecenatem scripto significat: *Ante ipse sufficiebam scribendis epistolis amicorum* [5]); *nunc occupatissimus et infirmus, Horatium nostrum te cupio adducere. Veniet igitur ab ista parasitica mensa* [6]) *ad hanc regiam, et nos in epistolis scribendis adjuvabit.*

Ac ne recusanti quidem aut succensuit quidquam, aut amicitiam suam ingerere desiit. Exstant epistolae, e quibus argumenti gratia pauca subjeci: *Sume tibi aliquid juris apud me, tanquam si convictor mihi fueris: recte enim et non temere feceris: quoniam id usus mihi tecum esse volui, si per valetudinem tuam fieri potuisset.* Et rursus: *Tui qualem habeam memoriam, poteris ex Septimio* [7]) *quoque nostro audire; nam incidit, ut illo coram fieret a me tui mentio.*

---

3) Homo quidam ignotus valde macilentus. 4) Testamento. 5) Ad amicos. 6) Cui apud te et alios gratis adhibetur. 7) est ille, de quo Carm. II. 6, et Epist. I. 3, 9, ac 9, 1 loquitur.

Neque enim, si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερφρονοῦμεν [8]).

Praeterea saepe eum, inter alios jocos, *purissimum penem*, et *homuncionem lepidissimum* appellavit, unaque et altera liberalitate locupletavit. Scripta quidem ejus usque adeo probavit, mansuraque perpetuo opinatus est, ut non modo saeculare carmen componendum injunxerit; sed et Vindelicam victoriam Tiberii, Drusique privignorum suorum; eumque coëgerit, propter hoc, tribus Carminum libris ex longo intervallo quartum addere: post Sermones vero quosdam lectos nullam sui mentionem habitam ita sit questus: *Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis mecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris familiaris nobis esse?* Expressitque eclogam, cujus initium est:

Quum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes: in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.

Habitu corporis brevis fuit atque obesus, qualis et a semetipso in Satyris [9]) describitur, et ab Augusto hac epistola: *Pertulit ad me Dionysius* [10]) *libellum tuum, quem ego, ne accusem brevitatem, quantuluscunque est, boni consulo. Vereri autem mihi videris, ne majores libelli tui sint, quam tu ipse es. Sed si tibi statura deest,*

---

8) Vicissim superbi sumus. 9) Nempe Serm II. 3, 308; et Epist. I. 4. extr. 10) Sine dubio servus Augusti.

corpusculum non deest. Itaque licebit in sextariolo [11]) *scribas, quum circuitus voluminis tui sit ὀγκωδέστατο;* [12]), *sicut est ventriculi tui.*

Vixit plurimum in secessu ruris sui Sabini aut Tiburtini, domusque ejus ostenditur circa Tiburni [13]) luculum. Venerunt in manus meas et elegi sub ejus titulo, et epistola prosa oratione, quasi commendantis se Maecenati. Sed utraque falsa puto. Nam elegi vulgares, epistola etiam obscura; quo vitio minime tenebatur. Natus est VI. Idus Decembres, L. Cotta et L. Torquato Coss. Decessit V Kal. Decemb. [14]) C. Marcio Censorino et C. Asinio Gallo Coss. post nonum [15]) et quinquagesimum annum, herede Augusto palam [16]) nuncupato; cum urgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Humatus et conditus est extremis Esquiliis juxta Maecenatis tumulum.

---

11) Sexta congii pars, mensura antiqua aridorum et liquidorum. 12) Quum pro ut — quam crassissimus. 13) Digladiantur, Horatium unam vel plures villas, et quidem villam prope Digentiam, domum Tibure possedisse. 14) Natus a U. C. 688, mortuus a. 745. 15) Vel erravit Suetonius, vel librarius: nam Consules dicti definiunt numerum annorum LVII. 16) i. e. viva voce s. coram testibus.

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM
LIBER PRIMUS.

ODE. I.
AD CAIUM CILNIUM MAECENATEM.

Alios aliis rebus duci; se lyrici vatis nomen ultro, et gloriam ambire profitetur.

Metrum Asclepiadeum primum.

- - | - ∪ ∪ - | - ∪ ∪ - | ∪ ∪

Maecenas, atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum!
Sunt, quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat; metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus.
Illum, si proprio condidit horreo,
Quidquid de Libycis verritur areis.

ODE I. 1) Alii: *Mecaenas*, *Moecenas*, *Mecoenas*, *Mecenas*. 2) Al. *et dulce decus meum*, etc. Cod. 4. *O et praesidium dulce decus meum*, sine: *et*. 4) Collegesse Cod. 4. a. Al. *Conlegisse*, i. e. excitasse, movisse. Metae erant turriculae in fine circi et stadii positae, circa quas currus erat flectendus, ut ad carceres rediret, ait Graevius. 5) Markland interpungit sic: *palmaque, nobilis*. 6) Bentley: *evehere*. Cod. 4. Gloss. Reges et Imperatores passim Dei vocantur. 7) Bentl. *nobilium* turbae. C. 4. Gl. Confusa illa multitudo civium Romanorum. Hunc, supple: juvat. Cod. 4. nobilium — Quiritum. Graevius: *mobilium*, quorum favor est incertus. 8) Gl. Aedilitate majore, praetura et consulatu. Vanderbourg: *Certet*. 10) Africis, fertilibus areis.

Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Nunquam demoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens, otium et oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est, qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit; nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
Multos castra juvant, et lituo tubae
Permixtus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub Jove frigido
Venator, tenerae conjugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Te doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis. Me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo: si neque tibias
Euterpe cohibet; nec Polyhymnia

---

11) Al. scindere, sindere. Graev. *Sarculum* est instrumentum rusticum, quo agros tempore verno sarriunt. 12) Cod. 4. Italicis. Graev. maximis praemiis. 13) Hunc nunquam a vitae suae proposito abducas, quamvis illi regias opes offeras, cujusmodi erant Attali regis Pergami. Al. dimoveas. 14) *Myrtoum* est pars maris Aegaei inter Sunium promont. Atticum et Peleponnesum. Ajunt alii nomen traxisse a foemina quadam, quae dicta est Myrto; al. a Myrtilo, Pelopis auriga. 17) Bentl. *tuta* sui; sed inepte. Graev. *mox*, cum evasit periculum. 18) Qui non potest persuaderi, paupertatem esse ferendam. 19) Massici, i. e. optimi vini in Campania. 20) Frangere diem intermittendo laborem, vel dormiendo. 22) Ad aquam leniter ex foute sacro scaturientem. 23) Equitum lituus incurvus et tuba peditum directa. 24) *Matribus* pro nuptis. 25) Sub aere, coelo frigido. Vanderbourg: *Detestanda*. 28) Gl. Tereti filo confectas. Marsus pro Marsicus, i. e. ferox et praegrandis. Cod. 4. *Massus*. 29) Al. *Me — ederae*. Graev. Me poeseos laus et studium delectat, et immortalem reddit. Poetae laureis et ederaceis coronis cingebantur. 30) Al. *superis*, *me*. Graev. Ego capto solitudinem nemoris, in quo possim meditari et studiis incumbere, ubi solent versari Nymphae cum Satyris. 33) Al. *Polymneia*, quae est una Musarum, dicta quasi multae laudis et memoriae.

Lesboum refugit tendere barbiton.
Quod si me lyricis vatibus inseris,
Sublimis feriam sidera vertice.

ODE II.
AD CAESAREM AUGUSTUM.

Varias calamitates tum physicas, tum civiles Urbis, et Orbis Romani, post mortem Julii Caesaris describens, spem omnem restituendae salutis in C. Augusto repositam dicit.

Metrum Sapphicum.

-υ | --- | υυ- | υ-υ
-υ | --- | υυ- | υ-υ
-υ | --- | υυ- | υ-υ
-υυ | -υ

Jam satis terris nivis, atque dirae
Grandinis misit Pater, et rubenti
Dextera sacras jaculatus arces,
Terruit urbem:
Terruit gentes, grave ne rediret
Saeculum Pyrrhae, nova monstra questae;
Omne quum Proteus pecus egit altos
Visere montes;
Piscium et summa genus haesit ulmo,
Nota quae sedes fuerat palumbis;
Et superjecto pavidae natarunt
Aequore damae.
Vidimus flavum Tiberim, retortis
Litore Etrusco violenter undis,

---

34) Poeta a carminibus lyricis. Hunc versum pro spurio habet Eichstadius in scripto acad. a. 1817. (Conf. Seebode Bibliotheca crit. 1820. I, 57.) 35) Al. *inseres*. 36) Al *sublimi*.

ODE. II. 1) Cod. 4. *minis*, Gloss. nivis. 2) Al. *rubente*. 4) Fulmine ex igne rubente civibus Romanis timorem incussit. Per arces templa in capitolio posita intelliguntur. Cod. 4. *urbes*. 5) *Gentes* sc timentes. 6 Quo tempore Deucalion cum uxore sua Pyrrha oppressus fuit diluvio. 7) Proteus pascens Neptuni armenta, h. e. pisces. 9) Vertice ulmi. 10) Al. *columbis*. 13) Tiberim turbidum et arenae colore flavum. 14) Cod. 4. *Lictore Eutrusco*.

Ire dejectum monumenta Regis,
Templaque Vestae;
Iliae dum se nimium querenti
Jactat ultorem, vagus et sinistra
Labitur ripa, Jove non probante,
Uxorius amnis.
Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persae melius perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara, juventus.
Quem vocet Divûm populus ruentis
Imperi rebus? prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi
Jupiter? Tandem venias, precamur,
Nube candenti humeros amictus,
Augur Apollo.
Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolat, et Cupido:
Sive neglectum genus, et nepotes
Respicis auctor,

---

15) Regis Numae Pompilii, cujus atrium et templum Vestae erant ad radices montis Palatini, ubi nunc Ecclesia s. Mariae Liberatricis est. 16) *Templaque Vestae*, in quibus sacer ignis custodiebatur. 17) Iliae Rheae Silviae, matris Romuli, conquerenti de Caesaris nece. 18) *Vagus* etc. suum alveum excedens inundat agrum Latinum et Romanum: nam ripa sinistra est latina, quae humilior dextra, Etrusca, ait Graev. 20) Tiberis suae uxori nimium indulgens. 21) Posteri, pauci ex bellorum civilium reliquiis, audient cives in cives gladios exacuisse, quibus Persae, hostes Romani populi, justius perirent. 22) Persae, i. e. Parthi, qui crebris incursionibus Romanos vexarant. 25) Romanus populus. Cod. 4. *nocet*, Gl. *vocet*. 26) rebus, i. e. qui res restituat. 27) Caesar erat Pontifex Romanus, ideo indignabatur Vesta, eum esse caesum. 28) Vesta fuit maximum Romanorum numen tutelare. 29) Cui imponet Jupiter munus s. functionem populum Rom. caede Caesaris contaminatum purgandi? 30) Al. Juppiter. Cod. 4. Tandem venias, Gl. tandem *ut* venias. 31) Al. *candentes*. Dii, ne mortalium oculis conspiciantur, nube nitente circumfusi apparent, praecipue Apollo propitius. 32) Qui futura nosti et praedicis. 33) In monte Eryce Veneri templum exstructum fuit, cujus magnae reliquiae cum insigni porticu adhuc extant. 35) Stirpem tuam, Romanos, quos parum adhuc curasti. 36) Mars, pater Romuli, qui Romam condidit; respicis, i. e. illius misereris.

Heu! nimis longo satiate ludo;
Quem juvat clamor, galeaeque leves,
Acer et Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.
Sive mutata juvenem figura,
Ales, in terris imitaris, almae
Filius Majae, patiens vocari
Caesaris ultor;
Serus in Coelum redeas, diuque
Laetus intersis populo Quirini;
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat. Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater, atque Princeps;
Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Caesar.

---

37) Vanderbourg: *sociate dolo*. Graev. ludo sc. Martis s. bello civili. 38) Cod. 4. *lenes*. 39) Al. *Marsi*, i. e. milites Romanorum fortissimi; *Mauri* vero populus imbellis. Caes. b. Afr. 6, 3. Al. *Marri*. 41) Mutata figura tui in formam Augusti. 42) Ales Mercurius, alatos calceos s. talaria gestans. Alma est vox Punica, quae notat virginem. 43) *Maja* una Pleiadum, Atlantis filia, quae ex Jove peperit Mercurium. 47) Graev. Ne propter nostra crimina te celeriter subducas nobis. Est hoc subtile. Augustus, quia Deus, vitiis hominum offensus, nolet diutius cum illis versari. 50) Principes civitatis dicebantur, qui Romanum populum sibi maximis beneficiis devinxerunt. Sexto consulatu dictus est etiam Princeps. 51) Cod. 4. *Nec*. Graev. Ulciscere clades a Parthis illatas Romanis sub Crasso et M. Antonio.

ODE III.

AD NAVEM, QUA VEHEBATUR VIRGILIUS ATHENAS PROFICISCENS.

Virgilio Athenas proficiscenti faustam navigationem precatur. Invehitur in eum, qui artem nauticam invenit, in temeritatem audaciamque aliorum hominum, et ostendit, naturam humanam in vitium niti.

Metrum Asclepiadeum secundum.

- - | - ∪ ∪ - | ∪ ∪
- - | - ∪ ∪ - | - ∪ ∪ - | ∪ ∪

Sic te Diva potens Cypri,
 Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater,
 Obstrictis aliis, praeter Iapyga,
Navis: quae tibi creditum
 Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor;
 Ut serves animae dimidium meae.
Illi robur, et aes triplex
 Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
 Primus, nec timuit praecipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
 Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti;
Quo non arbiter Hadriae

ODE. III. Cod. 4. *Ad Navim, in qua Virgilius Athenas petiit.* 1) Venus imperans in insula. 2) Dioscuri, Castor et Pollux, navigantibus propitii fratres. 4) Al. *Obstructis.* Cod. 4. *Obtrusis.* Japix, ventus occidentalis, ex Apulia, cujus incolae Japyges vocantur, flat, et est utilis iis, qui ex Italia in Graeciam navigant. 5) Al. *Navis, q. t. c. d. V., finibus Att. reddas incolumem,* i. e. ut velut rem tuae fidei commissam restituas. 7) Salvum in Atticam fer. 8) Al. *Et serves.* 9) *Illi* saevo, violento, ferreo, duro, imperterrito *Robur* hic est roborea quasi tabula, qua pectus fuit obductum. *Aes triplex* est firmissimum. 10) Cod. 4. *Circum.* 12) Ventum praecipiti impetu ruentem. 13) Aquilones sunt adversi Africo. 14) Nec pluviosas ac tempestuosas stellas, nec immensam vim Australis venti. Hyades sunt stellae in fronte Tauri. 15) Al. *Adriae.* Quo non est major dominus maris Adriatici.

 Major, tollere, seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
 Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum et
 Infames scopulos, Acroceraunia?
Nequidquam Deus abscidit
 Prudens Oceano dissociabiles
Terras, si tamen impiae
 Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
 Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
 Ignem fraude mala gentibus intulit:
Post ignem aetheria domu
 Subductum, macies, et nova febrium
Terris incubuit cohors;
 Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum.
 Expertus vacuum Daedalus aëra
Pennis non homini datis:
 Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum est:
 Coelum ipsum petimus stultitia; neque
Per nostrum patimur scelus
 Iracunda Jovem ponere fulmina.

---

18) Bentley: *Qui rectis oculis.* Al. *fixis.* 19) Bentl. mare turbidum. 20) Al. *alta Ceraunia,* i. e. altissimos montes in Epiro a fulmine saepe ictos. 22) Al. *dissociabili, dissociabile,* h. e. q. non potest sociari cum continente. 23) Graev. rates ab impiis hominibus factae, quae non debebant navigari. 25) Perpeti, tentare, suscipere. 27) Genus, i. e. filius, nempe Prometheus. 29) Al. *aetherea domo,* i. e. coelo. Cod. 4. *etherea domo.* 30) Cod. 4. *nana,* Gl. *nova.* 33) Homines vivebant diutius et tardius moriebantur. 36) Orcum, ut Cerberum inde extraheret. Al. *Perrupitque.* 37) Bentl. *ardui,* al. *ardui est.*

ODE IV.

AD L. SEXTIUM.

Amoenitate veris descripta, et communi moriendi necessitate proposita, tanquam Epicureus ad vitam voluptuosam Sextium hortatur.

Metrum Archilochium quartum.

- ∪∪ | - ∪∪ | - ∪∪ | - ∪∪ | - ∪ | - ∪ | - ∪
∪ - | ∪ - | ∪ - | ∪ - | ∪ - | ∪

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favonî;
  Trahuntque siccas machinae carinas:
Ac neque iam stabulis gaudet pecus, aut arator igni;
  Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna;
  Junctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede; dum graves Cyclopum
  Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto;
  Aut flore, terrae quem ferunt solutae.
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
  Seu poscat agnam, sive malit haedum.
Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas,
  Regumque turres. O beate Sexti,
Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
  Jam te premet nox, fabulaeque Manes,
Et domus exilis Plutonia: quo simul mearis,
  Nec regna vini sortiere talis,
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet juventus
  Nunc omnis, et mox virgines tepebunt.

ODE. IV. Cod. 4 *Ad Festum de uno Epicureo.* Al. *Ad L. Sestium.* 1) Favonî, Zephyri, qui omnino in terris australibus gratior est. Cod. 4. *veri* pro *veris* 5) Insula Cythera in sinu Laconico Veneris cultu praecipue est celebrata. Cod. 4. *citharea — manante* Gl. *imminente.* 8 Bentl. *visit* pro *urit*; dum Vulcanus Cyclopes in officinis suis exercet. 9) 10) Caput unguentis splendescens coronare floribus ac rosis, quas veris calore resolutae terrae proferunt. 11) Fauno seu Pani sacra facere in insula Tiberina. 12) Bentl. et al. *agna et hoedo*, sc. immolari sibi. Al. *agnam — hoedos.* 14) Cod. 4. *Sesti.* 15) Al. ut Fea *incohare.* 16) Manes sunt Dii infernales, de quibus philosophi et poetae multa fati sunt. Cod. 4. *fabulaeque et Manes.* Nox est mors. 17) *Exilis*, sive ob formam tenuium umbrarum sive ob inopiam ibi dominantem parva, arcta. 18) Non amplius commissaberis, nec eris bibendi magister, cui omnes parere necesse erit post talorum jactum.

ODE V.

AD PYRRHAM.

Horatius ex Pyrrhae illecebris, tanquam e naufragio enataverat, cujus amore irretitos affirmat esse miseros.

Metrum Asclepiadeum quartum.

- - | - ∪∪ - | - ∪∪ - | ∪ ∪
- - | - ∪∪ - | - ∪∪ - | ∪ ∪
- - | - ∪∪ | - ∪
- - | - ∪∪ - | ∪ ∪

Quis multa gracilis te puer in rosa
Perfusus liquidis urget odoribus
  Grato, Pyrrha, sub antro?
    Cui flavam religas comam,
Simplex munditiis? Heu! quoties fidem
Mutatosque Deos flebit, et aspera
  Nigris aequora ventis
    Emirabitur insolens,
Qui nunc te fruitur credulus aurea;
Qui semper vacuam, semper amabilem
  Sperat, nescius aurae
    Fallacis! Miseri, quibus
Intentata nites! Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
  Suspendisse potenti
    Vestimenta maris Deo.

ODE V. Cod. 4. *Pyrrham meretricem alloquitur.* 3) Pyrrha fuisse videtur in amoeno antro, ubi pueri rosis coronati et unguentis perfusi laetitiae indulgebant. 4) In cujus gratiam caput ita exornas? 5) Munditiae valent proprie de ornatu muliebri. 6) Dii nunc propitii, nunc infensi sunt; hic Venerem et Cupidinem sibi non propitios. 9) Mores pulchri dicuntur aurei. 10) Vacuam, h. e. tibi soli addictam. 12) Aurae fallacis s. inconstantiae. 13) Cod. 4. *Intentata vices, nec;* Gl. nites, me. Quibus non spectata places. 14) Sacer templi, et quidem Neptuni paries. Cod. 4. *humida* pro uvida. Ego perspecta tua perfidia ex laqueis amoris Deorum beneficio expeditus sum.

ODE VI.

AD M. VISPANIUM AGRIPPAM.

Varius tragoediographus bella ab Agrippa gesta decantabit; Horatius vero conviviis tantum et amoribus describendis aptus et idoneus.

Metrum Asclepiadeum tertium.

- ∪ | - ∪ ∪ - | - ∪ ∪ - | ∪ ∪
- ∪ | - ∪ ∪ - | - ∪ ∪ - | ∪ ∪
- ∪ | - ∪ ∪ - | - ∪ ∪ - | ∪ ∪
- ∪ | - ∪ ∪ - | ∪ ∪

Scriberis Vario fortis, et hostium
Victor, Maeonii carminis aliti,
Quam rem cunque ferox navibus, aut equis
  Miles, te duce, gesserit.
Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii,
Nec cursus duplicis per mare Ulyssei,
  Nec saevam Pelopis domum,
Conamur, tenues grandia: dum pudor
Imbellisque lyrae Musa potens vetat
Laudes egregii Caesaris et tuas
  Culpa deterere ingeni.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit? aut pulvere Troio
Nigrum Merionen? aut ope Palladis
  Tydiden Superis parem?
Nos convivia, nos proelia virginum,
Sectis in juvenes unguibus acrium,
Cantamus; vacui, sive quid urimur,
  Non praeter solitum leves.

ODE VI. Cod. 4. *Ad Marcum Agrippam.* 1) A Vario sc. 2) Cod. 4. *alite*, i. e. omine, auspicio Homerico. Ales sumitur pro cygno, et hic pro poeta. Maeoniae urbs fuit patria Homeri. 3) Bentl. *Qua rem cunque* (parte), s. mari s. terra fortis. 6) Homerus cecinit magnam iram Achillis, Pelei filii, ob ereptam sibi ab Agamemnone Briseidem. 7) *Duplicis* pro callidi. 8) Nec saevas a Pelopis familia perpetratas caedes, quas Sophocles descripsit. 12) Cod. 4. *ingenii.* 13) Tunica adam. pro ferrea. 14) Cod. 4. *Troico*, qui semper versabatur inter acerrimos hostium acies. 15) Conspersum Merionen, nobilissimum Idomenei aurigam, pulvere tumultu bellantium in campo Trojae excitato. 16) Diomeden, Tydei filium heroum fortissimum. 17) Puellae pugnant in juvenes sectis unguibus, ut non sint metuendae. 18) Bentl. *Strictis* pro *Sectis.* 19) Sive liberi sumus ab amore, sive amamus. 20) Cod. 4. *Non potest*, Gl. non *praeter*.

ODE VII.

AD MUNATIUM PLANCUM.

Alii alias laudant civitates et regiones: Horatius vero reliquis anteponit Tibur, ubi natus est Plancus, quem ad diluendas vino curas cohortatur.

Metrum Alcmanium.

- ∪ ∪ | - ∪ ∪ | - ∪ ∪ | - ∪ ∪ | - ∪ ∪ | - ∪
- ∪ ∪ | - ∪ ∪ | - ∪ ∪ | - ∪

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
  Aut Ephesum, bimarisve Corinthi
Moenia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
  Insignes, aut Thessala Tempe.
Sunt, quibus unum opus est, intactae Palladis arces
  Carmine perpetuo celebrare, et
Undique decerptam fronti praeponere olivam.
  Plurimus, in Junonis honorem,
Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.
  Me nec tam patiens Lacedaemon
Nec tam Larissae percussit campus opimae,
  Quam domus Albuneae resonantis,
Et praeceps Anio, ac Tiburni lucus, et uda
  Mobilibus pomaria rivis.

ODE VII. Cod. 4. *Ad Numacium Plancum*, qui fuit Consul et Senator, et triumphavit de Gallis. 1) Mitylenen, Lesbi urbem. Cod. 4. *Mutilenam.* 2) Al. *Epheson*, nobilissimam Asiae urbem. Bimarisve, i. e. inter mare Aegeum et Ionium. 3) Thebae, Boeotiae urbs. Delphi, Phocidis civitas, Apollinis oraculo celebris. 4) Amoenissimae Thessaliae convalles, inter Ossam et Olympum montes. 5) Cod. 4. *est opus — urbem* pro *arces.* Sunt, qui nihil aliud egerunt. 6) Al. *celebrare*, sine: *et.* Carmen versatur in uno argumento, et illud totum aliquot libris persequitur. 7) Al. *Indeque decerptae frondi*, sc. in laudibus Athenarum celebrat olivam, quam omnibus arboribus praefert. 8) Plurimus pro multi. 9) Equis sc. alendis. Cod. 4. et Bentl. *dicet*, ut respondeat verbo *laudabunt.* 11) Percussit sc. admiratione. 12) Albunea Sibylla Tiburtina, cujus templi, paulo ante hanc oden scriptum a L. Coelio exstructi, adhuc extant insignes reliquiae forma rotunda. 13) Anio fluvius in Tiberim defluens. Al. *ac Tiburti.* Tiburs cum fratribus, Catillo et Cora, Tiburis conditor fuisse dicitur.

Albus ut obscuro deterget nubila coelo
  Saepe Notus; neque parturit imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
  Tristitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero: seu te fulgentia signis
  Castra tenent, seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina, patremque
  Quum fugeret, tamen uda Lyaeo
Tempora populea fertur vinxisse corona,
  Sic tristes affatus amicos:
Quo nos cunque feret melior Fortuna parente,
  Ibimus, o socii comitesque.
Nil desperandum Teucro duce, et auspice Teucri;
  Certus enim promisit Apollo,
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
  O fortes, pejoraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas:
  Cras ingens iterabimus aequor.

---

15) Cod. 4. incipit hic aliam oden cum titulo: *Ad Album.* Caeterum: *detergit*, i. e. removet. 16) Cod. 4. *Nothus*, *nec.* 17) Bentl. *Perpetuo.* 20) Markland: *Castra manent.* 21) Umbra s. umbrosum nemus. 22) Cod. 4. *Cum f.* — Tamen madida vino Lyaeo. 23) Populus Herculi sacra. 27) Al. *Auspice Teucro.* Bentl. *Phoebo.* Graev. summo hujus societatis rectore, cujus auspiciis hoc iter suscipitur, et haec expeditio regitur. Penes summos enim magistratus erant auspicia. 28) Certus s. infallibilis. 29) Teucer cum ex bello Trojano sine fratre suo Ajace redux a patre Telamone pulsus esset ex patria, promisit duas fore Salaminas, unam in Attica, alteram in Cypro, ad voluntatem Apollinis. Hinc Salamis altera dicitur vera Salamis Manilio.

ODE VIII.

Ad LYDIAM.

Juvenem Sybarin, Lydiae amore perditum, et voluptatibus colliquefactum notat.

Metrum Archilochium quartum.

- υ υ - | υ - <u>υ</u>
- υ - - | - υ <u>υ</u> - | - υ υ - | υ - <u>υ</u>

Lydia dic, per omnes
  Te Deos oro, Sybarin cur properes amando
Perdere? cur apricum
  Oderit campum, patiens pulveris, atque solis?
Cur neque militaris
  Inter aequales equitet, Gallica nec lupatis
Temperet ora frenis?
  Cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum
Sanguine viperino
  Cautius vitat? neque jam livida gestat armis
Brachia, saepe disco,
  Saepe trans finem jaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinae
  Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Trojae
Funera; ne virilis
  Cultus in caedem, et Lycias proriperet catervas?

ODE VIII. Cod. 4. *Lydiam meretricem alloquitur.* 2) Al. *Hoc Deos — properas.* 3) Ubi aestus solis, cui campus Martius expositus, ferendus est. 4) Campum sc. Martium, exercitationes campestres. 6) Al. *equitat.* Equi gallici domari debebant ferreis aculeis, qui *lupi* dicebantur. 7) Cod. 4. *temperat.* 8) Luctaturi utebantur cera et oleo permixto pulvere. 10) Cur luctam vitat? 11) Graev. Discus erat rotunda moles saxea, aut plumbea, aut ferrea, cujus jactu juvenes inter se certabant. 14) Ante bellum Trojanum Achilles dicitur latuisse sub muliebri habitu. Alii putant circa tempus excidii Trojani. 15) Al. *Tempora* pro *funera.* 16) Lycii fuerunt socii Trojanorum. Proriperet s. protraheret.

ODE IX.
AD THALIARCHUM.

Quo magis faevit hiems, eo magis voluptati indulgendum.

Metrum Alcaicum.

υ - | υ - υ | - υυ | - υυ
υ - | υ - υ | - υυ | - υυ
υ - | υ - | υ - | υ - | υ
- υυ | - υυ | - υ | - υ

Vides, ut alta stet nive candidum
Soracte; nec jam sustineant onus
Silvae laborantes; geluque
Flumina constiterint acuto?
Dissolve frigus, ligna super foco
Large reponens; atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota:
Permitte Divis cetera: qui simul
Stravere ventos aequore fervido
Deproeliantes; nec cupressi,
Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quaerere: et
Quem sors dierum cunque dabit, lucro
Appone; nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas;
Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et Campus, et areae,
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora:
Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo;
Pignusque dereptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

ODE IX. *Ad Thaliarchum Libertum*; al. *Ad Thal. puerum speciosum*, qui est magister convivii. 2) Mons Etruriae, in agro Faliscorum, est Soractes. 3) Laborantes. sc. mole nivis pressae. 4) Constiterint, concreverint. 5) Vanderbourg: *luna* pro *ligna* Cod. 4. *focum*. 6) Vand. *Largiri potes*. 7) Vand. *Depone quadrimum* s. vetustum. 8) Diota est vasculum ansatum ad vinum Sabinum quatuor annorum transfundendum. 13) Cod. 4. quaerere: sine: *et*. 14) Al. *Fors*, sc. fortuna. 15) Al. *Adpone*. 18) Campus sc. Martius; areae s. loca publica, in quibus juvenes conveniebant. 19) Sunt amantium susurri. 21) Vanderb. *intumo*. Quae volunt videri latere, risu suo se produnt. 23) Cod. 4. *direptum*. Pignus s. argumenta amoris, armillae, annuli. 24) Parum pertinaciter retinenti.

ODE X.
HYMNUS AD MERCURIUM.

Quem laudat a facundia, a parentibus, a palaestrae et lyrae inventione, a maxima in furando calliditate, atque ab iis, quibus fungitur, muneribus.

Metrum Carm. 2.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, et decorae
More palaestrae:
Te canam, magni Jovis, et Deorum
Nuntium, curvaeque lyrae parentem;
Callidum, quidquid placuit, jocoso
Condere furto.
Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra,
Risit Apollo.
Quin et Atridas, duce te, superbos,
Ilio dives Priamus relicto,
Thessalosque ignes, et iniqua Trojae
Castra fefellit.
Tu pias laetis animas reponis
Sedibus; virgaque levem coërces
Aurea turbam, superis Deorum
Gratus et imis.

ODE X. 1) Filius nempe Jovis ex Maja, Pleiadum una, Atlantis filia. Graev. Mercurius est eloquentiae praeses ac Deus, rerum artiumque utilissimarum inventor. 3) Sermone formasti prudenter. 4) More s. institutis et legibus palaestrae. 6) Qui sermo nos voluntatem Dei docet. 7) Cod. 4. *Quicquid callidum*. Graev. qui novit artem furandi, et festive, quidquid vult, subducendi. 8) C. 4. *Tendere*. 9) C. 4. *reddisses*. 14) Priamus per castra Graecorum ad Achillem venit, a quo corpus Hectoris filii sui auro redemit. 15) Thessalosque ignes, pro, vigilias copiarum Achillis, Thessali, Myrmidonum ducis. 16) Per media Graecorum castra venit ad tentoria Apollinis, ut a nemine cognosceretur. 17) C. 4. *animas laetis*. 18) Virga est caduceus, quo Mercurius animas exiles deducit ad inferos.

ODE XI.

AD LEUCONOEN.

Hortatur Leuconoen, omissa futurorum cura, voluptati indulgere, argumento a vitae brevitate et celeritate ducto.

Metrum Asclepiadeum majus.

- - | - ∪ ∪ - | - ∪ ∪ - | - ∪ ∪ - | ∪ ∪

Tu ne quaesieris, scire nefas, quam mihi, quem tibi
Finem Dî dederint, Leuconoë; nec Babylonios
Tentaris numeros. Ut melius, quidquid erit, pati!
Seu plures hiemes, seu tribuet Jupiter ultimam,
Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum. Sapias, vina liques, et spatio brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
Aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

ODE XII.

AD CAESAREM AUGUSTUM.

Collaudatis Diis, heroibus virisque aliquot claris, tandem ad divinas Augusti laudes descendit, eumque illis praefert.

Metrum Carm. 2.

Quem virum, aut heroa, lyra, vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?
Quem Deum? cujus recinit jocosa
Nomen imago,
Aut in umbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo, gelidove in Haemo?

ODE XI. Cod. 4. *Ad Leuconiden de mathematica.* 2) C. 4. *Dii*, ut semper. Finem s. mortem. 3) Nec consulas Chaldaeos qua astrologos. *Ut* pro cum. 4) Al. *tribuit.* 5) Al. *Qui.* Graev. Quae nunc frangit mare Tuscum in littoribus lapidosis, ad quae propter hiemales ventos cum impetu alliditur. 8) Aetas s. tempus, quod nobis invidet longae voluptatis usuram.

ODE XII. 2) Al. *sumes.* 3) Al. *recinet*, *resonet*, *retinet.* Cod. 4. *recinat.* 4) Echo est vocis imago. 5) Helicon mons Boeotiae, Pindus m. Thessaliae, Haemus m. Thraciae ob silvas gelidus.

Unde vocalem temere insecutae
Orphea silvae,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
Quid prius dicam solitis Parentem
Laudibus, qui res hominum, ac Deorum,
Qui mare, ac terras, variisque mundum
Temperat horis?
Unde nil majus generatur ipso,
Nec viget quidquam simile, aut secundum:
Proximos illi tamen occupabit
Pallas honores.
Proeliis audax, neque te silebo,
Liber; et saevis inimica Virgo
Belluis; nec te, metuende certa,
Phoebe, sagitta.
Dicam et Alciden, puerosque Ledae;
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem: quorum simul alba nautis
Stella refulget,
Defluit saxis agitatus humor;
Concidunt venti, fugiuntque nubes:
Et minax, Di sic voluere, ponto
Unda recumbit.
Romulum post hos prius, an quietum

---

7) Temere s. sine ordine. 8) Arbores confuse ruebant ad Orpheum sonorum et facundum. 10) C. 4. *Fluminis.* 11) Graev. Qui tam blandus erat, ut eum canentem quercus sequerentur, perinde ac si essent auritae. 12) Si arbores durissimae carminibus delinitae sunt, apparet, quantum poesis valeat. 13) Al. *Quid prius dicam? — Quid prius dicam solitis Parentis laudibus?* Al. *parentum laudibus; qui.* Cod. 4. *Quem dicam prius solitis parentum*, Gl. Quem prius dicam. 15) Jupiter regit coelum ita, ut anni vicissitudines existant. Cod. 4. *mare et terram.* 19) Al. *occupavit.* 21) Al. *Praeliis audax.* *Neque.* Graev. et quia bella gessit multa, et quia ebrii solent audaces esse et proni in rixas. 22) Liber — Bacchus; Virgo — Diana. 25) Herculem, Alcaei nepotem, et filios Jovis et Ledae, Dioscuros, Castorem et Pollucem. 27) Al. *simul ac*; al. *alma.* 28) Al. *refulsit.* 29) Maris fluctus componuntur. 30) Venti vim remittunt. 31) Al. *nam sic, quod sic, quia sic.* 32) Graev. strepitus fluctuum sedatur. 33) Al. *aut quietum.*

Pompili regnum memorem; an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile letum.
Regulum, et Scauros, animaeque magnae
Prodigum Paullum, superante Poeno,
Gratus insigni referam Camena,
Fabriciumque.
Hunc, et intonsis Curium capillis,
Utilem bello tulit, et Camillum,
Saeva paupertas, et avitus apto
Cum lare fundus.
Crescit, occulto velut arbor aevo,
Fama Marcelli: micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanae Pater, atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni

---

34) Plures dubitant, an Tarquinius Superbus an Tarquinius Priscus hic subintelligatur, licet de Superbo ob virtutem ejus bellicam certum sit; Mitscherlich Priscum subintelligit. 35) Al. *Junii fasces.* Cato Uticensis, ultimus libertatis defensor, sibi ipse necem paravit, ne ei Caesaris tyranni vultus aspiciendus esset. Bentley substituit: *anne Curti nobile letum*, sed inepte. 37) Marcus Attilius Regulus Consul illustriss. Gens Scaurorum plures protulit viros de republica optime meritos. 38) Bentley: *Prodigum, Poeno superante, Paullum.* Aemilius Paullus Consul, cum insignem cladem Romanorum ad Cannas temeritate Varronis, alterius Consulis, expertus esset, sponte se trucidandum hostibus obtulit, quare *prodigus* magnae animae dicitur. 39) Cod. 4. *Stratus*, al. *Graecos* pro *Gratus.* Gl. Sublimi carmine pro insigni camoena. 40) C. Fabricius Luscinus Consul, cum contra Samnites et Pyrrhum bellum gereret, eorum munera sprevit, quare honestissimus dicebatur. 41) Al. *Intonsus, intonsos, incomptis.* Aetate M. Curii Dentati Romani coeperunt tonderi atque comi, ipse vero retinuit crines intonsos. Fuit vir summae frugalitatis et fortitudinis. 42) L. Furium Camillum, liberatorem Urbis a Gallis captae. 43) Bentl. *Sancta paup. — arto.* Cod. 4. *et cantus*, Gl. avitus apto, i. e. a parentibus relictus, qui conveniebat fundo. 46) Claud. M. Marcellus, quinquies Consul, vicit Hannibalem ad Nolam. Fuit filius Octaviae, sororis Augusti, et conjux Juliae, filiae Aug.; ejus mortem a. 731 insecutam universus populus communi luctu persequebatur. 47) Post caedem Julii Caesaris fulsit cometa septem dies, quare in nummis Julia stella conspicitur.

Caesaris fatis data; tu secundo
Caesare regnes.
Ille seu Parthos Latio imminentes
Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos Orientis orae
Seras, et Indos;
Te minor latum regat aequus orbem:
Tu gravi curru quaties Olympum;
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

ODE XIII.

AD LYDIAM.

Moleste fert, Telephum rivalem sibi a Lydia anteponi.

Metrum Carm. 3.

Quum tu, Lydia, Telephi
Cervicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia, vae! meum
Fervens difficili bile tumet jecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa sede manet: humor et in genas
Furtim labitur, arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus.
Uror, seu tibi candidos
Turparunt humeros immodicae mero
Rixae; sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.
Non, si me satis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Laedentem oscula, quae Venus

---

51) Al. *fato — secundo*, ut a te sit secundus. 53) Al. *Latio minaces.* 54) Al. domitos, i. e. bello subjugatos. 55) Al. *oris.* 56) Cod. 4. *Seres et Indi*, extremi Asiae populi. 57) Al. *laetum reget, regit.* 58) Al. *quatiens, quatias.* Tu tonabis in coelo. 59) 60) Al. *lucis fulmina mittas*, parum castis s. pollutis, qui non sancte habentur.

ODE XIII. Cod. 4. *Ad Lydiam meretricem de Telepho.* 2) Bentl. *lactea*, al. *candida Telephi*, qui fuit juvenis Graecus dives, a Lydia amatus, et a Phyllide petitus. 5) Al. *Tum.* 6) Bentl. *manent.* 8) Al. *Macerer*, tabescam. quam lento amore, quem non possum excutere, 9) Graev. seu amasius tuus ebrius inter rixandum tua candida brachia reddidit livida, quod erat signum amoris. 10) Cod. 4. *meron.*

Quinta párte sui nectaris imbuit.
Felices ter, et amplius,
Quos irrupta tenet copula; nec malis
Divulsus querimoniis
Suprema citius solvet amor die.

ODE XIV.

AD REMPUBLICAM.

Sub imagine navis monet eam, ne nova adeat bellorum civilium pericula.

Metrum Carm. 5.

O navis! referent in mare te novi
Fluctus? O quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo,
Antennaeque gemant! Jam sine funibus
Vix durare carinae
Possint imperiosius
Aequor: non tibi sunt integra lintea,
Non Di, quos iterum pressa voces malo.
Quamvis Pontica pinus,
Silvae filia nobilis,
Jactes et genus, et nomen inutile;
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. Tu, nisi ventis
Debes ludibrium, cave.
Nuper sollicitum quae mihi taedium,
Nunc desiderium, curaque non levis,
Interfusa nitentes
Vites aequora Cycladas.

16) Bentl. *Quanta.* 18) 19) Vanderbourg: „*magis Divulsusque prementibus.* sc. querimoniis. Bentl. *divulsos.* 20) Al. *solvit.*

ODE. XIV. Cod. 4. *Ad navim de Bruto reparante bellum civile.* 1) Al. *O Navis (referunt in mare te novi fluctus) ecquid agis?* Al. *Fluctus! ecquid agis? Fortiter occupa portum!* Al. *ecquis agis?* 6) Al. *gemunt, ac sine.* Ant. sunt perticae, quibus velum extendebatur. 7) i. e. perferre naves. 8) Al. *possunt.* 10) Dii, i. e. tutelares. Cod. 4. *vero*, Gl. Dii quasi irati. 11) C. 4. *nauticia*, Gl. Pontica navis, quippe e pinu Pontico fabricata. 14) Nil juvat in tempestate navis nobilitas et externus splendor, cui nautae diffidunt. 15) C. 4. Gl. *nihil* pro nisi. 16) Nisi vis fieri ludibrio ventis. 18) C. 4. *lenis.* Al. *nec levis* propter amicos, quos refers. 20) Cyclades insulae sunt in mari Ionio numero 43 sic appellatae, quod in cycli formam disponuntur. Nitentes sunt ob spumam maris albicantem.

ODE XV.

NEREI VATICINIUM DE EXCIDIO TROJAE.

Paridi praesertim multa mala denunciat, mollitiem ei exprobrans.

Metrum Carm. 6.

Pastor quum traheret per freta navibus
Idaeis Helenen perfidus hospitam;
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata. Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Heu, heu! quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanae,
Genti! Jam galeam Pallas, et aegida
Currusque, et rabiem parat.
Nequidquam, Veneris praesidio ferox,
Pectes caesariem; grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides:
Nequidquam thalamo graves
Hastas, et calami spicula Gnosii
Vitabis, strepitumque, et celerem sequi

ODE. XV. Cod. 4. *Ad Alexandrum Paridem.* 1) C. 4. *cum.* Pastor Paris, Priami et Hecubae filius, in monte Ida educatus est. 2) C. 4. *Helenam* — Idaeis, Trojanis — perfidus, qui violaverat jus hospitii — hospitam, quae hospitio illum exceperat. 3) Nereus jussit ventos silere et quiescere. 4) C. 4. *freta*, Gl. *fera*, crudele exitium Trojae. 5) C. 4. *facta.* Deus marinus habebat facultatem vaticinandi. 9) Al. *Eheu!* Quantopre laborabunt equestres et pedestres copiae. 10) C. 4. *Dardaniae*, i. e. Trojanae, a primo Trojae rege Dardano sic appellatae. Quantas clades et strages excitas Trojanis. 11) Aegis non de thorace, sed clypeo hic intelligenda. 12) Al. *ac rabriem, ad rabiem.* 13) Orta inter Junonem, Palladem et Venerem controversia de praestantia formae, Paris judex adhibitus causam Veneri adjudicavit. 14) Foeminam modo hanc, modo illam oblectas citharae cantu. 15) Graevius: *Inbelli.* 16) Thalamus locus, in quo conjuges morabantur, et ipsum conjugium. 17) C. 4. *noxii*, Gl. *Gnosii*, a Cretae urbe Gnoso: sagittae, e canna Cretica factae, praestantissimae habebantur. 18) C. 4. *strepitusque.* In persequendo hostem.

Ajacem: tamen, heu! serus adulteros
  Cultus pulvere collines.
Num Laërtiaden, exitium tuae
Gentis; num Pylium Nestora respicis?
Urgent impavidi te Salaminius
  Teucer, te Sthenelus sciens
Pugnae; sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger. Merionen quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox
  Tydides, melior patre:
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
  Non hoc pollicitus tuae.
Iracunda diem proferet Ilio,
Matronisque Phrygum classis Achillei;
Post certas hiemes uret Achaıus
  Ignis Pergameas domos.

---

19) Graev. Crines tuos adulteri, qui adulter es, maculabis in pulvere, h. e. cades, occideris, quamvis valde sero. 20) C. 4. *Collinis* Al. *Crines*, *Vultus*, pro *Cultus*. 21) C. 4. *Non Laert.* Al. *Non tu Lertiaden, nam non Lert., nonne Lert., non Lerciadaeque, Lartiadaeque* Ulysses fuit Laertis filius. 22) C. 4. *Gentis; non.* Al. *Genti* Rex Pyli, Peloponn. civitatis in Tryphalia. 23) Al. *Urguent*, et ita semper. 24) Al. *Teucerque*, filius Telamonis, regis Salaminis. Sthenelaus, Capanei filius, fuit auriga Diomedis. Al. *Te Teucer, te Sthenelaus.* Al. *Teucer, et.* 25) Hic versus serius a Glossatore Cod. 4. insertus est. Equis sc. Diomedis. 26) Merion Idomenei patruelis. 27) C. 4. *Nosces. Et ecce.* 28) Diomedes, Tydei filius. 31) Alte ducto spiritu et anhelitu ab imo pectore, ut solent curru fatigati, aut valde irati 32) Tuae Helenae, cui multa de te gloriose jactaveras 33) Graev. Iratus Achilles retardabit et morabitur eversionem Trojae. 35) Al. *Achaicus.* Bentl. *Post denas h.* 36) C. 4. *Ignis Hyliacas.* Troja, novem annos oppugnata, decimo est deleta.

ODE XVI.

AD AMICAM.

Palinodiam canit. Nam veniam petit a puella, quam jambis laeserat; culpamque transfert in iram, cujus vim indomitam describit.

Metrum Carm. 9.

O matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminosis cunque voles modum
  Pones iambis; sive flamma
    Sive mari libet Hadriano.
Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
  Non Liber aeque, non acuta
    Si geminant Corybantes aera,
Tristes ut irae; quas neque Noricus
Deterret ensis, nec mare naufragum,
  Nec saevus ignis, nec tremendo
    Jupiter ipse ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
  Desectam, et insani leonis
    Vim stomacho apposuisse nostro.

ODE XVI. Cod. 4. *Tyndari satisfacit.* Graev. Imitatus est Hor. hoc carmine Stesichorum, qui cum carmen scripsisset in Helenam, coecitate est punitus. 1) C. 4. *pulchrior filia.* 2) Quamcunque poenam exiges a carminibus meis, quibus famam tuam laceravi. Criminosi sunt maledici, pleni convitiorum. 3) Graev. sive flamma libet exurere, sive mari mergere illos. 4) Al. *Adriano*, pro aqua quacunque. 5) C. 4. *additis*, pro *adytis*, i. e. secretiore templi parte. Dindymene, Dea Dindymi Phrygiae montis, Cybele. 6) Al. *Mentes sac.*, praecipue Pythiae et Sibyllae. Incola Pythius est Apollo Delphicus. 7) Non Bacchus tantopere Maenades sacerdotes suas in celebrandis Orgiis furore concutit. 8) C. 4. *Sic*, pro *Si*, geminant sacerdotes Cybeles, qui tympanorum sonitu et clypeorum percussione Jovis nati vagitus occultabant, indeque sacra magna cum vesania celebrabant. 9) Noricum ferrum praestantissimum Illyriae fuit. 13) Al. *abdere.* Japeti et Clymenae filius dicitur hominem primum ex limo formasse. 14) C. 4. *undique particulam.* Al. *coactum, coactam.* 15) Al. *Resectam.* *Et* pro etiam. 16) Pectus, in quo est cor, veteres stomachum dixerunt; sanguine vero in corde ebulliente ira nascitur. Hinc stomachus pro ira, et stomachari.

Irae Thyesten exitio gravi
Stravere; et altis urbibus ultimae
Stetere causae, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem. Me quoque pectoris
Tentavit in dulci juventa
Fervor, et in celeres iambos
Misit furentem: nunc ego mitibus
Mutare quaero tristia; dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas.

ODE XVII.

AD TYNDARIDEM.

Invitat eam in Lucretilem, multa ostendens commoda, quae ex eo percipiet.

Metrum Carm. 9.

Velox amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus, et igneam
Defendit aestatem capellis
Usque meis, pluviosque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quaerunt latentes et thyma deviae
Olentis uxores mariti;
Nec viride metuunt colubras,

---

17) Thyestes concubuit cum uxore Atrei fratris sui, a cujus filiis, Menelao et Agamemnone, in exilium missus est. 18) Stravere s. perdiderunt. 19) Causae ultimae fuerunt primariae. 20) Graev. Solebant Romani urbibus, quas delebant, aratrum inducere. 25) Impulit commotum. 26) C. 4. *tristitia*. Nunc studio triste et acerbum et iracundum ingenium mitigare. 27) C. 4. *Recantatis fias*, Gl. revocatis.

ODE XVII. C. 4. *Ad eandem meretricem.* 1) Lucretilis mons est in Sabinis, villae Horatii imminens. 2) Lycaeus mons est in Arcadia Fauno, vel Pani pastorum Deo sacer. 5) Bentl. *totum*, sed inepte. 7) Caper est maritus vel vir gregis. 8) Cod. 4. *colubros*. Gl. super „*virides*“ propter venenum posuit.

Nec Martiales haeduleae lupos:
Utcunque dulci, Tyndari, fistula
Valles, et Usticae cubantis
Laevia personuere saxa.
Di me tuentur: Dis pietas mea,
Et Musa cordi est. Hic tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Hic in reducta valle Caniculae
Vitabis aestus, et fide Teïa
Dices laborantes in uno
Penelopen, vitreamque Circen.
Hic innocentis pocula Lesbii
Duces sub umbra: nec Semeleïus
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia; nec metues protervum
Suspecta Cyrum, ne male dispari
Incontinentes injiciat manus;
Et scindat haerentem coronam
Crinibus, immeritamque vestem.

---

9) C. 4. *edilia*. Al. *haedilia*, *haediliae*, *haeduliae*, *hedilia*. Lupus Marti sacer est. Haeduleae sunt parvae capellae. 11) *Usticae cubantis* declarat montem in Sabinis leniter adsurgentem. 12) Al. Levia, s. non aspera. 14) Bentl. *hic* praetulit lectioni *hinc*. 16) Ruris honores sunt divitiae agrestes. 17) In recessu intra montes sito secretiori. 18) C.4. *Thegia*. Versibus Anacreontis, cujus patria fuit civitas Teja. 19) Al. *disces lab. ob unum*, i. e. unum amantes. 20) Circe, matre Perse et patre Sole edita fuit. Alii putant eam fragilem, al. pulchram et pellucidam instar vitri esse. 21) C. 4. *innocentes* — vini dulcissimi. 22) Bacchus, Semeles filius, a matre Thyone etiam Thyoneus dictus. 23) C. 4. *Chioneus*, Gl. a loco. 24) C. 4. *protervam*. Al. *ne*. 25) Cyrus, juvenis protervus, amatus Tyndaridi et Lycoridi, amat Pholoen. 28) Al. *inmeritum*.

ODE XVIII.

AD P. QUINCTILIUM VARUM.

Vinum moderate sumtum exhilarat animum, ac haustum immoderate furorem concitat.

Metrum Carm. 11.

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem
Circa mite solum Tiburis, et moenia Catili:
Siccis omnia nam dura Deus proposuit; neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?
Quis non te potius, Bacche pater; teque, decens Venus?
At ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata: monet Sithoniis non levis Evius;
Quum fas, atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam; nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam. Saeva tene cum Berecynthio
Cornu tympana, quae subsequitur caecus Amor sui;
Et tollens vacuum plus nimio Gloria verticem,
Arcanique Fides prodiga, perlucidior vitro.

ODE. XVIII. *Quinctius* et *Quinctilianus* scribitur ex marmoribus. Ejus villae insignes reliquiae adhuc visuntur in regione, quae ab ejus nomine etiamnum appellatur (*Quintigliolo* 1) C. 4. *arbore*. Graev. Ante alias omnes arbores tu seres vites in agro Tiburte. 2) C. 4. *Catilli*. Tibur saepe designatur ab uno ejus conditorum Catillo. Mite, quod nec nimio solis aestu torretur, nec frigore acriore premitur. 3) C. 4. *proposuit Deus*. Siccis, Gl. sobriis, qui vino non madent. 5) Al. *increpat*, *putat*. Graev. Quis potus queritur de militiae et paupertatis incommodis? 6) Graev. ne quis intemperanter utatur mero, ut mens saucietur. 7) Al. *Ac ne*, *nec*. 8) Pugna a Centauris cum rege Pirithoo et Lapithis, Thessaliae populo, habita. 9) C. 4. *Euchius*. Thracibus s. Sithoniis vino gravibus infestus est Bacchus. 10) C. 4. *Cum*. 11) Bacchus dicitur Bassareus a vestis genere, qua ejus successores, Bassarides, induebantur. Homines saepe bibunt usque ad ebrietatem, i. e. invito Baccho. 13) C. 4. *Subsiduum*. Al. *Berecintio*, *Berecyntio*, i. e. Phrygio. Reprime ebrietatem, quemadmodum tuae sacerdotes ad furorem accenduntur tympano tuo audito et cornu Berec. 14) Graev. Noli cornuum et tympanorum strepitu furorem injicere. 15) C. 4. *Extollens*. Al. *Attollens*, *Ac tollens vanum*. 16) Loquacitas ipso vitro lucidior.

ODE XIX.

AD GLYCERAM.

Se ejus amore ita uri dicit, ut non bella sed amores tantum scribere possit.

Metrum Carm. 3.

Mater saeva Cupidinum,
Thebanaeque jubet me Semeles Puer,
Et lasciva Licentia
Finitis animum reddere amoribus.
Urit me Glycerae nitor
Splendentis Pario marmore purius:
Urit grata protervitas,
Et vultus nimium lubricus adspici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit; nec patitur Scythas,
Et versis animosum equis
Parthum dicere; nec quae nihil attinent.
Hic vivum mihi cespitem, hic
Verbenas, pueri, ponite, thuraque
Bimi cum patera meri:
Mactata veniet lenior hostia.

ODE XIX. *C. 4. Hic laudat pulchritudinem Glyscerae amicae s-ae.* 2) Al. *jubent*. Bacchus amoris auctor dicitur. 3) Licentia, h. e. otium, quod lasciviam i. e. petulantiam parit. 5) C. 4. *Glscerae nitor*, s. forma pulchra. 8) Vultus, qui facile invitat ad amandum. 9) Graev. Jam valde uror amore. 10) Nec patitur Scytharum et Parthorum bella carmine describere. Al. *Cypron*. 11) Parthi fugientes ex equis versis pugnant. Al. *Ac versis*, al. *Nec*. 12) Attinent sc. ad amorem. 13) Vivus cespes interdum arae locum obtinet. Al. omittunt in fine: *hic*. 14) Herbae vulgares e sacro loco. 15) Patera s. vasculo libatorio. 16) Venus placabitur, et amoris mei cruciatus lenitum veniet.

ODE XX.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Invitat C. Cil. Maecenatem ad convivium minime sumptuosum.

Metrum Carm. 2.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in Theatro
Quum tibi plausus,
Care Maecenas eques, ut paterni
Fluminis ripae, simul et jocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Caecubam, et praelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

ODE XX. Al. *Ad Maecenatem.* 1) In Sabinis nascebatur vile vinum. 2) Vasa fictilia, quorum praestantiora sunt Graeca. 3) Al. *elevi*, cum gloss. gipsavi, relevi, operui, sc. pice vel cera. — Theatro Pompeji s. lapideo, cujus reliquiae adhuc extant. 5) Bentl. *Clare*, i. e. inter equites. 6) Paterni fluminis s. Tusci Tiberis. 8) Echo ad Janiculum, collis Vaticani partem, ex adverso Theatri. 9) C. 4. *Camelo*, Gl. Caleno. Al. *Caecubum*, i. e. vinum Campaniae. Cales est urbs Latii. 11) Ego nec Falernum nec Formianum vinum possideo.

ODE XXI.

HYMNUS AD DIANAM ET APOLLINEM.

Hortatur virgines et pueros ad canendas eorum laudes.

Metrum Carm 5.

Dianam tenerae dicite virgines;
Intonsum, pueri, dicite Cynthium,
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi.
Vos laetam fluviis et nemorum coma,
Quaecunque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Silvis, aut viridis Cragi:
Vos Tempe totidem tollite laudibus;
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
Insignemque pharetra,
Fraternaque humerum lyra.
Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
Pestemque, a populo, et principe Caesare, in
Persas atque Britannos
Vestra motus aget prece.

ODE XXI. Al. *In D. et A.* 2) Apollinem natum in Cyntho, Deli monte. 3) Latonam, Caei gigantis filiam, Dianae et Apollinis matrem. 5) Bentl. *comam.* Vos virgines cantate Dianam, gaudentem nemorum frondibus, i. e. locis amoenis et reconditis. 6) Mons Algidus prope Romam in via Appia. 7) C. 4. *Erimanthis*, i. e. montis in Arcadia. 8) C. 4. *Gragi*, i. e. Lyciae montis. 9) C. 4. *extollite.* Tempe est vallis amoenissima in Thessalia. 12) Apollo lyram debebat fratri suo Mercurio. 13) Bentl. *Haec*, sc. Diana; sed hic vates specialius Apollinem deprecatur, Deum Augusti tutelarem. 14) C. 4. a *populo et a principe Caesare*, sine: *in.* 15) Augustus bellum propulsabit ad populos Romanis infestissimos et remotissimos.

ODE XXII.

AD ARISTIUM FUSCUM.

Vitae integritas ubique tuta est, idque suo exemplo probat.

Metrum Carm. 2.

Integer vitae, scelerisque purus
Non eget Mauris jaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra:
Sive per Syrtes iter aestuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, et ultra
Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem.
Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
Nec Jubae tellus generat, leonum
Arida nutrix.
Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura;
Quod latus mundi nebulae, malusque
Jupiter urget:
Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

ODE XXII. Cod. 4. *Ad Fuscum laudando innocentiam.* 2) C. 4. *Mauri jaculis, nec.* Sed potius Mauretanicis, i. e. si in Mauretania versetur. 4) C. 4. *pheretra.* 5) Per loca Syrtibus ad extremae Africae littus adjacentia. 7) Caucasus mons inter mare Caspium et Nigrum. 8) Hydaspes est Indiae fluvius. 10) Livia Lalage fuit amica Horatii. 11) Al. *expeditus* s. curis solutus. 14) C. 4. *Daunia*, deleta in Apulia Dauni regis, Diomedis soceri colonia, nobilis viris fortibus gignendis. — Aesculetis i. e. vastis aesculorum nemoribus. 15) Mauritania s. Numidia est Jubae regis patria. 17) Graev. Pone me zona frigida poli Arctici. 20) Spissus et frigidus aer urget.

ODE XXIII.

AD CHLOËN.

Non est, cur Chloë viri contactum fugiat, cum sit jam aetate matura.

Metrum Carm. 5.

Vitas hinnuleo me similis, Chloë,
Quaerenti pavidam montibus aviis
Matrem, non sine vano
Aurarum et siluae metu.
Nam seu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis, seu virides rubum
Dimovere lacertae,
Et corde et genibus tremit.
Atqui non ego te, tigris ut aspera
Gaetulusve leo, frangere persequor:
Tandem desine matrem
Tempestiva sequi viro.

ODE XXIII. Alii: *Ad Chloe, ad Liviam Chloe.* 1) C. 4. *Vitat*, quod repugnat metro. Cod. Guelpherb. *Vita inuleo.* (Conf. Bibl. crit. Seebode. 1820, 2, 159.) Graev. hinnuleo, i. e. pullo cervino. 3) Graev. Qui percellitur metu, simulac aurae vel frondium susurrum audiunt. 4) C. 4. sil̃, Gl. silvae. 5) Muretus *vitis* pro *veris*, Bentl. *vepris.* 6) Al. *Ad ventum.* C. Guelph. *rubrum.* Rubus est sentis genus. 7) Al. *Demovere.* 8) C. Gu. *tremunt.* 9) C. Gu. *Atque.* 10) Leo Africanus, i. e. valde immanis. Al. *Gaetulicus.* Ut te frangam seu lacerem.

ODE XXIV.

AD P. VIRGILIUM MARONEM.

Qui mortem Quinctilii deflebat immoderate.

Metrum Carm. 6.

Quis desiderio sit pudor, aut modus
Tam cari capitis? Praecipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam Pater
  Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quinctilium perpetuus sopor
Urget! cui Pudor, et Justitiae soror,
Incorrupta Fides, nudaque Veritas,
  Quando ullum invenient parem?
Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior, quam tibi, Virgili.
Tu frustra pius, heu! non ita creditum
  Poscis Quinctilium Deos.
Quod si Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanae redeat sanguis imagini,
  Quam virga semel horrida,
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum! Sed levius fit patientia,
  Quidquid corrigere est nefas.

ODE XXIV. C. 4. *Hic facit epitaphium Quinctilii defuncti, qui fuit filius Virgilii, laudando eum, et consolando Virgilium, qui de morte filii nimium doluit.* 1) Al. *desideriis.* 2) Graevius: *lugubris cantus Melpomene.* 3) Pater Apollo, cujus filiae dicuntur Musae ex Mnemosyne. 5) C. 4. *sopor*, Gl. *dolor*. C. Gu. *Quintil.* (sic semper). 8) Bentl. *inveniet*, C. Gu. *ullum.* 10) C. Gu. *o Virgili.* 11) Non ita tibi commissum a Diis, ut nunquam moreretur. 13) C. 4. *Quid*, sine: *si.* C. Gu. *Thraicio.* Bibl. crit. 1820. II. 2, 581: *Quin si.* 14) C. 4. *mactare*, Gl. *moderere.* C. Gu. *fidem arboribus*, s. cithara canas. 15) C. 4. *Num* (pro *Non*) v. r. s. *imagini?* Graev. Non redibit vita in animam seu Manes. 17) C. 4. *levis.* Graev. qui est inexorabilis in rescindendis fatorum decretis. 18) Nigro gregi, in Orco tenebricoso. 19) Al. *Durum est!* 20) C. 4. *nefas est*, Gl. *est nefas.* C. Gu. *Quidquid est corrigere nefas.*

ODE XXV.

AD LYDIAM.

Insultat ei, quod, jam vetula, merito ab amatoribus spernatur.

Metrum Carm. 2.

Parcius junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi;
Nec tibi somnos adimunt; amatque
  Janua limen,
Quae prius multum facilis movebat
Cardines. Audis minus, et minus jam:
Me tuo longas pereunte noctes,
  Lydia, dormis!
Invicem moechos anus arrogantes
Flebis in solo levis angiportu:
Thracio bacchante magis sub inter-
  lunia vento:
Quum tibi flagrans amor, et libido,
Quae solet matres furiare equorum,
Saeviet circa jecur ulcerosum;
  Non sine questu,
Laeta quod pubes hedera virenti
Gaudeat pulla magis atque myrto:
Aridas frondes hiemis sodali
  Dedicet Hebro.

ODE XXV. C. 4. Hic vituperat protervitatem meretricum. 1) Vanderbourg: *vinctas*, Gl. occlusas. 2) Vand. *Jactibus.* Graev. *Lactibus.* Juvenes petulantes et feroces. 3) C. 4. *tibi.* 5) Cod. 4. *faciles.* Janua, quae antea saepe recludebatur. 7) Bentl. *longam - noctem*, sc. amasio misere et perdite te amante. 9) Tu flebis mutata vice. 10) Levis in amando. 11) Borea bacchans. Bentl. et Scaliger legunt: *bacchata.* C. Gu. *Thracio.* 12) Interlunium est, ubi nova luna nondum apparet, et vetus non amplius conspicitur. 13) C. 4. *cupido* pro *libido.* C. Gu. *Quom* (sic semper). 15) Jecur libidinibus foede laceratum. 16) Cum hedera tenerae puellae comparantur. 17) Bentl. *virente.* C. Gu. *Laetaq. pubes.* 18) Pulla myrtus est, quae habet folia, cum maxime virent, nigro colore, i. e. obscuro, viridantia. 20) Al. *Ebro, Euro, Auro.*

ODE XXVI.

AD MUSAM DE AELIO LAMIA.

Non decet Musarum cultores curis, et moeroribus esse obnoxios. Poeta suum Lamiam Musae Pimpleidi commendat.

Metrum Carm. 9.

Musis amicus, tristitiam, et metus
Tradam protervis in mare Creticum
  Portare ventis: quis sub Arcto
    Rex gelidae metuatur orae;
Quid Tiridatem terreat, unice
Securus. O, quae fontibus integris
  Gaudes, apricos necte flores,
    Necte meo Lamiae coronam,
Pimplei dulcis. Nil sine te mei
Prosunt honores. Hunc fidibus novis,
  Hunc Lesbio sacrare plectro,
    Teque, tuasque decet sorores.

ODE XXVI. C. 4. *Hic laudat studium cujuscunque officii, vituperando omnes alienis intentos officiis.* 3) C. 4. *Archo.* C Gu. *quam sub.* 4) Rex Scythicus regionis borealis. 5) C. 4. *Dibidaten.* Al. *Tindariden, Mitridaten.* Sine dubio rex Armeniae, qui contra Phraatem, regem Parthorum, insurrexisse dicitur. 6) Per fontes designatur poesis lyrica. C. Gu. *Securus. quae* 7) In apricis vallibus natos. 9) C. 4. *Pimplea*, al. *Piplea*. Fons et mons Thraciae musis sacer est *Pimpla*, hinc musae vocantur Pimplejades. 10) Al. *Possunt* pro *prosunt*. Fidibus novis, s. novo cantu. 11) C. 4. *secure* plectro Lesb., s. lyrico carmine. 12) C. 4. *tuas*, sine: *que*.

ODE XXVII.

AD SODALES CONVIVAS.

Ne inter potandum rixentur, et poculis ipsis pugnent Barbarorum more.

Metrum Carm. 9.

Natis in usum laetitiae scyphis
Pugnare, Thracum est. Tollite barbarum
  Morem, verecundumque Bacchum
    Sanguineis prohibete rixis.
Vino, et lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat! impium
  Lenite clamorem, sodales,
    Et cubito remanete presso.
Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? dicat Opuntiae
  Frater Megillae, quo beatus
    Vulnere, qua pereat sagitta.
Cessat voluntas? non alia bibam
Mercede. Quae te cunque domat Venus,
  Non erubescendis adurit
    Ignibus; ingenuoque semper
Amore peccas. Quidquid habes, age,
Depone tutis auribus. Ah miser!
  Quanta laborabas Charybdi,
    Digne puer meliore flamma!
Quae saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit Deus?
  Vix illigatum te triformi
    Pegasus expediet Chimaera.

ODE XXVII. C. 4. *Hic laudat hilaritatem in convivio.* 1) Vand. *Nactis.* 2) Vino moderate sumto a rixis abstinete. 5) C. 4. *achinicis.* A vino et nocturnis conviviis, quae lucernis indigent, magnopere discrepat ferrum. C. Gu. *acinacis.* 8) C. 4. *Incubito.* C. Gu: *Et remanete cubito presso.* 10) C. 4. *Opiniae*, Gl. Opuntiae. 11) Megilla dicitur Opuntia ab ejus patria, Opunte, Locridis oppido. 13) C. 4. *voluptas.* 14) C. 4. *quaecunque te.* 17) Peccare dicuntur, qui amant. 18) C. 4. *tuis.* Graev. Committe homini non revelaturo amorem tuum. 19) C. 4. et Gu. *laboras Charybdi, in Charybdi*, Gl. omnia absorbenti. 20) C. Gu. *flama.* 21) C. 4. *quis te solvere Thessalus.* In Thessalia sunt herbae efficacissimae, praecipue in usum artis magicae. 22) C. 4. *poteritve Deus.* 24) Bellerophon ope Pegasi, a Minerva in hanc rem ei traditi, triforme illud monstrum, Chimaeram, quae cum puella comparatur, occidisse traditur.

ODE XXVIII.

NAUTA ET IMAGO ARCHYTAE TARENTINI.

Inducitur Archytas Philosophus et Geometra, nautae cuidam respondens, quod omnibus sit moriendum, petensque a nauta, ne sinat corpus suum jacere in littore insepultum.

Metrum Carm. 7.

Nauta.

Te maris, et terrae, numeroque carentis arenae
  Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope littus parva Matinum
  Munera? nec quidquam tibi prodest
Aërias tentasse domos, animoque rotundum
  Percurrisse polum, morituro?

Archytae umbra.

Occidit et Pelopis genitor, conviva Deorum,
  Tithonusque remotus in auras,
Et Jovis arcanis Minos admissus: habentque
  Tartara Panthoiden, iterum Orco
Demissum; quamvis clypeo Trojana refixo
  Tempora testatus, nihil ultra
Nervos atque cutem Morti concesserat atrae;
  Judice te, non sordidus auctor

ODE XXVIII. 1) C. 4. *harenae.* 2) C. 4. *Messorem,* Gl. mensorem, qui arenam metiebaris, cum viveres. 3) Al. *latum* pro *littus.* Calabriae occidentalis promontorium Matinum. 4) C. Gu. *quicquam prodest.* 5) C. 4. *Aereas.* 6) Al. scribunt *morituro* sine interrogatione, alii protrahunt sermonem nautae usque ad v. 20. 7) Tantalus, rex Lydiae opulentissimus, cui licuit soli superorum tangere mensas. 8) C. 4. *Tithonus et remotus.* Filius Laomedontis, ipsius aurorae maritus, a Minerva in coelum raptus est. 9) Minos, rex Cretae, qui se Jovis consortio uti callide jactaverat ad leges suas sanctiores reddendas. 10) C. 4. *Pentoyden.* Pythagoras dixit, se apud Trojam Euphorbum, Panthoi filium, a Menelao interfectum, fuisse, et postea revixisse, et animae migratione Pythagoram factum fuisse. 12) C. Gu. *nil.* 14) C. 4. *Indice — actor.* Al. *Judice me.* Auctor naturae est, qui philosophatus est de rerum natura, de Diis, de mundo, de arcanis naturae etc.

Naturae, verique. Sed omnes una manet nox,
  Et calcanda semel via leti.
Dant alios Furiae torvo spectacula Marti:
  Exitio est avidum mare nautis:
Mixta senum, ac juvenum densentur funera; nullum
  Saeva caput Proserpina fugit.
Me quoque devexi rapidus comes Orionis,
  Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
  Ossibus; et capiti inhumato
Particulam dare: sic, quodcunque minabitur Eurus
  Fluctibus Hesperiis, Venusinae
Plectantur silvae, te sospite: multaque merces,
  Unde potest, tibi defluat aequo
Ab Jove, Neptunoque sacri custode Tarenti.
  Negligis? immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere! Fors et
  Debita jura, vicesque superbae
Te maneant ipsum: precibus non linquar inultis;
  Teque piacula nulla resolvent.
Quamquam festinas, non est mora longa: licebit
  Injecto ter pulvere curras.

---

15) C. 4. et Gu. *manet una mors,* Gl. una manet mors. 17) C. 4. *morti* pro *Marti*, qui saevo cum joco caedi videt. 18) C. 4. *avidis.* C. Gu. *est mare avidum quoque nautis.* 19) C. 4. et Gu. *densantur.* 22) Notus est Adriatici maris arbiter maximus, et rapidissimus, ubi Orion devexa coeli parte conspicitur. 23) C. 4. *harenae.* Wolfius docet, nautam s. navitam latiori sensu dici, quicunque nave vehitur. 25) Eurus est ventus orientalis. C. Gu. *quicunque mirabitur.* 27) C. 4. *Plantentur.* 29) Tarentini Neptunum ut Deum tutelarem venerabantur. 30) Al. *inmeritis.* Alii signum interrogationis ponunt post *committere*, non post *negligis.* Culpam committere, me non sepeliendo. 31) C. 4. *Postmodo cenatis.* Al. *Forsan, forsit* pro *Fors, et.* C. Gu. *fors ē.* (sic). 32) Al. *superbe.* 33) C. Gu. *moneant — inultus.* Graev. meae imprecationes non erunt inultae. 34) C. 4. *piacula nostra.*

ODE XXIX.

AD ICCIUM.

Mirum est, et monstri simile, Iccium Philosophum, studio intermisso, ad militiam transiisse divitiarum cupiditate.

Metrum Carm. 9.

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis; et acrem militiam paras
  Non ante devictis Sabaeae
    Regibus; horribilique Medo
Nectis catenas. Quae tibi virginum,
Sponso necato, barbara serviet?
  Puer quis ex aula capillis
    Ad cyathum statuetur unctis,
Doctus sagittas tendere Sericas
Arcu paterno? quis neget arduis
  Pronos relabi posse rivos
    Montibus, et Tiberim reverti;
Quum tu coëmtos undique nobiles
Libros Panaeti, Socraticam et domum,
  Mutare loricis Hiberis,
    Pollicitus meliora, tendis?

ODE XXIX. Al. *Ad Hiceium.* 3) Sabaeà, pars Arabiae felicis, pro totis ejus finibus. 4) Bentl. *horribilesque Medo,* Partho sc. et Indo. 6) C. 4. *necato quae tibi serviet.* 8) Puer regius ad vinum infundendum et ministrandum. 9) C. 4. *saricas,* Gl. sericas, ab Orientis populo, qui in eadem arte excellebat. 12) C. Gu. *et Tiberim posse reverti.* 13) Al. *Dum tu — nobilis*, ut C. Gu. 14) C. 4. *Libro Pan. Socr. aut domum.* Panaetius est princeps Stoicorum philosophorum. Domus pro scola sumitur. C. Gu. *et Socrat. domum.* 15) Hiberis, i. e. ex ferro optimo, Hispano nempe. 16) Al. *temnis? — Tendis* (juxta plures) ab aliena manu adjectum est.

ODE XXX.

AD VENEREM.

Rogat Venerem, ut in aedem Glycerae, sibi dedicatam, veniat.

Metrum Carm. 2.

O Venus, regina Cnidi, Paphique,
Sperne dilectam Cypron, et vocantis
Thure te multo Glycerae decoram
    Transfer in aedem.
Fervidus tecum Puer, et solutis
Gratiae zonis, properentque Nymphae,
Et parum comis sine te Juventas,
    Mercuriusque.

ODE XXX. 1) C. 4. *Cindi*, Gl. Cnidi, urbis Doridis in Caria. Paphus urbs Cypri Veneri sacra. 2) C. 4. *Cypron, et vivito cautius.* C. Gu. *Cyprum.* 5) Puer - Cupido. 6) C. 4. *Gratiae nodis*, quae sunt filiae Bacchi et Veneris, aut Jovis et Eurynomes. 7) Juventas, sc. Hebe. 8) Mercurius propter eloquentiam, qua utuntur amantes.

ODE XXXI.

AD APOLLINEM.

Non divitias petit ab Apolline, sed tranquillam hilaremque vitam, et ut sit mens sana in corpore sano.

Metrum Carm. 9.

Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? Non opimae
Sardiniae segetes feraces;
Non aestuosae grata Calabriae
Armenta; non aurum, aut ebur Indicum;
Non rura, quae Liris quieta
Mordet aqua, taciturnus amnis.
Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna, vitem; dives ut aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata merce,
Dis carus ipsis: quippe ter, et quater
Anno revisens aequor Atlanticum
Impune. Me pascunt olivae,
Me cichorea, levesque malvae.
Frui paratis, et valido mihi,
Latoë, dones; at, precor, integra
Cum mente; nec turpem senectam
Degere, nec cithara carentem.

ODE XXXI. 1) Quid dedicatum, in templo sc., quod Augustus in palatio ei dedicavit. 2) Novum vinum, sc. non mustum. 3) Al. *opimas*. C. Gu. *Non opime*. 4) Seges est ager consitus. 5) Bentl. *Graia*, sc. *Graecum pecus*. Graev. In Calabria multa sunt pascua, unde greges tempore dierum canicularium mittebantur in Lucaniam. 6) C. 4. *nec aurum, nec*. 7) Liris (nunc Garigliano) fluvius Latium et Campaniam dividens, cujus utramque ripam agri fertilissimi ambiunt. 9) Cales, urbs Campaniae. Al. *Calenam*. 10) Al. *dives et aureis*. C. Gu. *et div. aur*. 11) C. 4. *Exiet*, Gl. exsiccet. 12) Culullus est calix fictilis. 13) C. 4. *Dîs carus ille quippe ter aut quater*, Gl. carus ipsis. C. Gu. *Diis* (sic semper). 14) C. 4. *reviscens*. C. Gu. *revisens Athlant.* sc. Hispanicum. 15) Al. *pascant*, *premant*. 16) C. 4. *lenosque*. 18) C. 4. *dones, ac precor*. Al. *et precor*, al. *Laeto edones*, al. *Letoë*. 19) In paupertate vivere. 20) Optimarum artium studiis carere.

ODE XXXII.

AD LYRAM.

Alloquitur lyram, eamque poscit, ut sibi adsit, et secum canere non desinat.

Metrum Carm. 2.

Poscimur. Si quid vacui sub umbra
Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat, et plures; age, dic Latinum,
Barbite, carmen,
Lesbio primum modulate civi;
Qui, ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat udo
Littore navim,
Liberum, et Musas, Veneremque, et illi
Semper haerentem Puerum canebat;
Et Lycum, nigris oculis, nigroque
Crine decorum.
O decus Phoebi, et dapibus supremi
Grata testudo Jovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque salve
Rite vocanti.

ODE XXXII. 1) Al. *Poscimus — sub antro*. 2) C. Gu. *quod adhuc in*. 3) C. 4. *Latorum*, Gl. *Latinum*. 4) C. 4. *Barbitum*, Gl. cithara. 5) C. 4. *cini*, sed errore scriptoris. Gl. civium v. circu. Lesbio i. e. Alcaeo. Al. *'Lesboo*. C. Gu. *modulare*. 8) C. 4. *Lictore*. C Gu. *navem*. 9) Liberum — Bacchum. 11) Lycum, Alcaeo amatum. 12) C. 4. *Fine*. 13) Epulis grata lyra. 15) Al. *levamen*. Fea hic posuit *cumque*, sed quando*cunque* facilius subintelligi potest. Bentl. *cuique*.

ODE XXXIII.

AD ALBIUM TIBULLUM.

Ne plus aequo doleat, sibi rivalem a Glycera indigne anteponi.

Metrum Carm. 6.

Albi, ne doleas plus nimio, memor
Immitis Glycerae; neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi junior
Laesa praeniteat fide.
Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor; Cyrus in asperam
Declinat Pholoën: sed prius Appulis
Jungentur capreae lupis,
Quam turpi Pholoë peccet adultero.
Sic visum Veneri; cui placet impares
Formas, atque animos sub juga ahenea
Saevo mittere cum Joco.
Ipsum me, melior quum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Hadriae
Curvantis Calabros sinus.

ODE XXXIII. 1) C. 4. *immemor.* 5) Lycoris amica, puella pulchra, a Cyro non redamata. 6) C. 4. *Cyrri,* Gl. Cyrrus. 7) Al. *Apulis.* Pholoë amica Horatii. 8) C. 4. *Capite,* Gl. capreae. 9) Se prostituat vili homini. 10) C. 4. *visum est.* Impares sunt, qui se mutuo non amant. 11) Al. *aenea*, i. e. vincula durissima 12) C. Gu. mittere joco. 13) C. 4. *Cum,* Gl. me amaret et mei cupida esset longe melior puella, quam amata a me Myrtale. 14) Hic versus a Gl. C. 4. serius insertus est. 15) C. 4. *Adriae.* Al. *Hadria.* 16) C. 4. Calabros ullus sinus, Gl. ut vides non alta. Bentl. *Pulsantis Cal. s.*

ODE XXXIV.

AD SE IPSUM.

Poenitet se, quod Epicureos sequutus, parum studiose Deos coluerit.

Metrum Carm. 9.

Parcus Deorum cultor, et infrequens,
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro; nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos. Namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum:
Quo bruta tellus, et vaga flumina,
Quo Styx, et invisi horrida Taenari
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare, et insignem attenuat Deus,
Obscura promens: Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit; hic posuisse gaudet.

ODE XXXIV. 2) Graev. Dum fatuis Epicuraeorum placitis et doctrinae deditus erro. 3) C. 4. *mero,* Gl. erro. 5) Diei pater, Jupiter. Bentl. *relectos.* 9) Tellus iners et quasi immobilis. 10) C. 4. *Styx invisi et horr.* Specus ad Taenarum, per quem ad infernum descendi posse cr debatur. 11) Mons Atlas in fine Oceani versus Occidentem. C. Gu. *Athlanteus finisque.* 13) Bentl. *insigne.* Al. *insignia.* 14) C. 4. *Hic*, Gl. hinc, huic. Al. huc. 16) C. 4. *hic.* Gl. huic. Al. *huc.* C. Gu. *hinc.*

ODE XXXV.

AD FORTUNAM ANTIATEM.

Obsecrat eam, ut Caesarem Augustum conservet in Britannos iturum.

Metrum Carm. 9.

O Diva, gratum quae regis Antium,
Praesens vel imo tollere de gradu
  Mortale corpus, vel superbos
    Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus; te dominam aequoris,
  Quicunque Bithyna lacessit
    Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythae,
Urbesque, gentesque, et Latium ferox,
  Regumque matres barbarorum, et
    Purpurei metuunt tyranni;
Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam; neu populus frequens
  Ad arma cessantes, ad arma
    Concitet, imperiumque frangat.
Te semper anteit saeva Necessitas,
Clavos trabales, et cuneos manu
  Gestans ahena; nec severus
    Uncus abest, liquidumque plumbum.
Te Spes, et albo rara Fides colit

ODE XXXV. 1) Antium, hodie Anzo Rovinato, oppidum Latii maritimum, Volscorum caput, templo Fortunae nobilissimum. C. Gu. *quae gratum.* 5) C. 4. *prece sollicita.* 6) Wolf et al. *Ruris, colonus, te dominam* etc. 7) C. 4. *Quaecunque.* Bithynia florebat mercatura, et maxime Romanis frequentabatur. Inter Rhodum et Cretam versus Carpathum sunt procellae periculosissimae. C. Gu. Bithinnia. 8) Quicunque navigat in mari Carpathio. 9) Daci in montibus degent — Scythae sedem saepe permutant. 10) C. 4. *et gentes.* Latium pro universo populo Rómano armis feroci. 13) Graev. Ne evertas florentem statum imperii. 14) Bentl. *fremens* pro frequens. 15) Hic versus deest in C. Gu. 17) C. 4. *it*, Gl. anteit. Al. *seve*, *serva.* Hic incipit descriptio picturae, quo Fortuna fuit in templo Antii depicta cum suo comitatu. 19) Al. *aenea.* 21) C. Gu. *fides rara.* Fides albo panno vestita est ob ejus puritatem.

Velata panno; nec comitem abnegat,
  Utcunque mutata potentes
    Veste, domos inimica linquis.
At vulgus infidum, et meretrix retro
Perjura cedit: diffugiunt cadis
  Cum faece siccatis amici,
    Ferre jugum pariter dolosi.
Serves iturum Caesarem in ultimos
Orbis Britannos; et juvenum recens
  Examen, Eois timendum
    Partibus, Oceanoque rubro.
Heu, heu! cicatricum, et sceleris pudet,
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
  Aetas? quid intactum nefasti
    Liquimus? unde manum juventus
Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam nova
  Incude defingas retusum in
    Massagetas, Arabasque ferrum!

---

22) Bentl. *comitem se, abnegans;* sc. nec recusat te comitari. 23) C. 4. *potentis.* 24) Bentl. *vertis* pro *linquis;* al. *Mente domos.* 25) Al. *Et vulgus.* Graev. Homines invidi, qui emolumenti tantum spe amicitiam coluerunt, deserunt afflictos, qui bona amiserunt. 26) Cadus est vas vinarium, decem congios continens. 28) Dolosi in ferenda pariter cum amicis adversa fortuna et calamitate. 29) Expeditionem istam faustam esse jubeas devictis Britannis et Orientis populis. C. Gu. *iterum.* 30) Bentl. *Oro* pro *orbis.* C. Gu. *Britannos; juvenum* sc. militum. 31) Eois, i. e. terrae Orientalis et Arabiae felicis populis. 33) Al. *Eheu.* C. Gu. *Heu.* 35) C. 4 *nefandi.* C. Gu. *quicquid int.* 36) Al. *manus.* C. Gu. Linquimus? unde manus invenit. 38) Graev. Utinam gladios bello civili hebetatos refingas, ut illo utamur adversus Massagetas. 39) C. 4. *defigas.* Al. *diffingas recusum, refusum, recoctum, retrusum.* Al. *destringas, distringas.* 40) Massagetae sunt gens Scythiae, Parthis vicina.

ODE XXXVI.

IN HONOREM PLOTII NUMIDAE.

Ob ejus ex Hispania reditum gaudio exsultat.

Metrum Carm. 3.

Et thure, et fidibus juvat
Placare, et vituli sanguine debito
Custodes Numidae Deos;
Qui nunc Hesperia sospes ab ultima,
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula,
Quam dulci Lamiae; memor
Actae non alio rege puertiae,
Mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulchra dies nota:
Neu promtae modus amphorae,
Neu morem in Salium sit requies pedum:
Neu multi Damalis meri
Bassum Threicia vincat amystide:
Neu desint epulis rosae,
Neu vivax apium, neu breve lilium.
Omnes in Damalin putres
Deponent oculos: nec Damalis novo
Divelletur adultero,
Lascivis ederis ambitiosior.

ODE XXXVI. 4) C. 4. *in ultima.* Ab ea nempe Hispaniae parte, quae in Occidentis ultima parte sita est. 7) Aelio Lamiae suo. 8) C. 4. et C. Gu. *pueritiae*, sc. rege puerorum. 10) C. 4. et Gu. *nec* Cressa s. Cretensis: Creta, i. e. albo signo notetur dies. 11) Al. *Nec.* 12) Salii fuerunt sacerdotes Martis. C. Gu. *Ne in morem — pedum requies.* 13) Damalis Numidae amica, mulier bibacissima. Bentl *Damalis meri Bassus.* 14) C. 4. *amictide.* Poculum capacissimum uno haustu exhauriendum. Thraces fuerunt acerrimi potores. 16) C. Gu. *nec breve lilium*, petroselium, quod diu viret. 17) Graevius: *Omnis.* 18) C. Gu. *Deponant.* 19) C. 4. *adultera.* 20) Al. *hederis.*

ODE XXXVII.

AD SODALES.

Illos hortatur ad indulgendum genio ob victoriam Actiacam Augusti.

Metrum Carm. 9.

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus; nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas, depromere Caecubum
Cellis avitis; dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus et imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum; quidlibet impotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus:
Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Caesar, ab Italia volantem
Remis adurgens, accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Haemoniae daret ut catenis
Fatale monstrum: quae generosius
Perire quaerens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec latentes

ODE XXXVII. 2) Salii se invitare solebant epulis lautis. 4) Al. *erit*, vel *est.* Saliorum epulae erant apparatissimae. 5) Apud Caecubos, Campaniae populos, nascitur vinum generosum. 9) Turpium eunuchorum, quod nomen generale tribuitur spadonibus et castratis. 10) Bentl. *Opprobriorum* pro morbo virorum. Al. *verbo* pro morbo. 14) Vinum nobilissimum ad Mareotidem paludem super Alexandria natum. C. Gu. *Mentem lymphaticam a mareotico.* 15) Al. *ad veros.* 20) Thessalia, ab antiquo rege Haemone, venationis tempore nivalis dicta. 21) Fatale monstrum est mulier horrendae cupiditatis. 23) Graev. Nec se contulit in oras remotas et avias classe celeri, ut ibi lateret.

Classe cita reparavit oras;
Ausa et jacentem visere regiam
Vultu sereno, fortis et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum;
Deliberata morte ferocior:
Saevis Liburnis scilicet invidens,
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

ODE XXXVIII.

AD PUERUM MINISTRUM.

Vult famulum suum nihil aliud adhibere ad externum convivii apparatum, quam myrtum.

Metrum Carm. 2.

Persicos odi, puer, apparatus;
Displicent nexae philyra coronae;
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores
Sedulus, curo; neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arcta
Vite bibentem.

---

24) Al. *repetivit, reseravit, penetravit, repedavit.* 25) Bentl. *tacentem.* 26) C. Gu. *fortis asperas.* 30) *Invidens*, i. e. nolens navibus ad triumphum Caesaris Romam advehi. 32) Cleopatra mulier non ignobilis, sed generosissima.

ODE XXXVIII. C. Gu. *Ad Puerum.* 1) Persica convivia erant apparatissima. 2) C. 4. *philera.* 3) *Omitte*, sc. noli. 6) Al. Sedulus curae.

Sunt, qui duas adhuc odas supposititias libro primo addunt, Romae in Horatio manuscripto Bibliothecae Palatinae a Cl. Casp. Pallavicino repertas.

ODE XXXIX. Ad Julium Florum.

Discolor grandem gravat uva ramum:
Instat Autumnus; glacialis anno
Mox Hiems volvente aderit, capillis
Horrida canis.
Jam licet Nymphas trepide fugaces
Insequi lento pede detinendas;
Et labris captae, simulantis iram,
Oscula figi.
Jam licet vino madidos vetusto
De die laetum recitare carmen;
Flore, si te des, hilarem licebit
Sumere noctem.
Jam vide curas aquilone sparsas!
Mens viri fortis sibi constat, utrum
Serius leti citiusve tristi
Advolat aura.

ODE XXXX.

Dulci libello nemo sodalium
Forsan meorum carior exstitit;
De te merenti quid fidelis
Officium Domino rependes?
Te Roma cautum territat ardua;
Depone vanos invidiae metus;
Urbisque, fidens dignitati,
Per plateas animosus audi.
En quo furentes Eumenidum choros
Disjecit almo fulmine Jupiter!
Huic ara stabit, fama cantu
Perpetuo celebranda crescet.

ODE XXXIX. 15) 16) citius*ne tristis* advolat *hora.*
ODE XXXX. 3) Al. *quod.* 8) Al. *aude.* 10) Al. Dejecit. 11) Fors *hic*, i. e. eo loco, quo dejectae furiae.

Classe cita reparavit oras;
Ausa et jacentem visere regiam
Vultu sereno, fortis et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum;
Deliberata morte ferocior:
Saevis Liburnis scilicet invidens,
Privata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

ODE XXXVIII.

AD PUERUM MINISTRUM.

Vult famulum suum nihil aliud adhibere ad externum convivii apparatum, quam myrtum.

Metrum Carm. 2.

Persicos odi, puer, apparatus;
Displicent nexae philyra coronae;
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores
Sedulus, curo; neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arcta
Vite bibentem.

---

24) Al. *repetivit, reseravit, penetravit, repedavit.* 25) Bentl. *tacentem.* 26) C. Gu. *fortis asperas.* 30) *Invidens*, i. e. nolens navibus ad triumphum Caesaris Romam advehi. 32) Cleopatra mulier non ignobilis, sed generosissima.

ODE XXXVIII. C. Gu. *Ad Puerum.* 1) Persica convivia erant apparatissima. 2) C. 4. *philera.* 3) *Omitte*, sc. noli. 6) Al. Sedulus curae.

Sunt, qui duas adhuc odas supposititias libro primo addunt, Romae in Horatio manuscripto Bibliothecae Palatinae a Cl. Casp. Pallavicino repertas.

ODE XXXIX. Ad Julium Florum.

Discolor grandem gravat uva ramum:
Instat Autumnus; glacialis anno
Mox Hiems volvente aderit, capillis
Horrida canis.
Jam licet Nymphas trepide fugaces
Insequi lento pede detinendas;
Et labris captae, simulantis iram,
Oscula figi.
Jam licet vino madidos vetusto
De die laetum recitare carmen;
Flore, si te des, hilarem licebit
Sumere noctem.
Jam vide curas aquilone sparsas!
Mens viri fortis sibi constat, utrum
Serius leti citiusve tristi
Advolat aura.

ODE XXXX.

Dulci libello nemo sodalium
Forsan meorum carior exstitit;
De te merenti quid fidelis
Officium Domino rependes?
Te Roma cautum territat ardua;
Depone vanos invidiae metus;
Urbisque, fidens dignitati,
Per plateas animosus audi.
En quo furentes Eumenidum choros
Disjecit almo fulmine Jupiter!
Huic ara stabit, fama cantu
Perpetuo celebranda crescet.

ODE XXXIX. 15) 16) citius*ne tristis* advolat *hora.*
ODE XXXX. 3) Al. *quod.* 8) Al. *aude.* 10) Al. Dejecit. 11) Fors *hic*, i. e. eo loco, quo dejectae furiae.

Q. HORATII FLACCI

CARMINUM

LIBER SECUNDUS.

ODE. I.

AD C. ASINIUM POLLIONEM.

Pollionem monet, ut tragoediarum scripturam tantisper intermittat, dum Respublica sit composita. Deinde commendat illius scripta.

Metrum idem quod Lib. I. Carm. 9.

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique caussas, et vitia, et modos,
  Ludumque Fortunae, gravesque
    Principum amicitias, et arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
  Tractas; et incedis per ignes
    Suppositos cineri doloso.
Paullum severae Musa tragoediae
Desit theatris: mox, ubi publicas
  Res ordinaris, grande munus

LIBER SECUNDUS. ODE I. *Al. Ad Pollionem Tragoedum,* qui fuit insignis et rebus gestis et ingenii monumentis. 1) Inde a Metelli consulatu. 2) Vitia sc. Urbis, et rationem, quam tenuerunt aut tuendi suam dignitatem, aut augendi. 3) Graev. Vicissitudines rerum, et noxias reipublicae Triumvirorum societates. 5) Bentl. *tincta.* Graev. Nondum pax Deorum impetrata est propter caedem civium et scelera, quae commissa sunt in bello civili. 8) Al. *Subpositis.* 9) Musa est Melpomene. Graev. Jam tempus non permittit scribere tragoedias; mox ubi consulatu functus fueris, scribes illas stilo Attico, quali usi sunt Sophocles et Euripides. 10) Al. *Absit.* 11) C. Gu. *et grande.*

    Cecropio repetes cothurno,
Insigne maestis praesidium reis,
Et consulenti, Pollio, curiae:
  Cui laurus aeternos honores
    Dalmatico peperit triumpho.
Jam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures: jam litui strepunt:
  Jam fulgor armorum fugaces
    Terret equos, equitumque vultus.
Audire magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos,
  Et cuncta terrarum subacta,
    Praeter atrocem animum Catonis.
Juno, et Deorum quisquis amicior
Afris, inulta cesserat impotens
  Tellure; victorum nepotes
    Rettulit inferias Jugurthae.
Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia proelia
  Testatur, auditumque Medis
    Hesperiae sonitum ruinae?
Qui gurges, aut quae flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniae
  Non decoloravere caedes?
    Quae caret ora cruore nostro?
Sed ne, relictis, Musa procax, jocis,
Ceae retractes munera naeniae,
  Mecum Dionaeo sub antro
    Quaere modos leviore plectro.

12) Attico calceo. 13) Al. *moestis.* Graev. Qui reos defendis et censes in senatu. 14) Pollio Salona urbe Dalmatiae capta triumphavit. 17) Graev. Videor jam audire classici et tubae strepitum, cum tuam historiam lego. 19) Al. *fulgur — fugaces*, i. e. pavefactos. 21) Bentl. *Videre* pro *audire.* 24) M. Cato Uticensis, vilis habitu, tristis vultu. C. Gu. *Propter.* 25) Dii dicebantur cedere regnis et urbibus, quae ab hostibus subigebantur. 26) Impotens, quae irae non poterat moderari. 28) Al. *Retulit.* Sensus est: Nunc avorum poenas a nepotibus expetierunt. Jugurtha, Numidiae rex, a Mario victus et in triumpho ductus a. 648; hinc bellum Jugurthinum. 30) Impia, sc. civilia. 31) Graev. Clades Romanorum audiverunt etiam Parthi. 33) C. 4. et Gu. *Quis gurges.* 34) Dauniae, i. e. Apuliae pro universa Italia. 37) Musa impudens, quae cantas convivia et amores. 38) Ne canas carmina lugubria, qualia olim cecinit Simonides insula Cea oriundus. Al. *vulnera naeniae*, tanquam deae istorum carminum lugubrium praesidis. 39) Dionaeo, i. e. Veneris. 40) Al. *meliore* pro *leviore.*

ODE II.

AD C. SALLUSTIUM CRISPUM.

Proculeium laudat ob liberalitatem in fratres. Contemptus pecuniae regem efficit, et beatum.

Metrum quale Lib. I. Carm. 2.

Nullus argento color est, avaris
Abdito terris, inimice lamnae
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento Proculejus aevo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.
Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, et uterque Poenus
Serviat uni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops;
Nec sitim pellit, nisi caussa morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri solio Phraaten,
Dissidens plebi, numero beatûm
Eximit Virtus; populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus; regnum et diadema tutum
Deferens uni, propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

ODE II. 1) Argentum sub terra reconditum non splendet. 2) C. Gu. *lamae*. Qui odisti nimiam pecuniae custodiam et avaritiam 3) C. Gu. *Salusti*. 5) Al. *extenso*. C. Proculeius, eques Romanus, amicus Augusti, rarissimae pietatis erga fratres suos fuit. 7) Al. *agit*. Fama vehet ejus nomen ad posteros. 9) Qui divitiis tenetur, is nunquam satisfit, etiamsi omnibus opibus fruatur. 10) *Lybiam* i. e. Africam. 11) Gades insula prope Hispaniam Romanis remotissima. Uterque Poenus est Afer et Hispanus. 12) C. 4 *illi*. 13) Hydrops ingravescit indies, si non temperaverit a potu. 14) Bentl. *pellis*. 17) Rex Parthorum ob crudelitatem a suis expulsus, ope Scytharum restitutus est. Al. *Phraatem*. 18) Al. *Diffidens – beatorum*, sed hoc ex glossa. C. Gu *plebis*. 20—21) C. 4. Vocibus uti Dedocet; regnum. 25) Oculo recto spectat cumulos pecuniae. Al. *irretorto*,

ODE III.

AD Q. DELLIUM.

Moderate ferenda utraque est fortuna, cum omnibus impendeat aequa moriendi conditio.

Metrum quod Lib. I. Carm. 9.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli;
Seu maestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni;
Quo pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis, et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo:
Huc vina, et unguenta, et nimium breves
Flores amoenae ferre jube rosae:
Dum res, et aetas, et Sororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coëmtis saltibus, et domu,
Villaque, flavus quam Tiberis lavit;
Cedes; et exstructis in altum
Divitiis potietur heres.
Divesne, prisco natus ab Inacho,

ODE. III. Dellius est historicus, cujus meminerunt Dio, Seneca et Plutarchus. 2) Bentl. *ac* pro *in*. 4) Q. Dellius videtur fuisse historicus tempore Horatii. C. Gu. *Deli*. 5) Al. *moestus*. 8) Exhilaveris optimo vino in intima cellae parte recondito. 9) Al. *Qua* i. e. parte. Al. *Quo*, in loco, ubi. 10) C. Gu. U. *consociare hospitalem*. 11) C. 4. Gu. *Ramis, quo obliquo*. Al. *qua, quid, quia*. 12) C. 4. *rure*, Gl. rivo. 13—14) Al. *brevis flores amoenos rosae*. C. Gu. *Huc vinum — iubes rosae*. Bentl. *Qui scias*. 15) Sororum Parcarum. Dum vivis, et vitae fila nondum abrumpunt Parcae. 17) Saltus hic sunt pascua late porrecta. Al. *domo*. 18) Al. *lavat*. 21) Inachus rex antiquissimus Argivorum.

Nil interest, an pauper, et infima
  De gente, sub divo moreris,
    Victima nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur: omnium
Versatur urna, serius, ocius
  Sors exitura, et nos in aeternum
    Exsilium impositura cymbae.

ODE IV.

AD XANTHIAM PHOCEUM.

Non est, cur Xanthias erubescat, quod Phyllida ancillam amet, cum multis magnis viris idem usu venerit.

Metrum quale Lib. I. Carm. 2.

Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu! Prius insolentem
Serva Briseis niveo colore
    Movit Achillem.
Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivae dominum Tecmessae:
Arsit Atrides medio in triumpho
    Virgine rapta;
Barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo victore, et ademptus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
    Pergama Grajis.
Nescias, an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes:
Regium certe genus, et Penates
    Maeret iniquos.

---

22) C. Gu. *Nihil.* 23) C. 4. *morieris.* Al. *sub Dio.* 24) Paullo post morieris. 26) C 4. *serius, an ocius.* C. Gu. *serius vel otius.* 28) C. 4. *Exitium — cumbae*, i. e. Charontis.

ODE IV. 2) Xanthias Phoceus, Graecus nobili genere ortus. 3) Briseis, captiva ab Achille amata fuit. Verum ejus nomen fuit Hippodamia. 5—6) Tecmessa, Teleutantis filia, pulchritudine formae cepit Ajacem Telamonium. C. Gu. *Tegmessae.* 7—8) Atrides, Atrei nepos, Agamemnon, in ipso Trojae excidio capta Cassandra. 9) Barbarae, i. e. Phrygiae seu Trojanae. 10) Thessalo, i. e. Achille, et occisus est Hector. 12) Grajis i. e. Graecis. 14) Phyllis, puella, Xanthiae serva. 16) Al. *Moeret.*

Crede, non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam; neque sic fidelem,
Sic lucro aversam potuisse nasci
    Matre pudenda.
Brachia, et vultum, teretesque suras
Integer laudo: fuge suspicari,
Cujus octavum trepidavit aetas
    Claudere lustrum.

ODE V.

AD LALAGEN.

Pulcherrima Lalage est virgo viro immatura; ergo ab ejus cupiditate mens est revocanda.

Metrum quale I. 9.

Nondum subacta ferre jugum valet
Cervice, nondum munia comparis
  Aequare, nec tauri ruentis
    In Venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tuae
Campos juvencae, nunc fluviis gravem
  Solantis aestum, nunc in udo
    Ludere cum vitulis salicto
Praegestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvae; jam tibi lividos
  Distinguet Autumnus racemos

---

17) De plebe infelici et vili propter pravos mores. 18) Al. *delectam.* 19) C. Gu. *adversam.* 21) C. 1. et Gu. *voltum.* 21) C. 1. et Gu. *voltum.* 22) Integer, nullo ejus amore corruptus. 24) Al. *Condere lustrum*, i. e. 40 annos.

ODE V. Vanderbourg: *Ad Sodalem:* inscribit. 2) Al. *compari.* 3) C. *Gu. nec ruentis tauri.* 4) C. Gu. *tollerare.* 5) Al. *virentis.* Puellae enim solent flores legere, ut Proserpina, cum raperetur a Plutone. 6) C. 4. *nec fluviis.* 7) Solantis, i. e. refrigerantis, levantis. 11) Al. *Auctumnus.*

Purpureo varius colore.
Jam te sequetur; currit enim ferox
Aetas, et illi, quos tibi dempserit,
Apponet annos: jam proterva
Fronte petet Lalage maritum;
Dilecta, quantum non Pholoë fugax;
Non Chloris, albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiusque Gyges;
Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum, solutis
Crinibus ambiguoque vultu.

ODE VI.

AD SEPTIMIUM.

Optat habere suae senectutis sedem, Tibur et Tarentum, quorum laudat amoenitatem.

Metrum quale I. 2.

Septimi, Gades aditure mecum, et
Cantabrum indoctum juga ferre nostra, et
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Aestuat unda;

---

12) Al. *Purpureus vario.* 13) C. 4. *curret enim velox.* Al. *fugax.* C. Gu. *curret* 14) 15) Bentl. *quod illi — annus*, vel *quot annos.* Al. *Adponet.* C. Gu. *dempserit tibi.* C. 4. *demserat.* Al *demserit.* 17) Pholoe, Horatii amica, a multis petita, quibus asperam se praebet. 19) Al. *renitet.* 20) Al. *Cnidiusve*, *Gnidiusque*, sic dictus ab ejus patria Gnido. 22) Al. *sagacem falleret hospitem.* 24) Amb. v., qui aegre potest cognosci, sitne pueri an puellae.

ODE VI. 1) C. 4. *mecum*, sine: *et.* 2) Cantabrus est populus Hispaniae Tarraconensis ferocissimus, Romanorum mandatis inobediens. C. Gu. *nostra* sine *et.* 4) Maura unda est mare Africanum s. Maroccanum; al. Lybicum.

Tibur, Argeo positum colono,
Sit meae sedes utinam senectae;
Sit modus lasso maris, et viarum,
Militiaeque.
Unde si Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus Galaesi
Flumen, et regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet: ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro:
Ver ubi longum, tepidasque praebet
Jupiter brumas: et amicus Aulon,
Fertilis Baccho, minimum Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, et beatae
Postulant arces; ibi tu calentem
Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

---

5) Argeo, i. e. Graeco, qui cum suis fratribus Catillo et Corace ibi urbem posuit. 6) C. 4. *iterum sen.* 9) Graev. Si per Parcas minus propitias mihi non licuerit Tibure habitare. 10) Al. *Galaesum*, *Galaso*, *Galesum*, i. e. Calabriae fluvius. 12) Adibo regna Tarentina, in quibus regnavit Phalantus Lacedaemonius. 14) C. 4. *Hymeta*, i. e. melle Attico. 15) C. 4. *discedunt.* 16) C. 4. *Bacha Venafro*, i. e. oliva Tarentina praestantissima. 17) Graev. Ubi est coelum mite et moderatum frigus tempore hiemis. 18) C. 4. *umbras.* Al *Alcon* Al. *amictus*, Bentl *apricus.* Aulonis nomine regio Tarentina designatur, in qua vinum nobilissimum nascebatur. C. Gu. *Juppiter.* 19) Al. *Fertili Baccho, nimium.* 22) C. 4. *Ubi tu* etc. i. e. cineres meos lacrymis consperges. 24) Al. *Vatis Horati.*

ODE VII.

AD POMPEJUM GROSPHUM.

Cui reditum gratulatur in patriam.

Metrum idem quod Lib. I. Carm. 9.

O saepe mecum tempus in ultimum
Deducte, Bruto militiae duce,
  Quis te redonavit Quiritem
    Dìs patriis, Italoque Coelo,
Pompei, me rum prime sodalium?
Cum quo morantem saepe diem mero
  Fregi, coronatus nitentes
    Malobathro Syrio capillos,
Tecum Philippos, et celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula;
  Quum fracta virtus, et minaces
    Turpe solum tetigere mento.
Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre:
  Te rursus in bellum resorbens
    Unda fretis tulit aestuosis.
Ergo obligatam redde Jovi dapem;
Longaque fessum militia latus
  Depone sub lauru mea; nec
    Parce cadis tibi destinatis.

ODE VII. Al. *Ad Pompejum Romanum; al. Grosphum Siculum.* Graev. Ad sodalem, qui fuit cum Horatio in exercitu Bruti proelioque Philippico. 2) M. Junius Brutus, a. 709 Caesaris interfector, a. 711 proconsul Asiae. 3) Al. *Quiritum.* C. Gu. *Quis redonavit.* 5) C. 4. *Ponpili.* C. Gu. *Pompi* 8) C. 4. *Malobato*; Gl. unguentum foliatum nobilissimum ex India in Syriam, et inde Romam deportatum. C. Gu. *Corobatro.* 9) Post infelicem pugnam ad Philippos, Macedoniae urbem. 11) Cum fusae sunt copiae, et viri fortes occubuerunt. 13) Mercurius servavit poetam in belli mortisque periculo. 15) C. 4 *bella resolvens.* C. Gu. *rursum.* 16) Freta aéstuosa significant mare aestibus concitum. 17) dapem, i. e. sacras epulas. 19) C. 4. *tauro.* 20) C. Gu. *cadis destinatis*, sc. tibi addictis et servatis.

Oblivioso laevia Massico
Ciboria exple: funde capacibus
  Unguenta de conchis. Quis udo
    Deproperare apio coronas,
Curatve myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? Non ego sanius
  Bacchabor Edonis: recepto
    Dulce mihi furere est amico.

ODE VIII.

AD JULIAM BARINEN.

Non est, cur ei juranti credatur, cum ex perjuriis pulchrior exoriatur.

Metrum quod Carm. 2. primi libri.

Ulla si juris tibi pejerati
Poena, Barine, nocuisset unquam;
Dente si nigro fieres, vel uno
    Turpior ungui;
Crederem. Sed tu, simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo, juvenumque prodis
    Publica cura.

---

21) C. 4. *lenia.* 22) C. 4. *Ciboria*, vox Aegyptia, quae proprie significat fabae Aegyptiae folium aut fructum, ad cujus similitudinem facti calices dicti sunt ciboria. 24) Celeriter nectere, et ex apio et myrto concinnare coronas in conviviis consuetas. 25) C. 4. *quam.* Per Venerem intellige talorum jactum optimum. 27) C. 4. Gu. *Edoniis*, i. e. instar Thracum bibacissimorum. 28) C. Gu. *furere amico.*

ODE VIII. Al. *Ad Varinem, Iberinem*, vel *Varinae, Barrine, Iberine.* 1) Jus pejeratum est perjurium. 3) Veteres crediderunt, perjuros aliqua corporis parte multari, ut possent cognosci. 4) C. 4. *ungue.* 5) Graev. Simulac jurasti, et mala imprecata es tuo capiti, (h. e. tibi) ni hoc facias, quod tamen non facis. 6) C. 4. *enitesses.*

Expedit matris cineres opertos
Fallere, et toto taciturna noctis
Signa cum Coelo, gelidaque Divos
Morte carentes.
Ridet hoc, inquam, Venus ipsa; rident
Simplices Nymphae, ferus et Cupido,
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.
Adde, quod pubes tibi crescit omnis;
Servitus crescit nova; nec priores
Impiae tectum dominae relinquunt
Saepe minati.
Te suis matres metuunt juvencis,
Te senes parci, miseraeque nuper
Virgines nuptae, tua ne retardet
Aura maritos.

ODE IX.

AD VALGIUM.

Ut tandem aliquando mortem pueri sui Mystis deflere desinat.

Metrum quale I. 9.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros; aut mare Caspium
Versant inaequales procellae
Usque; nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes; aut Aquilonibus

---

9) C. 4. *apertos*. Falso jurare per conditos matris cineres. 14) Ny phae vt Veneris comites. 16) Graev. quae non aqua, sed cruore perfusa est: quia immoderatus amor maturat exitium. 17) Quod omnes adolescentes videntur in tui gratiam adolescere, ut ad te decurrant. 18) Indies novi amatores accedunt. 19) C. 4 *relictum*. Bentl. *Improbae tectum*. 21) C. 4. *viventis* ro juvencis, Gl. filiis. 24, Bentl. *Cura maritos*. Graev. ne aura afflentur tuae venustatis, quae tardiores eos in se faciat.

ODE IX. Vanderbourg: *Ad Valgium Rufum*, qui fuit poeta. 1) Hispidos ab effectu imbris. 5) Al. *vexant*.

Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.
Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum; nec tibi Vespero
Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem.
At non ter aevo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos; nec impubem parentes
Troilon, aut Phrygiae sorores
Flevere semper. Desine mollium
Tandem querelarum: et potius nova
Cantemus Augusti tropaea
Caesaris; et rigidum Niphaten,
Medumque flumen, gentibus additum
Victis, minores volvere vertices;
Intraque praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

---

7) Garganus mons Apuliae, fertilis quercubus, crebris tempestatibus infestatur 9) Al. *urgues*. 10) Al. *ademtum*. 11) Al. *recedunt*, i. e. vespere et mane. C. Gu. *Urgente*. 12) Occidit oriente sole Hesperus. 13) *Ter aevo*, i. e. tribus aevis, quorum quodvis 30 annis constat. C. Gu. *funestus amab.* 14) Antilochum, filium Nestoris ad Trojam occisum! 15) Parentes, i. e. Priamus et Hecuba. Nota est caedes Troili, imparibus viribus cum Achille congressi. 16) Sorores, i. e. Cassandra, Creusa, Polyxena. 19) Al. *trophaea*, sed minus eleganter. 20) Al. sub Niphate frigidum montem, al. fluvium Armeniae intelligunt. 21) Medum flumen est Euphrates. 22) Al. *vortices*. 23) Geloni sunt gens Sarmatica et nomadica.

ODE X.
AD LICINIUM MURENAM.

Mediocritas in utraque fortuna est ferenda.

Metrum quod I. 2.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo; neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.
Saevius ventis agitatur ingens
Pinus; excelsae graviore casu
Decidunt turres; feriuntque summos
Fulmina montes.
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus. Informes hiemes reducit
Jupiter; idem
Summovet. Non, si male nunc, et olim
Sic erit. Quondam cithara tacentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus, atque
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

ODE X. Cod. 1. *Optimum esse medium vitae statum. Proseutice.* 1) C. Gu. *vivas — altis.* 2) C. 1. Gl. persequendo sublimia, pro semper urgendo, C. 1. *neque procellas*, sine: *dum.* 3) Cautus, sollicitus. 6—7) Graev. caret domesticis sordibus, non vivit in domo squalida, et illuvie situque deformata; neque splendore et specie aulae ducitur, quae invidiam parit. 8) Sobrius, sc. minime ambitiosus. 9) C. 1. *Saepius*, celso loco positus et illustri gravi fortunae ictu petitur, et praeceps deturbatur. 10) Al. *et celsae.* 12) Cod. 1. *Fulgura montis*, Gl. *Acroceraunia.* 13) Al. *Sperat adversis*, sc. metuit in secundis, non desperat in adversis. 15) Informes, ubi omnia horrent et squalent. 16) C. 1. *Juppiter.* 17) Summovet, s depellit reducto vere. 18) C. 1. *cytharae.* Al. *Quando* pro *quondam.* 20) C. 1. Gl. Nam Apollo pharetratus depingitur; cum cytharam tenet, dicitur placatus; cum arcum tendit, iratus. 23) C. 1. Gl. vela inflata sc. vento nimium secundo, sed *nimium* aptius ad turgida vela refertur.

ODE XI.
AD QUINCTIUM HIRPINUM.

Omissi scuris vivendum est hilariter.

Metrum idem quod I. 9.

Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet, Hadria
Divisus objecto, remittas
Quaerere: nec trepides in usum
Poscentis aevi pauca. Fugit retro
Levis Juventas et decor; arida
Pellente lascivos amores
Canitie, facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honor
Vernis; neque uno Luna rubens nitet
Vultu: quid aeternis minorem
Consiliis animum fatigas?
Cur non sub alta vel platano vel hac
Pinu jacentes sic temere, et rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo,
Potamus uncti? Dissipat Evius
Curas edaces. Quis puer ocius
Restinguet ardentis Falerni
Pocula praetereunte lympha?

ODE XI. C. 1. *Ad Quinctium Hyrpinum. Proseutice. Non esse cogitationes nostras in diversa mittendas.* 1) C 1. Gl. Hispaniarum gens pugnatrix, et Aquilonaris gens. 2) C. 1. *cogitat.* C. Gu. *Herpine quinti cogitet et adria* (sic). 3) C. 1. Gl. mari Adriatico sejunctus. 4) Al. *ne trepides in usus.* 6) Juventus levioribus jocis. In juvenibus facilis est somnus, in senibus est tardus. 9) Al. *honos.* 10) Nec Luna, nec flos juventutis idem semper est. C. Gu. *nec* u. L. *nitens rubet.* 11) Aeterna consilia sunt, quae sine interruptione capimus modo de his modo de aliis rebus, quas sumus suscepturi. 12) Quid curis futuri tantum te excrucias, tanquam aeternum victurus sis. 15) C. 1. *adorati.* Al. *odorata* Gl. odorati. 16) Unguento nardino ex Syria. 17) C. 1. Gu. *Euchius.* Liber pater dicitur, eo quod Dii quum bellum cum gigantibus gererent, primus leonem occidit gigantem. 19) C. 1. *Restringet*, i. e. refrigerabit. Gl. Vinum bonum enim fervet, et pocula, quibus potantur, ferventia reddit. Ideo non, ut a sordibus mundentur pocula, lavantur. 21) Al. *domo.* Devium significat remotam, vel angustam, vel proclivem urbis partem. 23—24) Bentl. *incomtam nodo.* Lacaenae, Gl. Helenae, quae solita erat pulchritudinis causa capillos nudare.

Quis devium scortum eliciet domu
Lyden? eburna, dic age, cum lyra
Maturet; incomptum Lacaenae
More comas religata nodum.

ODE XII.

AD MAECENATEM.

Res graves et tragicae carmini lyrico non conveniunt. Horatius praeter Licymniae formam, et res amatorias, nihil canit.

Metrum quod I. 6.

Nolis longa ferae bella Numantiae,
Nec dirum Hannibalem, nec Siculum mare
Poeno purpureum sanguine, mollibus
Aptari citharae modis;
Nec saevos Lapithas, et nimium mero
Hylaeum; domitosve Herculea manu
Telluris juvenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris: Tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris
Maecenas, melius; ductaque per vias
Regum colla minacium.

ODE XII. Cod. 1. *Non esse levi carmine res magnas dicendas. Prosphonetice tricolos.* 1) Contra Numantiam, Hisp. urbem, decem annis cum multa clade Romanorum pugnatum est. C. Gu. *Nolis cuncta longe f* 2) Al. *durum* Hannibalem, i. e. bellum Punicum secundum. 3—4) Juxta mare Sic. Romani prostraverunt Poenos, quorum sanguine vicinum mare infectum et purpureum sumpsisse colorem dicitur, quia ibi primum navali certamine Romani Carthaginenses duce Lucio vicerunt. C. Gu. *Aptare.* 5) C. 4. *Lapithes*, i. e. heroes Thessaliae in debellandis centauris. Nimii dicuntur arrogantes, impotentes. 6) Hylaeum, ex nimio meri potu intolerabilem centaurum. Al. *domitosque.* C. Gu. *domitos Herc.* 7) Telluris juvenes, i. e. gigantes ab Hercule domitos. 8) Saturnus dicitur regnasse in coelo, postea vero exinde a Jove expulsus. 9) Pedestribus, i. e. soluta prosaica oratione potius, quam metrice.

Me dulcis dominae Musa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos, et bene mutuis
Fidum pectus amoribus:
Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus, sacro
Dianae celebris die.
Num tu, quae tenuit dives Achaemenes,
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes,
Permutare velis crine Licymniae,
Plenas aut Arabum domos.
Dum flagrantia detorquet ad oscula
Cervicem, aut facili saevitia negat,
Quae poscente magis gaudeat eripi;
Interdum rapere occupet?

12) Al. *minantium.* Fortes reges, quos subjugavit Augustus Caesar, victi triumpho catenati ducebantur per vias. 13) C. 4. *Me dulces d. M. Licyniae*, quae aut uxor Maecenatis aut Horatii fuit. Vocabat eam hic dominam, quia sub tutela ejus erat. C. Gu. *lyciniae*, (sic quoque vers. 23). 14) Al. *lucidum et*, lucide fulgentes oculos. C. Gu. *noluit.* 17) C. 1. *decuit choris*, sc. virginum. 19) Nec saltare inter virgines festo die Dianae. 20) Dies natalis Dianae a virginibus — Apollinis a pueris celebrabatur. Mulieres extentis brachiis saltare solent cum ludente. 21) C. 4. *Achimenes.* C. 1. *Achemenis*, Gl. rex Pers. ditissimus. 22) Mygdones sunt antiquus Thraciae populus, qui Phrygiae partem occupavit. 23) Licymniae, amicae tuae. 25) C. 4. Gu. *Cum fragrantia.* Hor. mire expressit illud, quod solent mulieres quadam arte agere. Dum enim viri eas osculantur, avertunt faciem ab illis, ut per hoc potius eos ad amorem excitent. Res enim negata carior est. 28) C. 1. et 4. *occupat.*

ODE XIII.

In arborem, cujus casu paene oppressus fuerat.

Metrum quale I. 9.

Ille et nefasto te posuit die,
Quicunque primum, et sacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi.
Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem, et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis: ille venena Colcha,
Et quidquid usquam concipitur nefas,
Tractavit, agro qui statuit meo
Te triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.
Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas. Navita Bosporum
Poenus perhorrescit; neque ultra
Caeca timet aliunde fata:
Miles sagittas, et celerem fugam
Parthi; catenas Parthus, et Italum
Robur: sed improvisa leti
Vis rapuit rapietque gentes.
Quam paene furvae regna Proserpinae,

ODE XIII. C. 1. Ad arborem, cujus casu pene perierat. 3) In filiorum suorum perniciem. 6) Penetralia, i. e. interiora domus ipsius hospitis. 7) 8) C. 1. 4. Gu. *Colchica*, i. e. efficacissima. 11) Al. *casurum*, *cadentem*. C. Gu. *Triste sine te*. 12) C. 4 Gl. *nil merentis*. 13) Nemo tam caute vivit, quin improviso mortis genere extinguatur. 14) C. 1. *Bosphorum*. Gl. Ob petras Cyaneas e Bosphoro Thracio exeuntibus evitandas. Hor. aut Poenum pro quolibet navita dixit, aut Bosphorum pro quolibet freto. C. Gu. *oras*. 18) Catenas, sc. Romanorum metuit, et Italum carcer. 19) C. 1. *loeti*. 21) C. 1. *poene*. Proserpina mystico nomine *furva* dicebatur ob infernum nigrum.

Et judicantem vidimus Aeacum:
Sedesque discretas piorum, et
Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus;
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.
Utrumque sacro digna silentio
Mirantur Umbrae dicere; sed magis
Pugnas, et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum? ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures, et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?
Quin et Prometheus, et Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono;
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

22) C. 1. *Eacum*. Gl. Eachus Achillis avus propter justitiae bonitatem apud inferos judicium meruisse perhibetur. 23) Al. *descriptas*, *desertas*. Gl. Elysias piorum. 24) C. 1. *Lesbiis* pro Aeoliis. Nam Lesbus tota fere ad Aeoliam pertinet, unde Sappho dicitur, quae res muliebres et jocosas — Alcaeus autem res bellicas et libros tragoediarum scripsit, quem imitatus est Horat. 26) Et tu, qui graviore carmine lyrico decantas navalia bella et caedes. 28) Al. *dura fugae, mala dura belli*, i. e. duros labores belli. 29) Eo sc. silentio, quo oracula audiuntur. 31) Vanderbourg: *triumphos* pro *tyrannos*; sed inepte. 34) *Cerberus*. Gl. Canis enim natura est, ut iratus erigat aures, placatus demittat. C. Gu. *centipes*. 35) Al. *intortis*. 36) Eumenides tres sunt furiae infernales, Alecto, Megaera et Tisiphone, quae gestant angues capillis implexos; ipsae mitigantur. 37) Nota fabula Promethei est, quod apud inferos damnatus jecur ejus vultur commedit. Pelopis parens est Tantalus. C. Gu. *Quin et et* (sic). 38) Al. *laborem*. 39) Orion, Hyriei filius, Neptuni nepos, venationi praefert carmina Alcaei et Sapphonis. 40) C. 4. *timidas*.

ODE XIV.

AD POSTUMUM.

Vita brevis, et mori necesse est.

Metrum praecedentis Carm.

Heu, heu! fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni; nec pietas moram
Rugis, et instanti senectae
Afferet, indomitaeque morti.
Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrimabilem
Plutona tauris; qui ter amplum
Geryonen, Tityonque tristi
Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicunque terrae munere vescimur,
Enaviganda; sive reges,
Sive inopes erimus coloni.
Frustra cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Hadriae;
Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.
Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, et Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.

ODE XIV. Al. *Posthumum.* C. 1. *De brevitate vitae.* 1) C. 1. Eheu. 3) C. 1. Gl. Quantumvis homo religiosus sit, ideo nec tardius senescit secundum Epicureos, qui affirmant, nihil prodesse religionem contractae senectae, sed omnia casu et fortuna fieri. 5) C. 4. *Quod si trecenis.* Gl. addit: vel singulis diebus. Al. *tricenis - tauris*, i. e. tribus hecatombis. Al. quotquot *erunt* dies. C. Gu. *tricentis.* 6) Al. *in*lacrimabilem. 7) Plutona, inferorum arbitrum. 8) Al. *Geryonem.* Huic tria capita s. corpora, ad insignem ejus corporis molem designandam, tributa esse, notum est. C. 1 Gl. Tityon tristi coercet unda Cocyti. C. Gu. *Gerionem.* 13) C. 1. Gl. Frustra vitamus bellum et navigationes, et pestiferum timemus autumnum, cum omnibus necesse sit mori 14) C 4. *raucis fluctibus adire.* Gl. Adriae, vel maris. Fractis, pro collisis, ad scopulos. 16) C. 1. Gl. Austro enim flante morbi generantur autumno. 17) C. Gu. *aũt flumine* (sic). 18) C. 4. *Ocitus*, Gl. Cocytus, fluvius infernalis flexuose currens. Danai genus infame a facti crimine. Danai enim filiae jussu patris occiderunt maritos. 20) Sisyphus, Aeoli filius, ad aeternum laborem a Jove apud inferos damnatus.

Linquenda tellus, et domus, et placens
Uxor; neque harum, quas colis, arborum
Te, praeter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur.
Absumet heres Caecuba dignior
Servata centum clavibus; et mero
Tinget pavimentum, superbis
Pontificum potiore cenis.

ODE XV.

IN SUI SAECULI LUXUM.

Luxum circa aedificia ingentem reprehendit; et veterum frugalitatem commemorat.

Metrum praeced. Carm.

Jam pauca aratro jugera regiae
Moles relinquent: undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu; platanusque caelebs
Evincet ulmos. Tum violaria, et
Myrtus, et omnis copia narium,
Spargent olivetis odorem,
Fertilibus domino priori:
Tum spissa ramis laurea fervidos

---

23) C. 4. *Cupressos.* 24) C. 1. *Vita* pro *ulla*, Gl. addit: in hac parvi temporis, ut ipse, et breve lilium. 25) C. 1 et 4. *Cecuba.* Epotabit cados vini Caecubi, tam diligenter a te servatos. C. Gu. *Assumet.* 27) C. 1 et 4. *superbo*, al. *superbum*, *superbus*, C. Gu. *Signet.* 28) C. 1. Gl. Vino madefaciet meliore, quod solebant antiqui in coenis Pontificum offerre. Al. *cena*, *scaena*, *coenis.*

ODE XV. C. 1. *Haec de praesenti luxuria temporis dicit.* 2) Al. *relinquunt.* Regiae moles sunt potentum aedificia. 3) Lacus Lucrinus ad Bajas in Campania situs, in quem Augustus, Portum Julium conficiens, mare immisit. 4) Al. *coelebs*, *celebs.* C. 1. Gl. sterilis. Al. non maritata vitibus, ut ulmus, ergo inutilis. 5) Al. *Tunc violaria*, i. e. loca violis consita. C. Gu. *violaria*, sine *et.* 7—8) C. 1. Gl. Ideo olivetum domino priori dixit fertile, quia praesenti solam infertilitatem posuerat placere.

Excludet ictus. Non ita Romuli
Praescriptum, et intonsi Catonis
Auspiciis, veterumque norma.
Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton:
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant; oppida publico
Sumptu jubentes, et Deorum
Templa novo decorare saxo.

ODE XVI.

AD POMPEJUM GROSPHUM.

Omnes expetunt animi tranquillitatem, quae neque divitiis neque honoribus potest adquiri, sed cupiditates tantum coercendo.

Metrum quod Lib. I. Carm. 2.

Otium Divos rogat in patenti
Prensus Aegaeo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:

---

10) C. 4. Excludet, *aestus*, sc. solis. Gl. Laurus tam densae ibi conserebantur circa domos, ut aditum currendi omnibus negent. 11) Cato dux et auctor rationis vivendi. 12) C. 1. *forma;* Gl. norma et regula. Exemplum patrum nostrorum non fuit tale, ut propria essent maxima, publica minima. Familiarem nempe rem angustam habebant, publicam vero magnam. 14) C. 1. Gl. census est substantia, proprietas. 15) C. 1. Gl. mensurata privatis domibus, al. hominibus. C. Gu. *Metatam.* 16) C. 4. *Archon*, Gl. Ursam, astrum boreale. Bentl. *apricam.* 17) C. 1. Gl. illum, qui forte in cespite resideret. 19) Al. *Sumtu.* Gl. Oppida, intellige publica eorum aedificia, muros etc. 20) C. 1. Gl. novo i. e. magno saxo.

ODE XVI. C. 1. *Ypotetice Grospho.* 2) Al. *Pressus.* C. 1. Gl. Nauta in vasto mari et ubique diffuso sine littoris alicujus aspectu deprehensus. Aegaeum vocatur ab ingenti saxo eminenti in illo mari ad similitudinem caprae, quando serenitas est; ast in tempestate fluoribus operitur. 3) Al. *lumen, neque clara.* Gl. Ut eripiunt subito nubes coelum diemque, dum oritur tempestas.

Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpura venale, nec auro.
Non enim gazae, neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis, et Curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum;
Nec leves somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur aevo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? Patriae quis exsul
Se quoque fugit?
Scandit aeratas vitiosa naves
Cura; nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis, et agente nimbos
Ocior Euro.
Laetus in praesens animus, quod ultra est
Oderit curare, et amara lento
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem;

---

5) Thracia licet sit bellicosissima, otium tamen aliquando peroptant. 6) C. 1. Gl. frustra rogant, cum ipsi sibi dare possint, antequam in bellum ruant. Medi enim gestant pharetras ornatas. 8) Al. *Venale, neque auro.* 10) C. 1. Gl. lictor virgifer. Pro dignitate Hor. posuit et honorem, qui otia i. e. pacem et quietem denegat. Ostendit semper graviores esse curas in domibus potentum, ubi sunt lacunaria plura, quam alibi. 15) C. 1. Gl. Cupido hic non pro amore, sed pro cupiditate sumitur, quae sordidum reddit hominem. Qui nihil concupiscit, nihil timet, ille securus dormit. 17) Al. *sontes.* C. 1. Gl. fortes ad laborem appetimus multa. 18) C. 1. Gl. Hor. invehitur contra eos, qui patrio solo non contenti transeunt de regno ad regnum, ut ditiores fiant. simulque dicit, quia, quocunque pergant, cupiditas animi super eos comitetur. 19) C. 4. *patriae?* C. 1. *mutamus? Patriae.* Al. *mutamus patria.* Gl. Quis a se quoque et a vitiis avaritiae secure potuit fugere, qui patriam derelinquit? 21) C. 4. *aerates.* 24) C. 1. Gl. vento flante ab Oriente nimbos relinquit. 25) C. 1. *ultra,* sine: *est*, sc. quod futurum est. 26) Al. *laeto* pro lento. 27) Al. *Temperat.*

Longa Tithonum minuit senectus:
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget Hora.
Te greges centum, Siculaeque circum
Mugiunt vaccae: tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis Afro
Murice tinctae
Vestiunt lanae: mihi parva rura, et
Spiritum Grajae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit, et malignum
Spernere vulgus.

ODE XVII.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Quo mortuo, negat, se velle vivere, eique superstitem esse.

Metrum quale Lib. I. Carm. 9.

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec Dis amicum est, nec mihi, te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus, columenque rerum.
Ah! te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus aeque, nec superstes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum

---

30) Tithonus, Laomedontis, Trojanorum regis filius, ob formam ab aurora amatus, ejusque curru in coelum raptus; nihilo tamen minus longa senectute minutus est. 31) Al. *Fors et, forsit*, i. e. forsan. C. 1. *Fors et tibi*; Gl. mihi pauperi, tibi diviti; at forsan tibi', ut est, liceat sperare. C. 4. tibi *quos* negarit. 36) C. 1. Gl purpura bis tinctae clarae. 37) C. Gu. *rura* sine *et*. 38) C. 1. Gl. quia ad Graecorum imitationem haec carmina scripsit. 39) C. 1. Gl. fatum non violabile, et cupidum s. invidum spernere vulgus.

ODE XVII. C. 1. *Symboleutice*. Al. *Ad Maecenatem Aegrotum*. 2) C. Gu. *amicum, nec* sine *est*. 6) C. 1. Gl. celerior violentia mortis. Al. *quid moror alteram*. 7) C. 1. Gl. superstes alicui ero C. Gu. *neque sup*. 9) C. 1. et 4. *ruinam, nec*. Al. *nam*. Gl. Tanquam non perfidii de ea re interposuerit jus jurandum, ne ei superviveret.

Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcunque praecedes, supremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimaerae spiritus igneae;
Nec, si resurgat, centimanus Gyges,
Divellet unquam: Sic potenti
Justitiae, placitumque Parcis.
Seu Libra, seu me Scorpius adspicit
Formidolosus, pars violentior
Natalis horae, seu tyrannus
Hesperiae Capricornus undae;
Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. Te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque Fati
Tardavit alas; quum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit sonum:
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra levasset, Mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas
Aedemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

---

11) C. 4. *praecedis*, sed totus hic versus serius a Glossatore ad marginem scriptus est. 13) Ignis spirans ex tricipite Chimaerae capite. 14) C. 1, 4. Gu. *Gigas*, al. *Gyas*, *Giges*. Gl. addit: ipse est, qui habuit 50 capita et 100 manus. 19) C. 4. *Loetalis*, al. *letalis*. Gl. Si scorpius me irradiat sua constellatione, est omen mortis, quia loetale signum est pro omnibus. 20) Capricornum vocat tyrannum, quia in ortu et occasu ejusdem signi gravissimae solent esse tempestates. 22) C. 4. *austrum*, Gl. sidus. Al. *Consensit*. 23) C. 1. Gl. Saturni sidus mortiferum est. 24) Al. *volucresque*. 25) C. 4. *Cum*, C. 1. *tunc*, al. *tum*, *te*. C. Gu. *alis: tum p*. 26) Al. *Festum*, *Faustum theatris ter strepuit sonum*. C. Gu. *solum*. 27) C. 4. *illaesus*. 28) Villa Sabina, ubi Horatius extinctus paene fuisset arboris casu, in tutela Fauni fuit, qui non solum est Deus sylvarum, sed etiam amator sermonis et prudentiae. 29) Mercurius Deus facundiae dictus est, et viri docti in ejus tutela credebantur. 32) Reddentes Diis gratiam, te saluti reddito.

ODE XVIII.

AD VARUM.

Se tenui se contentum dicit, ubi alii cupiditatibus suis et divitiis student, nihil de morte cogitantes, quasi perpetuo victuri.

Metrum Trochaicum.

- υ | - υ | - υ | υ

υ - | υ - | υ - | υ - | υ - | υ

Non ebur, neque aureum
  Mea renidet in domu lacunar:
Non trabes Hymettiae
  Premunt columnas ultima recisas
Africa; neque Attali
  Ignotus heres regiam occupavi;
Nec Laconicas mihi
  Trahunt honestae purpuras clientae.
At fides, et ingeni
  Benigna vena est; pauperemque dives
Me petit: nihil supra
  Deos lacesso, nec potentem amicum
Largiora flagito,
  Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
  Novaeque pergunt interire Lunae:
Tu secanda marmora
  Locas sub ipsum funus; et sepulcri

ODE XVIII. C. 1. *Ad Varum. De continentia scribit, et paupertatem suam omnibus divitiis praeferri. culpans eos, qui obliti brevis vitae cupiditatibus et divitiis indulgent.* Alii: *Ad Avarum.* 2) C. 1. *domo.* 3) C. 1. Gu. *Hymetiae*, al. *Hymettias.* Gl. De Hymetto monte marmora excisa, quae Thebaica vocantur. 6) C. 1. Gl. Alienus sic Romanis populis aulam regiam injuria accepi. Hor. hic ostendere vult, Romanos non jure factos Attali haeredes. 7) C. 4. Gu. *Laconias.* Gl. Hor. Spartanas a loco laudavit. 8) C. 1. *clientes*, ancillae familiares. C. Gu. *purpura clientes.* 12) C. 1. *potentum amicum*, Gl. Maecenatem. 16) C. 1. Gl. non desinunt decrescere. 17) C. 1. Gl. Avare dives, tu secanda marmora ad aedificiorum structuram pretio statuis circa ipsum finem mortis. C. Gu. *Tu resecanda* (sic).

Immemor, struis domos;
  Marisque Bajis obstrepentis urges
Summovere littora,
  Parum locuples continente ripa.
Quid, quod usque proximos
  Revellis agri terminos, et ultra
Limites clientium
  Salis avarus? Pellitur paternos
In sinu ferens Deos
  Et uxor, et vir, sordidosque natos.
Nulla certior tamen,
  Rapacis Orci fine, destinata
Aula divitem manet
  Herum. Quid ultra tendis? Aequa tellus
Pauperi recluditur
  Regumque pueris: nec satelles Orci
Callidum Promethea
  Revexit auro captus. Hic superbum
Tantalum, atque Tantali
  Genus coërcet; hic levare functum
Pauperem laboribus
  Vocatus, atque non vocatus, audit.

---

19) Al. *Inmemor.* 20) C. 1. Gl. Bajae sunt insulae, quibus maris resonantis et illidentis cogis subtrahere et constringere littora, intra quae mare non dividitur. 23) C. Gu. *Quid usque pr.* 25) C. 1. Gu. *Limitem.* 26) Al. *avarus, pellitur.* 28) Al. *gnatos.* 30) *Fine*, sc. destinato pro regni finibus; al. *sede.* 36) Al. *Revinxit, devexit.* Prometheus Charontem, ut se reveheret, auro corrumpere tentavit. 37) Tantali genus, i. e. Pelopem, Atreum, Agamemnonem, Arestem. 38) Hic levare functum, ab effectu levandi. *Audit levare* potest esse pro: dicitur levare. Al. *Audet* pro *potest.* 40) C. Gu. *non audit* (*vocatus* superpos. man. ser.).

ODE XIX.

HYMNUS AD BACCHUM.

Bacchi laudes, ejus numine plenus, canit poeta.

Metrum quale Lib. I. Carm. 9.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, (credite, posteri,)
  Nymphasque discentes, et aures
    Capripedum Satyrorum acutas.
Evoe! recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
  Laetatur. Evoe! parce, Liber!
    Parce, gravi metuende thyrso!
Fas pervicaces est mihi Thyiadas,
Vinique fontem, lactis et uberes
  Cantare rivos, atque truncis
    Lapsa cavis iterare mella:
Fas et beatae conjugis additum
Stellis honorem, tectaque Pentheï
  Disjecta non leni ruina,
    Thracis et exitium Lycurgi.
Tu flectis amnes, tu mare barbarum:
Tu separatis uvidus in jugis
  Nodo coërces viperino

ODE XIX. Al. *In Bacchum.* 4) Pedes instar caprarum habentium Bacchi comitum velocium. 5) C. Gu. *Heuhoe recenti.* 6) C. 4. Gl. Et mens divino Bacchi instinctu concitata, laetitia et metu confusa, laetatur turbide. 8) Gravi virga. 9) Bacchi sacerdotes et ministrae indomitae Thyades thyrsis suis e terra aquam, vinum et lac, ex arboribus autem mel elicuisse dicuntur. 13) Ariadnae uxoris corona aurea inter sidera relata. 14) Bacchus a Pentheo, Echionis et Agaves filio, vinculis constrictus, in domo ejus asservatur, unde se cum ipsa domus ruina expedit. 15) Al. *levi.* 16) Lycurgus, rex Edonorum, Thraciae gentis, ob pulsas e regno suo Bacchas cum ipsorum Deo a Jove excaecatus est. C. Gu. *Thracis Lycurgi exitium.* 18) C. 4. *vividus,* Gl. madidus es vino et ebrius in montium jugis.

    Bistonidum sine fraude crines.
Tu, quum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
  Rhoetum retorsisti leonis
    Unguibus, horribilique mala;
Quamquam choreis aptior, et jocis,
Ludoque dictus, non sat idoneus
  Pugnae ferebaris; sed idem
    Pacis eras, mediusque belli.
Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
  Caudam; et recedentis trilingui
    Ore pedes, tetigitque crura.

---

20) Bistonides sunt Thracicae Bacchae. 21) C. 4. *Cum.* 23) Al. *Rhoecum*, *Roethum retorsisti et leonum.* 24) Al. *horribilisque.* 29) Insons, non nocens. 30) Cornu est symbolum potentiae. Bacchus nempe Semelis repetendae causa ad inferos descenderat. C. Gu. *Decorum cornu leviter.* 31) Cerberus tribus linguis suis, ore exsertis, attigit pedes et crura instar blandientium canum.

ODE XX.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Horatius in Cygnum versus, per universum pervolabit orbem; unde sibi promittit suae poeseos immortalitatem.

Metrum praecedentis Carm.

Non usitata, non tenui ferar
Penna, biformis per liquidum aethera
Vates: neque in terris morabor
Longius; invidiaque major
Urbes relinquam. Non ego, pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas
Dilecte Maecenas, obibo;
Nec Stygia cohibebor unda,
Jam jam residunt cruribus asperae
Pelles; et album mutor in alitem
Superna; nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.
Jam Daedaleo ocior Icaro
Visam gementis littora Bospori,
Syrtesque Gaetulas canorus
Ales, Hyperboreosque campos.
Me Colchus, et, qui dissimulat metum
Marsae cohortis, Dacus, et ultimi
Noscent Geloni: me peritus
Discet Hiber, Rhodanique potor.
Absint inani funere naeniae:
Luctusque turpes, et querimoniae:
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

ODE XX. 1) C. 4. *nec tenui.* 3) C. Gu. *in terra.* 6) Al. *quem vocant; quem vetas — obire; quem vetas.* 7) Al. *Dilecte, Maecenas.* 9) Al. *resident*, i. e. haerescunt, insidunt. 10) C. Gu. *Penne et.* 11) Al. *Superne.* 12) C. 4. *humeros plumae*, sine: *et* vel *que.* 13) Al. *tutior, nocior, notior.* 15) Gaetulas, i. e. oras Africae. 16) *Hyperboreos*, i. e. extremas versus Septemtrionem terras. 18) Marsae sunt fortissima gens in exercitu Romano. 19) Geloni Scytharum gens, Istri accola. 20) Al. *Dicet Iber*, Hispaniae populus a fluvio Hibero. C. Gu. *potator.* 21) Al. *neniae.* 22) C. 4. *turpes querimoniae*, sine: *et.*

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM
LIBER TERTIUS.

ODE I.

AD SE IPSUM, DE VARIIS HUMANAE VITAE STUDIIS.

Vita beata non opibus, aut honoribus, sed animi tranquillitate efficitur.

Metrum quod Lib. I. Carm. 9.

Odi profanum vulgus, et arceo:
Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus, puerisque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.
Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis; hic generosior
Descendat in Campum petitior;

LIBER TERTIUS. ODE I. 6) C. Gu. *Jovis est.* 9) Al. *Esto.* 10) C. 4. *in sulcis.* 11) C. 4. *Descendit.*

Moribus hic, meliorque fama
Contendat; illi turba clientium
Sit major: aequa lege Necessitas
Sortitur insignes, et imos;
Omne capax movet urna nomen.
Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem;
Non avium, citharaeque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamve ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.
Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Haedi:
Non verberatae grandine vineae,
Fundusve mendax; arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta pisces aequora sentiunt,
Jactis in altum molibus: huc frequens
Caementa demittit redemptor
Cum famulis, dominusque terrae
Fastidiosus: sed Timor, et Minae
Scandunt eodem, quo dominus; neque
Decedit aerata triremi, et
Post equitem sedet atra Cura.

---

12) C. Gu. *melior fama* sine *que*. 13) C. 4. *Contendit — clientum*. 17) C. 4. *Districtus*. 18) Siculae i. e. exquisitissimae dapes. 20) Bentl. *citharaeve*. 21) C. 1. *Somnis*, Gl. somnus. Salomon nempe ait: cupiditas divitis non sinit eum dormire; laboranti autem dulcis est somnus, sive parum sive multum comedat. 22) C. 4. *Levis*. 23) C. 1. *umbrosamque*. 24) Tempe s. loca nemorosa et frigida. 27) Saeva procellae vis, tempestas ab Arcturo occidente excitata, aut Haedorum orientium impetus. 29) C. Gu. *verberatae*. 30) C. 1 et 4. *Fundusque*, sc. sollicitat illum. 33) Bentl. *sentiant*. 35) Gl. redemtor, qui redimit mare, commutans terram per mare, ut domos superaedificet. C. Gu. *remittit*. Markland: *demittat*. 36) C. 4. *dominus terrae*. 37) Minae, quasi Deae, quae periculorum minis homines exagitant. 39) C. 1. 4. Gu. *triremi*, sine: *et*.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis, Achaemeniumve costum;
Cur invidendis postibus, et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

ODE II.

A D A M I C O S.

Pueri a teneris annis paupertati, militiae, vitae laboriosae sunt assuefaciendi.

Metrum quale Lib. I. Carm. 9.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta;
Vitamque sub divo, et trepidis agat
In rebus. Illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, et adulta virgo,
Suspiret: heu, heu! ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta

---

41) *Dolentem* sc. cupiditate, nec marmor Phrygiae pretiosissimum. 43) C. 4. *Falerne*. C. 1. Gu. *Delinit — Falernae*. 44) C. 1. et 4. *Vites, Achaemeniumque*, i. e. Parthicum a rege Achaemene. Costum sumitur pro quolibet gratissimo odore, qui multiplex apud Persas abundat. C. Gu. *achimeniumque*. 46) C. 1. *molior*. Gl. Cur relicto agro Sabino, ubi securam vitam ago, amplissimas appetam possessiones cum magno periculo et labore? Si sollicitudine carere non possum, nec commutationibus debent augeri divitiae. 48) Al. *onerosiores*.

ODE II. C. 1. *De institutione ad amicos loquitur. Eutice.* 1) Al. *amici*. 3) Parthos, pro quibuslibet hostibus. 6) C. 4. *hostibus*. 8) Matrona pro uxore, et adulta virgo pro filia nubili. 9) Al. *eheu!* 10) Romanum leoni accessu difficili in pugna simillimum.

Per medias rapit ira caedes.
Dulce et decorum est pro patria mori.
Mors et fugacem persequitur virum;
Nec parcit imbellis juventae
Poplitibus, timidoque tergo.
Virtus, repulsae nescia sordidae,
Intaminatis fulget honoribus;
Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.
Virtus, recludens immeritis mori
Coelum, negata tentat iter via;
Coetusque vulgares, et udam
Spernit humum fugiente penna.
Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus, fragilemve mecum
Solvat phaselum. Saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum:
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

---

14) Al. *prosequitur, consequitur.* 18) Al. *Incontaminatis.* 19) C. 1. Gl. abjicit aut accipit fasces. C. 1 et 4. *Nec ponit aut sumit.* C. Gu. *ponit honores.* 21) C. 1. Gl. aperiens indignis, ut moriantur, vult intelligi, per virtutem acquiri posse immortalitatem, coelumque aperiri, atque inter Deos collocari, ut ardens evexit ad aethera virtus. 22) Vanderbourg: *ire* pro *iter.* 24) C. 1. Gl. Tanquam ipsius virtutis fama transfugiens petit coelum. 25) C. 1. Gl. Comes virtutis est silentium. C. Gu. *Et fideli* sine *est.* 26) Al. *vitabo.* C. 1. Gl. prohibebo. Cereris sacra mystica erant. 27) C. 1 *archanae, sub iisdem,* Gl. sub quibus ego sum. Al. *Volgarit.* C. Gu. *Vulgavit.* 28) C. 1. 4. Gu. *fragilemque.* 29) Al. *phaselon,* Gl. velox et oblonga navis. Absit, inquit, ut sub eodem tecto sim, aut cum his navigem, qui linguam usque ad proditionem commissorum relaxant. Castos dicebant religiosos, incestos vero irreligiosos. 32) C. 4. *cludo.*

ODE III.

AD CAESAREM AUGUSTUM.

Constantia viam aperit ad astra. Romanae magnitudini Juno favet, Trojae cineribus iniqua.

Metrum quale I. 9.

Justum et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster,
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Jovis:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae.
Hac arte Pollux, et vagus Hercules
Enisus, arces attigit igneas:
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres, indocili jugum
Collo trahentes. Hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit;
Gratum elocuta consiliantibus
Junone Divis: Ilion, Ilion
Fatalis, incestusque judex,
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destituit Deos

ODE III. C. 1. *Ad Musas de Augusto.* 1) Al. *ac.* 2) C. 4. *parva.* 6) Al. *magna Jovis manus.* 7) Al. *illabetur.* 8) Ruinae, i. e. impetus. 9) Pollux, sc. cum fratre Castore. 10) C. 1. *Innisus,* al. *innixus,* ab inniti vel eniti, proprie de iis, qui cum nisu ad altiora tendunt 12) C. 1. Gl. divinitatem, potum Deorum haurit. Al. *bibet.* 13) Bacchus post Indiam perdomitam ut victor triumphans curru tigribus juncto ductus est. 16) Al. *Patris equis,* Gl. inter Deos translatus est. 17) C. 1. Gl. Id postea, quia Juno iras et indignationem remisit, quam habebat contra Trojanos pro eo, quod Paris praetulerit Venerem in pulchritudine sibi et Palladi. 18) Repetitio nominis, ut hic Ilion, Ilion, interdum iracundiam, interdum laudem significat. 19) Judex, in quo fatum fuit Trojae, scelestus Paris. 20) Mulier Helena, quae de Lacedaemonia Trojam advecta est. 21) C. 4. *destitit Deos.*

Mercede pacta Laomedon, mihi
  Castaeque damnatum Minervae
    Cum populo, et duce fraudulento.
Jam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus hospes; nec Priami domus
  Perjura pugnaces Achivos
    Hectoreis opibus refringit;
Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protinus et graves
  Iras, et invisum nepotem,
    Troia quem peperit sacerdos,
Marti redonabo: Illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
  Succos, et adscribi quietis
    Ordinibus patiar Deorum.
Dum longus inter saeviat Ilion,
Romamque pontus; qualibet exsules
  In parte regnanto beati:
    Dum Priami, Paridisque busto
Insultet armentum, et catulos ferae
Celent inultae; stet Capitolium
  Fulgens, triumphatisque possit
    Roma ferox dare jura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras; qua medius liquor
  Secernit Europen ab Afro,

---

22) C. 1. Gl. Notum habetur, quod Laomedon, rex Trojanorum, cum vellet aedificare Trojam, evocavit Neptunum, Apollinem et Mercurium sibi in adjutorium, promittens eis se mercedem redditurum civitate aedificata. Unde illi irati subverterunt eam primo per Herculem, deinde per Graecos. 23) Al. *damnatam*, sc. Ilion. 24) C. Gu. *Cum populo fraudulento et duce.* 25) Lacaenae adulterae, sc. Helenae. 26) C. 1. Gl. Famosus Paris. 28) Hector enim prae omnibus pugnabat, et ipse Graecos vincebat. 29) C. Gu. Nostris productum. 30) C. 4. *Protenus graves*, Gl. et graves. Al. *bellum cessavit* pro *resedit.* 32) C. 1. *Troica*, Gl. Ilia enim de genere fuit Trojana. 34) C. 1. Gu. *discere*, Gl. assuescere saporibus nectaris. 38) C. 1. Gl. Tolerabilius se ferre confirmat, ut longo spatio maris interjecto Romae potius regnent Trojanorum nepotes, quam ut Ilium fruatur imperio. 41) C. 1. Gl. Insultet mingendo super illius bustum. 42) C. 1. Gl. stet Capitolium, dummodo Ilium ruit. 43) Al. *triumphantisque.* 45) C. 1. Gl. in ultimas, sc. usque ad Britanniam. 46) Medius liquor, sc. mare Mediterraneum. 47) Al. *Decernit.* C. Gu. *Europam.*

    Qua tumidus rigat arva Nilus:
Aurum irrepertum, et sic melius situm,
Quum terra celat, spernere fortior,
  Quam cogere, humanos in usus;
    Omne sacrum rapiente dextra.
Quicumque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis; visere gestiens,
  Qua parte debacchentur ignes,
    Qua nebulae, pluviique rores.
Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico: ne nimium pii,
  Rebusque fidentes, avitae
    Tecta velint reparare Trojae.
Trojae renascens alite lugubri
Fortuna, tristi clade iterabitur;
  Ducente victrices catervas
    Conjuge me Jovis, et sorore.
Ter si resurgat murus aëneus
Auctore Phoebo; ter pereat meis
  Excisus Argivis; ter uxor
    Capta virum, puerosque ploret.
Non haec jocosae conveniunt lyrae:
Quo, Musa, tendis? Desine pervicax
  Referre sermones Deorum, et
    Magna modis tenuare parvis.

---

50) C. 1. *cedat.* C. Gu. *celet.* 51) *Cogere*, C. 1. Gl. congregare. 53) Al. Quacunque, et mundi. Gl. habitatoribus mundi. C. 4. terminus extitit. 54) C. 1. 4. Gu. *tanget*, Gl. miles Romanus. C. Gu. *insere gestiens.* Markland: *vincere gest.* 55) Ignes ferveant. C. Gu. *debacchantur.* 62) *Iterabitur*, Gl. evertetur. 67) Al. *Excissus.* Sub uxore Andromachen intelligi volunt propter Hectorem et Astyanacta, ait Gl. 69) C. 4. *convenient.* C. 1. *Non hoc j. conveniat*, al. *conveniet.* C. Gu. *Non hoc i. convenit.* 70) Al. *tendes?* 72) Lyris metrorum modulationibus.

ODE IV.

AD CALLIOPEN.

Poeta se a multis periculis Musarum ope ereptum fuisse dicit, et tutum Augustum fore.

Metrum quale I. 9.

Descende coelo, dic, age tibia,
Regina, longum, Calliope, melos;
Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus citharaque Phoebi.
Audiris? an me ludit amabilis
Insania? Audire et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae.
Me fabulosae Vulture in Appulo,
Altricis extra limen Apuliae,
Ludo, fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes
Texere: mirum quod foret omnibus,
Quicunque celsae nidum Acherontiae,
Saltusque Bantinos, et arvum
Pingue tenent humilis Forenti;
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem, et ursis; ut premerer sacra
Lauroque, collataque myrto,
Non sine Dis animosus infans.

ODE IV. Cod. 1. *Ad Calliopen Musam.* 1) C. 1. *coelo et dic.* 3) C. 4. *nunc majus.* 4) C. 1 et 4. *citharave.* 5) Al. *Auditis, audistis.* 9) Al. *volture in abdito.* C. Gu. *apulo.* 10) C. 4. *Nutricis extra.* C. 1. *limina Pulliae*, fors *Publiae.* 11) C. Gu. *fatigatum et somno.* 12) *Palumbes*, sc. agrestes columbae. 14) C. 1. *Acherunciae*, Gl. quae oppidum est Apuliae conterminium Lucaniae, quod nidum vocat s. quod parvum, sive quod in summitate montis situm est. 15) Bantia, civitas Apuliae, fuit conterminata Venusinae civitati. Al. *Batinos, Bathinos.* 16) C. 1. *Farenti.* C. 4. *Ferenti*, Gl. similiter oppidum Apuliae Venusinae civitati vicinum, quod ideo humile appellatum, quia in valle situm est. C. Gu. *Tarenti.* 19) Periculum mortis se dicit praesidio musarum effugisse, quando ab Augusto fusus est Brutus apud Philippos urbem, cujus partes sequebatur Horatius. C. Gu. *collata myrto.* 20) C. 4. *Diis*, ut semper.

Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos: seu mihi frigidum
Praeneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidae placuere Bajae.
Vestris amicum fontibus, et choris
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non exstinxit arbor,
Nec Sicula Palinurus unda.
Utcunque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo, et urentes arenas
Littoris Assyrii viator.
Visam Britannos hospitibus feros,
Et laetum equino sanguine Concanum;
Visam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Caesarem, altum militia, simul
Fessas cohortes reddidit oppidis,
Finire quaerentem labores,
Pierio recreatis antro.
Vos lene consilium et datis, et dato
Gaudetis, almae. Scimus, ut impios
Titanas, immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat

---

23) Praeneste, Latii oppidum; Tibur, Tivoli in colle leniter assurgente positum. 24) C. 1. Gl. liquidis aquis circumdatae. 25) Acies retro, exercitus in fugam. 27) C. 4. Extinguit. 28) Palinurus promontorium Lucaniae in ora, notum naufragiis, ab Aeneae gubernatore, Palinuro, ita dictum. C. Gu. *Non sic.* 30) C. 1. *Bosforum Temptabo*, Gl. Bosph. mare a natatu bovis dictum. 31) Al. *arentes.* Gl. Littus etiam camporum extremitatem veteres dicebant. 33) C. 1. Gl. Britanni enim immolare hostes dicebantur. C. 1. postponit versum 33: Visam etc. versui 34: Et laetam etc. 34) C. 4. *Concavum;* sed Concanum, gens Cantabriae in Hispania Tarracon. 35) Gelonos, gens Scythiae sagittis potens. C. 4. *Gelones.* 36) Amnem, i. e. Tanaim. 37) Al. *Vos Caesarem altum, militia* etc., sed inepte. 38) Al. *abdidit, addidit.* 39) *Lenire quaerentem labores*, censet Markland. 40) C. 1. Gl. Pierio musico secreto, ut ostenderet Caesarem poeticae quoque artis studiosum. Pierius mons Musis sacratus, unde Musae Pierides vocantur. C. Gu. *Recreatis Pierio.* 43) Al. *gigantumque turbam.* Zeus tacite designatur ex actibus ipsius. 44) Caduco, i. e. mortifero. Bentl. *corusco.*

Ventosum, et urbes, regnaque tristia,
Divosque, mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.
Magnum illa terrorem intulerat Jovi
Fidens juventus, horrida brachiis;
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed quid Typhoeus et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhoetus, evulsisque truncis
Enceladus jaculator audax,
Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Vulcanus; hinc matrona Juno, et
Nunquam humeris positurus arcum,
Qui rore puro Castaliae lavit
Crines solutos; qui Lyciae tenet
Dumeta, natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis consili expers mole ruit sua:
Vim temperatam Dî quoque provehunt
In majus: idem odere vires
Omne nefas animo moventes.
Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum; notus et integrae
Tentator Orion Dianae,
Virginea domitus sagitta.
Injecta monstris Terra dolet suis;

---

46) Bentl. *umbras*, al. *orbes* pro *urbes*. Regnaque trist. sc. Parthorum, Arabum etc. 47) Al. *turmas*. 49) C. Gu. *intulerit*. 50) Al. *Fidens juventas*, C. 4. *brachiis horrida*. 51) Fratresque, Gl. Olthum et Ephialthem, qui singulis mensibus novem digitis crescebant. Hac magnitudine freti imposuerunt montes montibus, ut Jovem detruderent, sed fulmine icti sunt. 53) Nomina gigantum. C. Gu. *Tipheus*. 54) C. Gu. *Porphyrion minaci*. 55) C. 1. *evolsisque*. Al. *Rhoecus*, *Roethus*. 58) Al. *Pollent*. 59) C. 1. *Volcanus*, cui consentit Mitscherlich. 61) Fons in Parnassi jugo, Apollini sacer. 63) C. 1. *Deserta*. Markland sic interpungit: *natalemque silvam Delius, et Pat.* 64) Apollo in Delo insula natus, et in Patara, Lyciae urbe, oracula edens. 65) C. Gu. *Vis consilii expers mole sua ruit*. 69) C. 1. 4. Gu. *Gigas*, al. *Gyas*. 71) Orion, gigas fortissimus et infamis ob tentatam a se Dianam.

Maeretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum: nec peredit
Impositam celer ignis Aetnen:
Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales, nequitiae additus
Custos: amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.

ODE V.

IN LAUDEM CAESARIS AUGUSTI.

Augustum laudat, quod armorum suorum metu Britannos, maxime vero Parthos, subegerit et restituerit; milites Crassi vituperat, et inde fortitudinem Reguli exaltat.

Metrum quale I. 9.

Coelo tonantem credidimus Jovem
Regnare: praesens Divus habebitur
Augustus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.
Milesne Crassi conjuge barbara
Turpis maritus vixit? et hostium
Pro Curia, inversique mores!
Consenuit socerorum in arvis,
Sub rege Medo, Marsus, et Appulus,
Anciliorum, et nominis, et togae

---

74) Partus missi ad Orcum sunt Titanes. Al. *Moeret*. 76) C. 1. *Aethnam*, C. 4. *Aetnam*, al. *Ethnen*. 77) Tityus aeternas incontinentiae suae poenas apud inferos luit. C. Gu. *Ticii*. 80) C. 1. Gl. Pirithous cum Theseo descendit ad inferos, et conatus est Proserpinam inde rapere; sed est retentus, et catenis vinctus.

ODE V. C. 1. *Ad Ducem Augustum*. 1) C. Gu. *tonantem si credimus*. 2) Praesens Divus, al. *conspiciendus*, Gl. certus Divus. 5) C. 1. Gl. Miles Crassi, a Parthis ignominiosa clade affecti, potuitne captivus cum conjuge alienigena vivere? 7) Al. Proh Curia, inversosque mores. 8) C. 1. 4. Gu. *armis*. Al. *Resedit* pro *consenuit*. 10) C. 1. Gl. Anciliorum, pignorum aeterni imperii, divinorum scutorum, Romanae gloriae et dignitatis, Romanorumque Deorum.

Oblitus, aeternaeque Vestae,
Incolumi Jove, et urbe Roma?
Hoc caverat mens provida Reguli,
Dissentientis conditionibus
Foedis; et exemplo trahentis
Perniciem veniens in aevum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris, et arma
Militibus sine caede, dixit,
Derepta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero;
Portasque non clausas, et arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit? Flagitio additis
Damnum. Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco;
Nec vera virtus, quum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis; erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus;
Et Marte Poenos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic, unde vitam sumeret, inscius,
Pacem duello miscuit: o pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiae ruinis!
Fertur pudicae conjugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,

---

14) C. 4. *seditionibus*, pro conditionibus. C. Gu. *Dissentis cond.* 15) Al. *exemplis*, al. *trahenti.* 18—20) C. 1. Gl. Ut suorum significaret ignaviam, nec eos redemptione dignos, nudatos eos sine caede haberet. C. Gu. *edixit.* 21) C. 1. 4. Gu. *Direpta.* Ad *vidi* Gl. addit, magis dolemus de his, quae videmus, quam de auditis. 23) Al. *clusas.* C. 1. Gl. addit: Carthaginis aliarumque urbium. Signum enim securitatis est, quod dicit, se vidisse apertas portas Afrorum. C. Gu. *portas non.* 27) C Gu. *nec amissos.* 28) C. 4. *succo*, pro fuco tincta. 29) C. 4. *exscidit.* 33) Bentl. *dedidit*, C. 1. Gl. *tradidit.* 34) Al. *Et morte.* 37) Al. *Hinc, his.* C. 1. *aptius* pro inscius. 42) Capitis minor, Gl. servus factus per captivitatem.

Ab se removisse; et virilem
Torvus humi posuisse vultum:
Donec labantes consilio Patres
Firmaret auctor nunquam alias dato;
Interque maerentes amicos
Egregius properaret exsul.
Atqui sciebat, quae sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quam si clientum longa negotia,
Dijudicata lite, relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedaemonium Tarentum.

ODE VI.

A D R O M A N O S.

Corruptelam morum, et contemptum Deorum illis exprobrat.

Metrum quale I. 9.

Delicta majorum immeritus lues,
Romane, donec Templa refeceris,
Aedesque labentes Deorum, et
Foeda nigro simulacra fumo.
Dis te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.
Jam bis Monaeses, et Pacori manus

---

43) C. 4. Gu. *A se.* 44) *Torvus, terribilis et constans.* C. 1. voltum, ut Mitscherlich, et ita semper. 45) Labantes, dubitantes de consilio ipsius Reguli, quid agendum sit. 47) Al. *moerentes.* 53) C. 1. Gu. *clientium.* 54) C. 1. *Disjudicata.* 56) Tarentum Calabriae urbs maritima.

ODE VI. Cod. 1. Ad Augustum. Prosentice. 2) C. 1. Gl. templa cadentia. 3) Al. *Sedesque labantes.* 9) C. 1. *Monaesis*, C. 4. *Monessis*, C. Gu. *Monesis*, Gl. dux — et Pacorus, rex Parthorum, filius regis Orodis.

Non auspicatos contudit impetus
Nostros; et adjecisse praedam
Torquibus exiguis renidet.
Paene occupatam seditionibus
Delevit Urbem Dacus, et Aethiops;
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.
Fecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere, et genus, et domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam, populumque fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, et fingitur artibus
Jam nunc, et incestos amores
De tenero meditatur ungui.
Mox juniores quaerit adulteros
Inter mariti vina; neque eligit,
Cui donet impermissa raptim
Gaudia, luminibus remotis:
Sed jussa coram, non sine conscio
Surgit marito; seu vocat institor,
Seu navis Hispanae magister,
Dedecorum pretiosus emptor.
Non his juventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico;
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemque dirum:
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, et severae
Matris ad arbitrium recisos
Portare fustes; Sol ubi montium
Mutaret umbras, et juga demeret
Bobus fatigatis, amicum

10) Non auspicatos, sine voluntate Deorum. Al. *Inauspicatos.* 12) C. 1. *renitet.* C. Gu. *renidet exiguis.* 14) Scythae et Aegyptii sub Antonio et Cleopatra. 15) Dacus est peritior arte sagittandi. 18) Corrupere adulteriis matrimonia. 20) Bentl. *Inque patres, populumque.* 22) Al. *frangitur artubus.* Al. *fungitur artibus*, *fingitur arcubus.* 26) Inter domestica sui mariti convivia impulsu conjugis suae celebrata, vel inter epulas nuptiales. 27) Al. *intermissa.* 28) *Oscula* pro *gaudia.* 30) Institor, negotiator, homo vilis et contemptus. 31) C. Gu. *Hispaniae.* 35) C. 4. *scicidit.* 36) C. 4. *Antilochum — durum.* 41) Al. *fustis.* 43) Al. *Bubus.*

Tempus agens abeunte curru.
Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

ODE VII.

AD ASTERIEN.

Consolatur eam de viri sui absentia moestam, monetque, ut fidem ei datam servet.

Metrum idem quod I. 5.

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii,
Thyna merce beatum,
Constantis juvenem fide,
Gygen? Ille Notis actus ad Oricum,
Post insana Caprae sidera, frigidas
Noctes non sine multis
Insomnis lacrimis agit.
Atqui sollicitae nuntius hospitae,
Suspirare Chloën, et miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.
Ut Proetum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert.
Narrat paene datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens;

ODE VII. 2) Favonii, venti occidentales. 3) *Thyna*, i. e. Bithyna. C. Gu. *Thyma.* 4) C. 4. Gu. *fidei.* 5) Quibuslibet ventis ad portum et oppidum in Epiro. 6) C. 4. *Post insana*, *Caper*, *foedera*, Gl. hiemali tempore. 9) Internuntius a Chloë ad amatorem missus. 10) Amoris desiderio ingemiscere. 11) C. 4. *veri* pro *uri.* 13) Proetum, sc. maritum suum, cujus mulierem alii Anteam, alii Sthenobaeam vocant. 15) Glauci, Ephyrae regis, filio. 17) Pelea, Aeaci filium, Thessaliae regem. 18) C. 4. Magnessem, ex Magnesia, Thessal. civitate, oriundam.

Et peccare docentes
Fallax historias movet;
Frustra: nam scopulis surdior Icari
Voces audit adhuc integer. At, tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus justo placeat, cave:
Quamvis non alius flectere equum sciens
Aeque conspicitur gramine Martio,
Nec quisquam citus aeque
Tusco denatat alveo.
Prima nocte domum claude; neque in vias
Sub cantu querulae despice tibiae:
Et te saepe vocanti
Duram difficilis mane.

ODE VIII.

AD MAECENATEM.

Ad Matronalia hilariter celebranda, vitae servatae memor, ipsum invitat.

Metrum quod I. 2.

Martiis caelebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores, et acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo
Cespite vivo,
Docte sermones utriusque linguae.
Voveram dulces epulas, et album
Libero caprum, prope funeratus

---

20) C. 4. *Fallas, historias monet*. Al. *Pellax*, i. e. in fraudem inducens. C. 1. *monet*, Gl. add. illum. 21) Scopulis surdior Icari maris immobilibus. 22) Al. *Voces spernit*. 28) In Tiberino fluvio, campo Martio vicino, qui Tusciam a Sabino dividit, secundo flumine deorsum natat. 30) Al. *cantum*. 31) C. Gu. *Et saepe voc.*

ODE VIII. 1) C. 1. *celebs*, al. *coelebs*. 3) C. 4. *positus carbo*, sine: *que*. 4) C. 1. *In* cespite vivo. 5) C. Gu. *sermonis*. 7) Caper ideo dabatur Libero patri, eo quod sit vineis contrarius. Alba erat victima: nam Diis infernalibus semper nigra offerri debuit.

Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte, festus
Corticem adstrictum pice demovebit
Amphorae, fumum bibere institutae
Consule Tullo.
Sume, Maecenas, cyathos amici
Sospitis centum; et vigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor, et ira.
Mitte civiles super Urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen:
Medus infestus, sibi luctuosis
Dissidet armis:
Servit Hispanae vetus hostis orae,
Cantaber, sera domitus catena:
Jam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere:
Dona praesentis cape laetus horae, et
Linque severa.

---

10) C. 1 et 4. *dimovebit*, Gl. ideo amphora fumum bibit, quia in fumario domus ponitur, et quia favilla corticis amphorae superducitur. C. Gu. *cortice*. 12) L. Volcatius Tullus a. V. C. 688 cum M. Aemilio Lepido Consul fuit. 13) *Amici*, sc. Horatii. Cyathus, cochlearis forma, inserviebat vino et aqua in cratere temperando et inde in pocula effundendo. 14) Vigiles lucernas, quae coram vigilantibus ardent in officio. 15) Al. *Praefer*, *profer*, *prefer*, *refer*. 18) Cotiso est nomen regis Dacorum s. Getarum, quos Octavianus vicit. 19) Medi infesti erant Romanis. Al. distinguunt ita: *Medus*, *infestus sibi*, *luctuosis*. Al. *Medus infestus sibi luctuosus*. Al. *Medus infestis* etc. 22) C. 1. Gl. sera catena, i. e. tarda servitute, quia cum difficultate ab Augusto superati sunt. 23) C. 1. Gl. ut eos distensis arcubus victos et fugientes ostenderet. 25) C. 4. *laborat*. Al. *Neglegens*. 26) C. 1. *cavere, et*. Markland: *Parce privatis*. 27) C. 1 et 4. *rape laetus horae*, *Linque severa*. Al. *horae, ac*. C. Gu. *horae* sine *ac*.

ODE IX.
AD LYDIAM.

Dialogus est de praeteritis amoribus, eisdemque renovandis, inter Horatium et Lydiam.

Metrum quod I. 3.

Hor. Donec gratus eram tibi,
Nec quisquam potior brachia candidae
Cervici juvenis dabat;
Persarum vigui rege beatior.
Lyd. Donec non alia magis
Arsisti, neque erat Lydia post Chloën;
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.
Hor. Me nunc Thressa Chloë regit,
Dulces docta modos, et citharae sciens:
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animae fata superstiti.
Lyd. Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti:
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.
Hor. Quid? si prisca redit Venus,
Diductosque jugo cogit aheneo?
Si flava excutitur Chloë,
Rejectaeque patet janua Lydiae?
Lyd. Quamquam sidere pulchrior
Ille est, tu levior cortice, et improbo
Iracundior Hadria;
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

ODE IX. Alii: *Carmen Amoebaeum.* 2) Al. *melior.* 6) C. 1. *aliam.* 6) C. Gu. *nec.* Markland: *neque eram Lydia.* 9) Al. *Me nunc animae*, al. *Cressa*; Gl. ex Thracia. C. 1 et 4. *riget*, Gl. *et regit.* 12) C. 4. Gu. *parcant.* 13) Amore reciproco. 14) C. 1. Gl ex Thura, oppido Italiae, in sinu Tarentino. Calais juvenis fuit valde pulcher. 17) Al. *Quodsi.* 18) C. 4. Diductoque. C. 1. Gl. Quid facies, si prisca voluptas divisos coadunat inseparabili modo? — Al. *aeneo.* 20) C. 4. pât, quod pro *patet* aeque ac pro *placet* valere potest. 21) C. 1. *Quamvis.* 22) C. 1. Gl. Tu levior in amore es, et saevior mari Adriatico procelloso. C. Gu. *Ille tu levior.* 23) C. 1. Gl. amantium ira integratio amoris est. Al. *Adria.*

ODE X.
AD LYCEN.

Lycen monet, ut posita duritie sibi supplici parcat.

Metrum quod I. 6.

Extremum Tanain si biberes, Lyce,
Saevo nupta viro; me tamen asperas
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis, quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulchra satum tecta remugiat
Ventis? et positas ut glaciet nives
Puro numine Jupiter?
Ingratam Veneri pone superbiam;
Ne currente retro funis eat rota.
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.
O, quamvis neque te munera, nec preces,
Nec tinctus viola pallor amantium,
Nec vir Pieria pellice saucius
Curvat; supplicibus tuis
Parcas, nec rigida mollior aesculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit liminis aut aquae
Coelestis patiens latus.

ODE X. Cod. 1. *Ad Lycen superbam in amantes.* 1) C. 4. *viveres*, Gl. liberes. Tanais est remotissimus Thraciae fluvius gelidus. C. Gu. *biberis.* 2) C. 4. *asperum.* C. Gu. *asperis.* 3) Al *Prorectum, projectum*, i. e. prostratum. C. 1. *foras*, Gl. *fores.* 5 Al. *Queis*, sc. ventis. 6) C. 4. Gu. *situm*, al. *sacrum.* 7) Bentl. *Sentis* pro *ventis.* 9) Pone, i. e. depone, abjice superbiam, qua me amatorem contemnis. 10) Al. *rota funis eat retro.* 11) C. 1. *Penelopin*, Gl. haec omnes repudiavit sponsos. 12 Tyrrhenus, i. e. Italus, Etruscus. 15) C. 1. Gl. Poeta hic vult intelligi, hanc meretricem etiam virum suum despexisse, unde ei pellicem superduxit nomine Pieriam. 16 Markland: *Flectit* pro *curvat.* 17) C 4. *nec frigida mollior aesculo.* 18) Mauris, i. e. summe venenatis. Animum pro animo. 20) C. 1. Gl. Non semper ero juvenis, ut possim super limen januae tuae cubare, idque coelo pluvioso.

ODE XI.

AD MERCURIUM.

Mercurium rogat, ut cantus sibi dictet, quibus animum Lydes flectat in ejus amorem.

Metrum quale I. 2.

Mercuri, (nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides, canendo)
Tuque, Testudo, resonare septem
Callida nervis,
Nec loquax olim, neque grata, nunc et
Divitum mensis, et amica templis;
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures;
Quae, velut latis equa trima campis,
Ludit exsultim, metuitque tangi;
Nuptiarum expers, et adhuc protervo
Cruda marito.
Tu potes tigres, comitesque silvas
Ducere, et rivos celeres morari:
Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulae,
Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter, saniesque manet
Ore trilingui.
Quin et Ixion, Tityosque vultu
Risit invito: stetit urna paullum

ODE XI. Cod. 1. *Prosphonetica Mercurio Lydaeque.* 1) *Docilis*, C. 1. Gl. doctus. 2) Amphion, Jovis ex Antiopa filius. 3) Testudo, lyra. 4) Callida, C. 1. Gl. docti rem callent. 5) Nec loquax, sonora, antequam Mercurius te inveniret. 9) C. 4. *velut campis — latis.* *Trima*, Gl. trium annorum. 11) Expers, nescia conjugii. 12) Crudelis, intempestiva. 13) Tu potes tigres, juxta fabulam Orphei. Comitesque i. e. ut te comitentur. 15) Tibi dulce canenti crudelis janitor inferni. 17 — 18) Plures hos duos versus emendare volunt ita: „Cerberus; quanquam furiale centum Muniunt angues caput, ejulatque.“ (Conf. Bibl. cr. 1820, 1, 59). 21) Ixion, qui Iunoni stuprum inferre volens ad inferos detrusus est. Tityos immanis gigas, qui Latonam de stupro compellens, ab Apolline sagittis confossus est. C. Gu. *Ixion* Titiusque vultu.

Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde scelus, atque notas
Virginum poenas, et inane lymphae
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata,
Quae manent culpas etiam sub Orco.
Impiae, nam quid potuere majus?
Impiae sponsos potuere duro
Perdere ferro.
Una de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, et in omne virgo
Nobilis aevum:
Surge, quae dixit juveni marito;
Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur; socerum, et scelestas
Falle sorores:
Quae, velut nactae vitulos leaenae,
Singulos, heu, heu! lacerant: ego illis
Mollior, nec te feriam, neque intra
Claustra tenebo.
Me pater saevis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci,
Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget.
I, pedes quo te rapiunt et aurae,
Dum favet nox et Venus: i secundo
Omine; et nostri memorem sepulcro
Scalpe querelam.

---

23) Puellas, i. e. filias. 27) C. 1. *pereuntes*, Gl. pereuntis. 23) Markland: *Certaque fata.* 30) Al. *quid nam.* Impiae, i. e. detestandae. 31 — 32) Al. *potuere ferro Perdere duro.* 33) Face nuptiali, i. e. amore maritali. Hor. facem nupt. vocat matrimonium, quia ad faces noctibus nubebant. 34) C. 1. Gl. adjurantem contra patrem. 38) Unde, h. e. a patre meo, de cujus parte non speras tibi pervenire mortem. Surge, inquit, ne per somnum corporis ad somnum mortis pervenias. 41) C. 1. *catulos.* 42) Al. *eheu!* C. Gu. *Singulis heu heu lac.* 43) Nec te feriam, i. e. occidam. C. Gu. *nec intra.* 46) Al. *demens.* 47) Numidiae pars est ultima Africae, sicca et saxosa, ad quam in exilium religabantur rei, ut ibi columnas inciderent. 50) C. 4. *Venus: secundo*, sine: *i.* 52) C. 4. *Sculpe.*

ODE XII.

AD NEOBULEN.

Neobule, Hebri adolescentis amore capta, vitam agit inertem et desidiosam.

Metrum Ionicum a minore.

⏑⏑ – – | ⏑⏑ – – | ⏑⏑ – – | ⏑⏑ – ⏑

Miserarum est, neque Amori dare ludum, neque dulci
Mala vino lavere; aut exanimari, metuentes
Patruae verbera linguae. Tibi qualum Cythereae
Puer ales, tibi telas, operosaeque Minervae
Studium aufert, Neobule, Liparei nitor Hebri,
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis,
Eques ipso melior Bellerophonte, neque pugno,
Neque segni pede victus: catus idem per apertum
Fugientes agitato grege cervos jaculari, et
Celer arto latitantem fruticeto excipere aprum.

ODE XII. C. 1. *Ad Neobulem.* Gl. addit: Scribit ad amicam, amantem Ebrum adolescentem, et detestatur, insuavem esse vitam sine alacritate et amore. 1) C. Gu. *nec amori.* 2) C. 4. *examinari.* C. Gu. *metuentis.* 3) C. 1. Gl. Filius Veneris a monte Gythero. Puer, cupido alatus. 4) Operosae Minervae, i. e. muliebris operis, cui praeest Minerva. C. Gu. *tedas.* 5) C. 4. *Neobole,* Liparei, i. e. ex Lipara insula. C. Gu. *Neubole.* 7) C. 4. Gu. *ipse melior Bellerophonte*, qui equo alato Pegaso insidens chimaeram interfecit. 8) *Victus*, C. 1. Gl. neque pugili, neque atletico certamine, neque fortitudine, neque velocitate. — Catus i. e. doctus, sciens. C. Gu. *per aperta.* 9) C. 1. *Fugientis.* C. Gu. *iaculari*, sine *et.* 10) Al. *arcto*, *alto.* Fruticeto, i. e. virgulto. C. Gu. *latitante fructiceto.* (Metrum Codicum omnium differt quidem ab illo nostri impressi, sed hoc videtur esse optimum.)

ODE XIII.

AD FONTEM BANDUSIUM.

Sacrificium fonti Bandusino promittit, ejusque amoenitatem summopere commendat.

Metrum ut Lib. I. Carm. 5.

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus
  Cras donaberis haedo,
    Cui frons turgida cornibus
Primis, et Venerem, et proelia destinat;
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
  Rubro sanguine rivos
    Lascivi suboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere: tu frigus amabile
  Fessis vomere tauris
    Praebes, et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
  Saxis, unde loquaces
    Lymphae desiliunt tuae.

ODE XIII. C. 1. *Ad fontem Bandusium, qui est in Sabinis.* Al. *Bandusiae*, *Blandusiae.* 3) C. 1. Gl. Ipse enim haedus coronabitur floribus. Amphibolicum tamen est, utrum dicat Hor., donaberis haedo floribus, an haedo floribus coronato. 4) C. 4. *fons.* Al. *frons horrida.* 5) Primis, i. e. incipientibus. C. 4. *destinet*, i. e. meditatur et disponit. Maturi enim et appetere Venerem, et propterea pugnare consueverant. C. Gu. *Primus.* 6) Tibi, i. e. in honorem tuum. Bentl. *liquidos* pro *gelidos.* 8) C. 1 et 4. *soboles*, Gl. ipse haedus filius lascivae caprae. 9) C. 1. *ora.* C. Gu. *flagrantius.* 10) C. Gu. *Nescis.* 13) C. 1. *nobilum.*

ODE XIV.

AD POPULUM ROMANUM.

Haec Ode laudes continet Augusti ex Hispania, devictis Cantabris, revertentis; et Vates ad festum celebrandum, populum, et se excitat.

Metrum quale I. 2.

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiisse laurum,
Caesar, Hispana repetit Penates
Victor ab ora.
Unico gaudens mulier marito
Prodeat, justis operata Divis;
Et soror clari ducis, et decorae
Supplice vitta
Virginum matres, juvenumque nuper
Sospitum. Vos, o pueri, et puellae
Jam virum expertes, male ominatis
Parcite verbis.
Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas: ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente
Caesare terras.
I, pete unguentum, puer, et coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli;
Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa.

ODE XIV. C. 1. *Paranetice Civibus in Augustum.* C. 4. *De Augusti reditu ab Hispania.* Al. *Ad Romanos.* Al. *In Augusti ex Hispania reditum.* 2) C. Gu. *Marte.* 4) C. 1. *ab hora.* 6) Al. *castis*, vel *sacris*, *ope Deis.* C. 1. Gl. Hor. invitat omnem sexum, aetatem et conditionem, ut Augusto procedant obviam, laudes decantent, et hostias immolent. 7) C. Gu. *decore.* 8) C. 4. *vita.* C. Gu. *Suplice victa.* 10) C. 4. *Sospitem.* C. 1. Gl. nunc per Augustum sospitum futurorum. 11) C. 1. Gu. *nominatis*, Gl. male dictis, sed potius sinistri nominis. Puellae virorum expertes sunt adhuc innuptae. Al. *inominatis.* 14) C. 1. Gl. Praecepit omnibus, tam matribus, quam filiis ac filiabus, ut in die festo reversionis Caesaris procul removeant a se lites, jurgia et maledicta, quae solent plerumque in convivio nasci. 17) Vanderbourg: *o puer.* 18) Vinum anno, quo bellum Marsicum saeviit, conditum. 19) C. 1. *Spartagum.* Bentl. *si qua* i. e. via, ratione, vel testa. Al. *si quae.* 20) C. 1. Gl. inebriare.

Dic et argutae properet Neaerae
Myrrheum nodo cohibere crinem.
Si per invisum mora janitorem
Fiet, abito.
Lenit albescens animos capillus
Litium, et rixae cupidos protervae.
Non ego hoc ferrem, calidus juventa,
Consule Planco.

ODE XV.

IN CHLORIM.

Ut, jam vetula, petulantiae, et libidini modum constituat.

Metrum quale I. 3.

Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiae fige modum tuae,
Famosisque laboribus:
Maturo propior desine funeri
Inter ludere virgines,
Et stellis nebulam spargere candidis,
Non, si quid Pholoën satis,
Et te, Chlori, decet: filia rectius
Expugnat juvenum domos,
Pulso Thyias uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Lascivae similem ludere capreae:
Te lanae prope nobilem
Tonsae Luceriam, non citharae, decent,
Nec flos purpureus rosae,
Nec poti, vetulam, faece tenus cadi.

---

21) C. 1 *Neerae*; Fea: Neaetae, Gl. nomen puellae citharisticae. C. Gu. *argute.* 22) C. 1. *Murreum*, Gl. etiam concubinam suam ob voluptatem venire ad se jubet. Bentl. *myrreum nodo cohibente.* C. Gu. *nolo coh.* 26) C. Gu. *cupidus.* 28) Hoc significat, se tempore Planci Consulis fuisse adhuc juvenem. C. Gu. *Plauto.*

ODE XV. C. 1. *Mentice ad Chloriden.* Al. *Chlorin.* 2) Al. *pone.* 4) Vanderbourg: *proprior.* 6) C. 1. *candidus*, Gl. dedecus immittere. 8) C. 1. et 4. *Chloë.* 10) C. 4. *concia.* Gl. Thyias filia Chloridis furore libidinis ita incitatur, ut Baccha tympanorum impulsu. C. Gu. *thias.* 11) Nothi, i. e. novi amatoris. 12) Capreae genus pecudis, libidini aptum. 16) C. 1. *Nec poti, vetula,* f. t. *cali.* Al. *Sed poti, vetula.*

ODE XVI.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Exsecratur insanum divitiarum amorem, seque parvo beatum ostendit.

Metrum quod I. 6.

Inclusam Danaën turris ahenea,
Robustaeque fores, et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
  Nocturnis ab adulteris;
Si non Acrisium, virginis abditae
Custodem pavidum, Jupiter, et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
  Convers in pretium Deo.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. Concidit auguris
  Argivi domus, ob lucrum
Demersa exitio: diffidit urbium
Portas vir Macedo, et subruit aemulos
Reges muneribus. Munera navium
  Saevos illaqueant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. Jure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
  Maecenas, equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab Dis plura feret. Nil cupientium
Nudus castra peto; et transfuga divitum
  Partes linquere gestio;
Contemptae dominus splendidior rei,

ODE XVI. C. 1. *Ypotetice ad Maecenatem.* 5) C. 1. Gl. Acrisium, Danais patrem, Argivorum regem. 6) Al. *ac Venus risisset.* 7) Sciebant fore. 11) C. 1. flumineo, Gl. exaggeratio sc. rei voluptuosae. C. 4. *Fulmine! Conscidit.* 13) C. 1. *Dimersa excidio*, al. *exscidio*, Gl dejecta in excidium. 14) C. 4. *Macido*, i. e. Philippus, rex Macedoniae. Aemulos, inter se pugnantes muneribus corruptos. 18) C. 4. *Saepe perhorruit.* 19) C. 1. Gl. erigere augmentum divitiarum. 20) Maecenas eques Romanus fuit, nec voluit transire in ordinem Senatorum, et tamen sublimatus est ad Consulatum. 22) C. 4. *A Diis.* 25) Al. *Contemtae, contentae.* C. 1. Gl. addit: *ero.* C. Gu. *Conceptae dom.*

Quam si, quidquid arat impiger Appulus
Occultare meis dicerer horreis,
  Magnas inter opes inops.
Purae rivus aquae, silvaque jugerum
Paucorum, et segetis certa fides meae,
Fulgentem imperio fertilis Africae
  Fallit sorte beatior.
Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
Nec Laestrygonia Bacchus in amphora
Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
  Crescunt vellera pascuis:
Importuna tamen pauperies abest;
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
  Vectigalia porrigam,
Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa. Bene est, cui Deus obtulit
  Parca, quod satis est, manu.

ODE XVII.

AD AELIUM LAMIAM.

Ejus nobilitatem laudat; deinde admonet, ut diem crastinum, pluvium forsan, hilariter exigat.

Metrum idem quod I. 9.

Aeli, vetusto nobilis ab Lamo,
(Quando et priores hinc Lamias ferunt
  Denominatos, et nepotum

26) C. 4. *si quid arat.* Al. *non piger.* 32) *Sorte sc. mea.* C. 1. Gl. Deficit amplitudinis possessio. 34) Laestrygones habitabant in oppido Campaniae, Formiano, et vescebantur carne humana. 39) C. Gu. *Contracta.* Videor mihi magis habere in angustissima possessione mea, dum sine cupiditate sum, quam si maximum regnum Persarum haberem cum regno Trojanorum. 41) C. 1. *Halyattici*, C. 4. *Athliatei*, Gl. rex Persarum. Al. *Alyattici.* C. Gu. *Aliatici.* Al. Alyattii. 43) C. Gu. *bonum est.*

ODE XVII. C. 1. *Paranetice Aelio Lamiae.* 1) Lamo, Laestrygonum rege. C. Gu. *lamio.* 3) C. 4. *nepotem.*

Per memores genus omne fastos,
Auctore ab illo ducis originem:)
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps, et innantem Maricae
Litoribus tenuisse Lirim,
Late tyrannus: cras foliis nemus
Multis, et alga littus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet; aquae nisi fallit augur
Annosa cornix. Dum potes, aridum
Compone lignum: cras genium mero
Curabis, et porco bimestri,
Cum famulis operum solutis.

ODE XVIII.

AD FAUNUM.

Deum silvestrem precatur, ut per suos transiens agros sibi, suisque sit propitius.

Metrum quale I. 2.

Faune, Nympharum fugientum amator,
Per meos fines, et aprica rura
Lenis incedas, abeasque parvis
Aequus alumnis:
Si tener pleno cadit haedus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina craterae; vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboso pecus omne campo,
Quum tibi Nonae redeunt Decembres:

---

4) Al. *fastus.* 5) Al. *ducit.* 6) Formiarum, i. e. Laestrigonum. 7) C. 4. *et nautem*, Gl. innantem Maricae, quae nympha est mater regis Latini et uxor Fauni. Markland dubitat de voce *innantem.* 8) C. 4. *Liram.* Al. *Lirin, Lyrin.* 11) Al. *Emissa.* 13) C. 1. *potis*, C. 4. Gu. *potes*, al. *potest.* 14) Lignum ad sacrificandum. 15) Al. *porca bimestri.*

ODE XVIII. C. 1. *Proseutice in Faunum Deum agrestem.* 1) C. 4. Gu. *fugientium.* 4) Al. *Laetus alumnis*, Gl. agricolis. 6) C. Gu. *sodalis.* 7) Al. *cratere, crateri, craterrae, creterrae, crateris.* 10) C. 4. *Cum.* C. 1. *Decembris.*

Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus:
Inter audaces lupus errat agnos:
Spargit agrestes tibi silva frondes:
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

ODE XIX.

AD TELEPHUM.

Reprehendit eum jocose, quod veteres historias describens ea negligat, quae ad jucunde vivendum spectant.

Metrum quod I. 3.

Quantum distet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, et genus Aeaci,
Et pugnata sacro bella sub Ilio:
Quo Chium pretio cadum
Mercemur, quis aquam temperet ignibus,
Quo praebente domum, et quota
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da Lunae propere novae,
Da Noctis mediae, da, puer, auguris
Murenae: tribus, aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet

---

11) Al. *otiosa.* 12) C. 1 et 4. *pardus*, Gl. pagus. 14) Markland dubitat de voce *silva.* 15) C. 1. Gl. significat agricolas festivitate Fauni tripudiare, uti supra versu primo: quasi celebritate sui Nymphae Faunorum petulantiam fugiunt. C. Gu. *reppulisse.*

ODE XIX. C. 1. *Diastolice ad Telephum Murenam Augurio honoratum.* 1) C. 1. et 4. *distat*, Gl. distet. 2) C. 1. *non timidus pro patria mori.* Inachus primus Argivorum — Codrus ultimus Atheniensium rex. Aeacus, Oenopiae rex, pater Achillis. 4) C. 1. Gl. Sacro die multa numina apud Trojam colebantur. 5) Chiam vinum est pretiosissimum. 8) Pelignum oppidum apud Samnites. 11) C. 1. *Munere*, Gl. amore Murenae. Al. Muraenae. 12) C. 1 et 4. *Miscentur*, Gl. propinantur calicibus. 14) C. 1. *attonitus ter cyathos.* C. 4. *petat.* C. Gu. *potet.*

Vates: tres prohibet supra
  Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis juncta sororibus.
  Insanire juvat: cur Berecyntiae
Cessant flamina tibiae?
  Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parcentes ego dexteras
  Odi: sparge rosas: audiat invidus
Dementem strepitum Lycus,
  Et vicina seni non habilis Lyco.
Spissa te nitidum coma,
  Puro te similem, Telephe, Vespero,
Tempestiva petit Rhode:
  Me lentus Glycerae torret amor meae.

ODE XX.

AD PYRRHUM.

Nec formosum Nearchum a sua puella abstrahat.

Metrum idem quod I. 2.

Non vides, quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae?
Dura post paullo fugies inaudax
    Proelia raptor:
Quum per obstantes juvenum catervas

17) C. 1. Gl. veluti sine dolo et fraude. 18) *Berecyntiae*, Gl. Phrygiae, in qua tibiarum usus primum inventus est, hinc flamina pro soni, vocis. 20) Al. *pendent*. 21) C. 4. *dexteras ego*. Gl. Parcentes, in tangentes lyram. C. Gu. *Parcentis*. 23) Lycus quidam senex vicinus Horatii, qui invidebat hilaritati et jucunditati ejus; hinc Hor. hortatur suos ad strepitum. 24) Vicina, uxor Lyci. Markland dubitat de voce *vicina*. 27—28) C. 1 et 4. *Chloe* pro *Rhode*. C. Gu. *Cloe*. Lentus amor, i. e. serpens, qui non videtur, et tamen crescit.

ODE XX. C. 1. *Symboleutice. Ad Pyrrhum, temptando, quin Nearchum sollicitet*. 1) Al. *Num*. Vanderb. *tumultu* pro *periclo*. 2) C. 4. *Jeculae* pro *Gaetulae*. 3) C. 1 et 4. *paullum*. C. Gu. *paulum*. 4) C. 1. Gl. praelia meretricis. 5) C. 4. *Cum*, C. 1. *Quae*, Gl. Cum meretrix.

Ibit insignem repetens Nearchum:
Grande certamen, tibi praeda cedat
    Major an illi.
Interim, dum tu celeres sagittas
Promis, haec dentes acuit timendos,
Arbiter pugnae posuisse nudo
    Sub pede palmam
Fertur, et leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis:
Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
    Raptus ab Ida.

ODE XXI.

AD AMPHORAM.

Jocose eam admonet, ut vinum vetustum in Corvini gratiam effundat.

Metrum quale I. 9.

O nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris jocos,
  Seu rixam et insanos amores,
    Seu facilem, pia testa, somnum,
Quocunque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die:
  Descende, Corvino jubente,
    Promere languidiora vina.
Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus:
  Narratur et prisci Catonis

7) Certamen C. 1. Gl. erit in illo loco. 8) C. 1. Gl. Nearchus, cognosces, an illi, an tibi major praeda accedat. 10) Al. *dentes acuit superbos*. 12) Gl. Non aperte sub potestate sua palmam mercis. 13) Al. *levi recreasse*. 15) C. 1. *Nereus*, C. 4. *Qualis et Nereus fuit aut aquosa*. 16) Insula Ganimedis.

ODE XXI. C. 1. *Paranetice*. 1) Al. *Mallio*. 2) Al. *genis*. C. Gu. *seu geris*. 4) Al. *Seu facilem pia, testa, somnum*. 5) C. 4. *lctum*, Gl. lectum. Bentl. *factum numine*. 9) *Madet*, Gl. imbutus est. 10) C. 1. *negligit*, al. *negleget*.

Saepe mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu sapientium
Curas, et arcanum jocoso
Consilium retegis Lyaeo:
Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresque: et addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te Liber, et, si laeta aderit, Venus,
Segnesque nodum solvere Gratiae,
Vivaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus.

ODE XXII.

AD DIANAM.

Ei pinum villae suae imminentem consecrat, verris sanguine quotannis tingendum.

Metrum quale I. 2.

Montium custos, nemorumque, Virgo,
Quae laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisque leto,
Diva triformis:
Imminens villae tua pinus esto,
Quam per exactos ego laetus annos
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

---

12) Al. *incaluisse.* 13) C. 4. *amoves.* 15) C. Gu. *cura* (manus serior *m* superposuit). 16) *Lycaeo* sc. vino. 19) *Post te,* C. 1. Gl. post tuam potationem. C. 1 et 4. *timenti.* C. Gu. *nec iratos.* 20) Apices, sc. dignitates. 21) C. 4. *Te Liber testa, et, si laeta aderit, Venus.* 22) Nodum sc. sodalitii. 23) C. Gu. *producunt.*

ODE XXII. C. 1. *Eucharistice. Hymnus in Dianam.* 1) Al. nemorumque Virgo. 3) C. 1. *laeto,* al. *letum.* 5) Fea ait, quia pinus propria erat Isidi, quae eadem cum Diana.

ODE XXIII.

AD PHIDYLEM.

Dii, puris manibus, et conscientia vitae bene actae, sunt colendi.

Metrum quod I. 9.

Coelo supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidyle;
Si thure placaris, et horna
Fruge Lares, avidaque porca.
Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis, nec sterilem seges
Robiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.
Nam, quae nivali pascitur Algido
Devota, quercus inter, et ilices,
Aut crescit Albanis in herbis,
Victima, pontificum secures
Cervice tinget. Te nihil attinet
Tentare multa caede bidentium
Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrto.
Immunis aram si tetigit manus,
Non sumtuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penates
Farre pio, et saliente mica.

ODE XXIII. C. 1. *Proseutice monocolos Phyllidae.* 2) C. 1. *Phyllide,* C. 4. *Phillide.* 3) C. 1. *Sature,* Gl. Sithure. C. 1. *et orna,* Gl. hoc anno nata, hujus anni. 5) C. Gu. *nec tua pestil.* 7) C. 1 et 4. *Rubiginem.* 8) Al. *Pomiferi anni.* 9) In monte Algido. 11) Albanis, sc. pinguibus, in hortis. C. Gu. *Ut crescit.* 12) C. 1. *securim.* 14) Bidentium, i. e. ovium bimarum. C. 1. bibencium. 16) Rore, rosmarino. Deos parvos sc. domesticos. 17) Immunis, C. 1. Gl. innocens. 19) C. 4. Gu. *Mollibit,* al. *mollirit et adversos.* 20) C. 1. *salientem mica,* Gl. pie ablato grano salis crepante, igni reluctante.

ODE XXIV.

AD DIVITES AVAROS.

Licet omnia faciant, moriendum est.

Metrum quale I. 3.

Intactis opulentior
  Thesauris Arabum, et divitis Indiae,
Caementis licet occupes
  Tyrrhenum omne tuis, et mare Apulicum;
Si figit adamantinos
  Summis verticibus dira Necessitas
Clavos; non animum metu,
  Non mortis laqueis expedies caput.
Campestres melius Scythae,
  Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt; et rigidi Getae,
  Immetata quibus jugera liberas
Fruges, et Cererem ferunt,
  Nec cultura placet longior annua;
Defunctumque laboribus
  Aequali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
  Privignis mulier temperat innocens:
Nec dotata regit virum•
  Conjux, nec nitido fidit adultero:
Dos est magna parentium
  Virtus, et metuens alterius viri
Certo foedere castitas,
  Et peccare nefas, aut pretium est mori.
O quisquis volet impias
  Caedes, et rabiem tollere civicam;

ODE XXIV. C. 1. *Laerchetice.* 3) Caementis, Gl. aedificiis. 4) Tyrrhenum, Gl. mare Tuscum, i. e. insana aedificia illius saeculi. C. 4. Gu. *mare Ponticum,* C. 1. Gl. Publicum; al. *Punicum.* 5) *Si figat.* Markland: *Sic f. ad S. v. dura necessitas.* 6) Al. *dura necessitas*, i. e. fatum. 7) Al. *animos.* 9) Scythis plaustrum instar domus est, quando sunt vagabundi. 11) Getae ad mores barbaros adsueti. 18) C. 4. *temperet*, Gl. temperat. 20) Al. *timido adultero.* C. Gu. *Conjunx.* 21) C. 1. *parentum.* 22) Markland: *alterius tori.* 24) Al. *pretium emori,* C. Gu. *pretium est mori.* 26) C. 1. *Caedes, aut.*

Si quaeret, Pater urbium
  Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam,
  Clarus postgenitis; quatenus, heu nefas,
Virtutem incolumem odimus,
  Sublatam ex oculis quaerimus invidi.
Quid tristes querimoniae,
  Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges, sine moribus
  Vanae, proficiunt? si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
  Mundi, nec Boreae finitimum latus,
Durataeque solo nives
  Mercatorem abigunt? horrida callidi
Vincunt aequora navitae?
  Magnum pauperies opprobrium, jubet
Quidvis et facere, et pati,
  Virtutisque viam deserit arduae?
Vel nos in Capitolium,
  Quo clamor vocat, et turba faventium,
Vel nos in mare proximum
  Gemmas, et lapides, aurum et inutile,
Summi materiem mali,
  Mittamus. Scelerum si bene poenitet.
Eradenda cupidinis
  Pravi sunt elementa; et tenerae nimis
Mentes asperioribus
  Formandae studiis. Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer,
  Venarique timet; ludere doctior,
Seu Graeco jubeas trocho,
  Seu malis vetita legibus alea;
Quum perjura patris fides
  Consortem, socium fallat, et hospitem;

---

27) C. 1 et 4. *quaerit.* 30) C. 1 et 4. *Clarus post genitis*, Gl. filiis et successoribus. Al. *Carus.* C. 4. *quatinus.* 37) C. 4. *laboribus.* 38) C. Gu. *latum.* 39) Bentl. *gelu nives.* 40) C. Gu. *abigit?* (Verba: *horrida callidi*: desunt.) 41) C. Gu. *nautae.* 43) C. Gu. *Quidvis facere.* 44) Bentl. *deserere.* 48) C. Gu. et *aurum.* 49) Al. *materiam.* 50) Al. *Mittamus, scelerum.* C. G. *Mutamus. Sceleris.* 52) C. 4. *Pravae.* C. Gu. *tenere.* 54) Al. *Firmandae.* 59) C. 4. *Cum.* 60) Al. *Consortes.* C. Gu. *Fallat consortem socium et hospites.*

Indignoque pecuniam
  Heredi properet. Scilicet improbae
Crescunt divitiae: tamen
  Curtae nescio quid semper abest rei.

ODE XXV.

AD BACCHUM.

Caesaris Augusti laudes, Baccho auspice, exsequi meditatur.

Metrum ut proxime antecedenti Carmine.

Quo me, Bacche, rapis tui
  Plenum? Quae nemora, aut quos agor in specus,
Velox mente nova? Quibus
  Antris egregii Caesaris audiar
Aeternum meditans decus
  Stellis inserere, et consilio Jovis?
Dicam insigne, recens, adhuc
  Indictum ore alio. Nec secus in jugis
Exsomnis stupet Evias,
  Hebrum prospiciens, et nive candidam
Thracen, ac pede barbaro
  Lustratam Rhodopen. Ut mihi devio
Ripas et vacuum nemus
  Mirari libet! O Naiadum potens,
Baccharumque valentium
  Proceras manibus vertere fraxinos!
Nil parvum, aut humili modo,
  Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Lenaee! sequi Deum
  Cingentem viridi tempora pampino.

---

62) Al. *improbae.* Markland: *Sed licet* vel *cui licet* 1. *Crescant d.* 64) C. 1. *Crutae*, Gl. curtae.

ODE XXV. C. 1. *Erotice. Liberum Patrem invocat, laudes Caesaris dicturus.* 2) Al. Quae in nemora, et quos al. quae nemora, quos. 3) Nova i. e. divina. 5) C. Gu. *meditantis.* 6) C. 1 et 4. *concilio.* 9) C. 1 et 4. *Euchias*, Gl. Euchius, sacerdos Liberi. Al. *Insomnis.* C. Gu. *Euhias.* 10) Hebrus est Thraciae fluvius. 12) Al. *Lustratum Rhodopen; ac mihi devio.* C. 4. *aut mihi.* Rhodopes est mons Thraciae. 13) Al. *Ripam, rupes, rivos.* 16) C. 1. *fraxinus.* 18) C. Gu. *periculum* sine *est.* 19) O *Lenaee*, i. e. Bacche.

ODE XXVI.

AD VENEREM.

Senectute jam confectus, lyrae, et rebus amatoriis valedicit: Chloe poenam imprecatur, ut amet.

Metrum I. 9.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria:
  Nunc arma, defunctumque bello
    Barbiton hic paries habebit,
Laevum marinae qui Veneris latus
Custodit. Hic, hic ponite lucida
  Funalia, et vectes, et arcus
    Oppositis foribus minaces.
O, quae beatam, Diva, tenes Cyprum, et
Memphin carentem Sithonia nive,
  Regina, sublimi flagello
    Tange Chloën semel arrogantem.

ODE XXVI. C. 1. *Ad Venerem loquitur, quod neque amare, neque scribere possit propter aetatem.* 3) Arma, Gl. amores. 7—8) Funalia sunt faces, quas juvenes commissabundi prae se ferebant. Al. vectes, et harpas. Bentl. vectes securesque. C. 1. Gl. vectes et arcus significant hic membrum virile — oppositae fores sexum foeminarum, quarum usum dicit deponendum jam esse in templo Veneris. 9) C. 1 et 4. *regis Cyprum*, sine: *et.* C. Gu. *Cyperum.* 10) Al. *Memphim.* 12) Gl. arrogantem, contra me.

ODE XXVII.

AD GALATEAM.

Abeuntem et votis sequitur, et de periculis monet; Europesque fata docet.

Metrum I. 2.

Impios parrae recinentis omen
Ducat, et praegnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanivino,
Fetaque vulpes:
Rumpat et serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittae
Terruit mannos. Ego cui timebo,
Providus auspex,
Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix, ubicunque mavis;
Et memor nostri, Galatea, vivas;
Teque nec laevus vetet ire picus,
Nec vaga cornix.
Sed vides, quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. Ego, quid sit ater
Hadriae, novi, sinus; et quid albus
Peccet Iapyx.
Hostium uxores, puerique caecos
Sentiant motus orientis Austri, et
Aequoris nigri fremitum, et trementes
Verbere ripas.

ODE XXVII. C. 1. *Prosphonetice. Ad Galateam sui non esse memorem.* 1) Al. *Inpios.* 2) C. 4. *Ducant*, al. *ducit, aut.* 3) Al. *Lanibino, Lanuvinio, Lanuvii, Lavinio, Lanuvino*, quod est Latii oppidum ad viam Appiam. 4) C. 1. *Festaque volpes.* 5) Bentl. *Rumpit.* 7) C. 4 *Ego quid*, al *ego cur.* 10) C. 1. *iminentem*, Gl. imminentum. C. Gu. *imminentium.* 13) Al. *navis*, i. e. navigabis. 14) Al. *At memor.* 15) Bentl. *vetat.* C. Gu. *levis vetet.* 18) Orion pronus, in devexa coeli parte constitutus, trepidat ad occasum. 20) Iapyx est Calabriae ventus, ex Apulia flans. 21) Markland: *puerique saevos.* 22) Al. *Haedi* pro *Austri.* 23) Bentl. *gementes* pro *trementes.* 24) Al. *Verbera ripas, verbere rupes, trementis Verbera ripae.*

Sic et Europe niveum doloso
Credidit tauro latus, et scatentem
Belluis pontum, mediasque fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis studiosa florum, et
Debitae Nymphis opifex coronae,
Nocte sublustri nihil astra praeter
Vidit, et undas.
Quae simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten, Pater! o relictum
Filiae nomen, pietasque! dixit
Victa furore.
Unde quo veni? Levis una mors est
Virginum culpae. Vigilansne ploro
Turpe commissum? an vitiis carentem
Ludit imago
Vana, quae porta fugiens eburna
Somnium ducit? Meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?
Si quis infamem mihi nunc juvencum
Dedat iratae! lacerare ferro et
Frangere enitar modo multum amati
Cornua monstri.
Impudens liqui patrios Penates:
Impudens Orcum moror! O Deorum
Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda leones!
Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneraeque succus
Defluat praedae, speciosa quaero
Pascere tigres.
Vilis Europe! pater urget absens:
Quid mori cessas? Potes hac ab orno

25) C. Gu. *nimium doloso.* 26) Bentl. *at scatentem.* 29) Al. *florum*, sine: *et.* 34) C. 4. *Cretam, Pater! o relictum*, i. e. neglectum a filia. Bentl. conjicit: *relictum* (mihi) *filiae* (à me filia). 35) C. 4. *Filiae, pietasque*, sine: *nomen.* 38) C. 1. *culpa.* Markland: *virginis culpae.* 39) Al. *aut vitia, an vitio.* 41) Al. *quam.* 46) Al. *ferro*, sine: *et.* 48) Monstri, C. 4. *tauri*, Gl. aspectu foedi. 51) Al. *Si quis hoc.* C. 4. *audit.* 53) C. 1. *Antequam turpes maculae decentes Occupent malas.* 54) C. 4. *Occupat.* 65) Al. *Defluit.*

Pendulum zona bene te secuta
    Laedere collum:
Sive te rupes et acuta leto
Saxa delectant, age; te procellae
Crede veloci: nisi herile mavis
    Carpere pensum,
Regius sanguis, dominaeque tradi
Barbarae pellex. Aderat querenti
Perfidum ridens Venus, et remisso
    Filius arcu.
Mox, ubi lusit satis: abstineto,
Dixit, irarum, calidaeque rixae,
Quum tibi invisus laceranda reddet
    Cornua taurus.
Uxor invicti Jovis esse nescis:
Mitte singultus: bene ferre magnam
Disce fortunam: tua sectus orbis
    Nomina ducet.

ODE XXVIII.

AD LYDEN.

Hortatur illam, ut diem Neptuno sacram in potu et cantu hilariter simul transigant.

Metrum I. 3.

Festo quid potius die
  Neptuni faciam? Prome reconditum,
Lyde, strenua Caecubum;
  Munitaeque adhibe vim sapientiae.
Inclinare meridiem
  Sentis; ac, veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo

59) C. Gu. *secuta.* 60) Bentl. *Elidere collum.* C. 4. *Ludere c.* 62) C. 4. *Delectent.* 64) C. 1. Gl. Carpere lanam. 69) C. Gu. *tuxit.* 71) Bentl. *Jam tibi injussus,* al. *Cum tibi visus.* 72) Al. *reddit cornua taurus,* al. *reddent c. tauri.* 73) Al. *nescis?*

ODE XXVIII. C. 1. *Syllogistice. Lydae.* 1) C. 1. Gl. quid melius faciam, quam ad te venire. 2) Bentl. *facias?* 3) Caecubum vinum, repositum in interiori cellae parte. 6) Markland: *Sentis, ac veluti.* 7) C. 1. 4. Gu. *diripere,* al. *decipere.*

  Cessantem Bibuli Consulis amphoram.
Nos cantabimus invicem
  Neptunum, et virides Nereïdum comas:
Tu curva recines lyra
  Latonam, et celeris spicula Cynthiae:
Summo carmine, quae Cnidon
  Fulgentesque tenet Cycladas, et Paphon
Junctis visit oloribus:
  Dicetur merita Nox quoque naenia.

ODE XXIX.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Ad frugales epulas in Sabinum suum vocat Urbis Praefectum; petitque, ut publicas curas omittat, Deoque sinat futura.

Metrum I. 9.

Tyrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado,
  Cum flore, Maecenas, rosarum, et
    Pressa tuis balanus capillis,
Jam dudum apud me est. Eripe te morae:
Ne semper udum Tibur, et Aesulae
  Declive contempleris arvum, et
    Telegoni juga parricidae.
Fastidiosam desere copiam, et
Molem propinquam nubibus arduis:

8) Cessantem, Gl. reconditam. Calpurnius Bibulus A. V. C. 724 Consul fuit, unde aetas vini designatur. Al. amphoram? 9) C. 1. *invices,* al. *in vices, per vices.* 10) Neptuni filiarum, maris Nympharum. 12) Spicula, i. e. stimulos amoris per Venerem, Cynthiae, Dianae a Cyntho, Deli monte. 13) C. 1. *Gnido,* sc. urbs Cariae. 14) C. 1. *Paphum.* 16) C. 1. *nenia.*

ODE XXIX. C. 1. *Prosphonetice ut parunetice. Maecenati.* 1) *Tyrrhena,* i. e. Etruscorum. 2) Al. *versum.* 4) Unguentum balaninum ad crines inungendos. 6) Al. *Nec, non, neu — Aesolae, Asolae, Aefulae* etc., quae fuit colonia Romana. 7) Al. *Proclive.* 8) Telegone, Tusculum, nunc Frascati, cujus conditorem faciunt Telegonum, Ulyssis ex Circe filium.

Omitte mirari beatae
Fumum, et opes, strepitumque Romae.
Plerumque gratae divitibus vices,
Mundaeque parvo sub lare pauperum
Coenae, sine aulaeis, et ostro,
Sollicitam explicuere frontem.
Jam clarus occultum Andromedae pater
Ostendit ignem: jam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.
Jam pastor umbras cum grege languido,
Rivumque fessus quaerit, et horridi
Dumeta Silvani; caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu, civitatem quis deceat status,
Curas; et Urbi sollicitus times,
Quid Seres, et regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque discors.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus;
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest, memento
Componere aequus: cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adesos,
Stirpesque raptas, et pecus, et domos
Volventis una; non sine montium
Clamore, vicinaeque, silvae,
Quum fera diluvies quietos

---

10) Molem, C. 1. Gl. turris Maecenatiana prope alta palatia, 15) C. 1. *Caenae*, al. *cenae*. 17) Aethiopum rex, inter sidera collocatus, Cepheus. 18) Procyon stella proxima Orioni, quae ante Caniculam oritur. C. 4. *fugit*. 19) C. Gu. *vexani*. 20) C. 1. *siccas*. 22) Al. *horrida*. 23) Al. *silvarum, caret qua*. 24) C. 4. *magis*. 25) Al. *qui*. 26) Al. *orbis, urbis*. 27) Seres sunt populi Asiae Scythicae. 28) Bactra, urbs Persarum principalis pro ipsorum imperio. Al. *Tanaisve*, Bentl. *dissors*. Accolae hujus fluvii Asiam ab Europa disterminantis fuerunt discordes et belligerantes. 31) Al. *mortales — trepidant*; al. *trepidet*. 34) Al. *ferentur*. C. 1. *medio aequore*, Gl. alveo. 35) C. 4. *Eutruscum*. 36) C. 4. *abesos*, Gl. adrasos, adhaerentes, excavata rupium saxa. 37) Al. *ruptas*. 40) C. 4. *Cum*, C. Gu. *diluvie*.

Irritat amnes. Ille potens sui,
Laetusque deget, cui licet in diem
Dixisse; vixi. Cras vel atra
Nube polum Pater occupato,
Vel sole puro: non tamen irritum,
Quodcunque retro est, efficiet: neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna saevo laeta negotio, et
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quae dedit, et mea
Virtute me involvo; probamque
Pauperiem sine dote quaero.
Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere; et votis pacisci,
Ne Cypriae Tyriaeque merces
Addant avaro divitias mari.
Tunc me biremis praesidio scaphae,
Tutum per Aegaeos tumultus
Aura feret, geminusque Pollux.

---

42) Al. *degit, cui libet*. 43) Al. *Dixisse. Vixi, cras*. 44) Al. *o Pater*. 47) Al. *Definget, diffringet, diffindet*. C. 4. *infectum neque reddet*. 49) C. 1 et 4. *negotio*, sine: *et*. 52) Al. *Non mihi, nec alii benigna*. 55) C. 1. *Virtute involvor*; al. *me involvam*. 57) Al. *mugiet*. 59) C. 1. *Me currere*, Gl. decurrere. 60) C. 1 et 4. *Syriaeque*. Markland: *Tyriaeve*. 62) Al. *Dum, tum*. 63) Al. *Nudum pro tutum*.

ODE XXX.

AD MUSAM MELPOMENEN.

Famae perennitatem Poeta sibi a suis versibus pollicetur.

Metrum I. 1.

Exegi monumentum aere perennius,
Regalique situ pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga temporum.
Non omnis moriar; multaque pars mei
Vitabit Libitinam. Usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus,
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens,
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
Quaesitam meritis; et mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

ODE XXX. C. 1. *Dicit se apostelelice scriptis semper victurum.* 1) Al. *monimentum.* 7) Libitinam, Gl. Deam funerum. 10) Aufidus est Apuliae fluvius, ad quem natus est Hor. 11) Daunus est rex Apuliae, a cujus nomine fluvius sic est appellatus. 12) C. 1. Gu. *Regnator,* Gl. regnavit. 14) C. 4. *nothos.*

Q. HORATII FLACCI CARMINUM LIBER QUARTUS.

ODE I.

AD VENEREM.

Aetate sua, se jam rebus amatoriis, et carminibus ludicris haud esse idoneum. Deam ideo precatur, ut hanc provinciam Paullo Maximo, ornatissimo juveni, tradat.

Metrum ut Lib. I. Carm. 3.

Intermissa, Venus, diu,
  Rursus bella moves. Parce, precor, precor!
Non sum, qualis eram bonae
  Sub regno Cinarae. Desine, dulcium
Mater saeva Cupidinum,
  Circa lustra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis: abi,
  Quo blandae juvenum te revocant preces.
Tempestivius in domum
  Paulli, purpureis ales oloribus,
Comissabere Maximi,

LIBER QUARTUS. ODE I. C. 1. *Ad Fabium Maximum.* 1) Al. *diu, Venus.* 2) C. 4. *mones.* 4) C. 1. *Cinyrae;* al. *cynarae.* C. Gu. *cynire. desine.* 8) C. 1. *ter evocant;* al. *te revocent.* C. Gu. *blande.* 9) C. 1. *domu,* C. 4. *domo;* al. *tempestivior in domo Paulli,* i. e. Maximi Consulis A. V. C. 743. 10) C. 1. *oleribus.* 11) C. 1. *Comitabere,* C. 4. *comessabere;* al. *committabere.* C. Gu. *Commutabere.*

Si torrere jecur quaeris idoneum.
Namque et nobilis, et decens,
Et pro sollicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium,
Late signa feret militiae tuae.
Et quandoque potentior
Largis muneribus riserit aemuli,
Albanos prope te lacus
Ponet marmoream, sub trabe Cypria.
Illic plurima naribus
Duces thura, lyraeque, et Berecyntiae
Delectabere tibiae
Mixtis carminibus, non sine fistula.
Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
In morem Salium ter quatient humum.
Me nec femina, nec puer
Jam, nec spes animi credula mutui,
Nec certare juvat mero,
Nec vincire novis tempora floribus.
Sed cur, heu! Ligurine, cur
Manat rara meas lacrima per genas?
Cur facunda parum decoro
Inter verba cadit lingua silentio?
Nocturnis ego somniis
Jam captum teneo, jam volucrem sequor
Te per gramina Martii
Campi, te per aquas, dure, volubiles.

---

18) Al. *Largi.* Markland: *vicerit aemuli*, quam notam marg. tamen postea delevit. 19) C. 1. *prope lacus*, sine: *te.* 20) C. 1. *Ciprea*, C. 4. *Cipream*; al. *citrea*, *cytrea*, *ciptrea*, *cyptrea*, *cyprea.* 22) C. 4. *Dulces.* Al. *lyra*, et *Berecyntia.* 28) Al. *quatiunt.* 29) C. 4. *ne puer*, pro *nec.* Versus 30. Jam — mutui, non est in C. 4. 35) C. 4. *foecunda.* 37) Al. *ego te*, *te ego somniis.*

ODE II.
AD JULUM ANTONIUM.

Horatius non a se, sed ab ipso, victorias Augusti spiritu Pindarico celebrari posse dicit.

Metrum I. 2.

Pindarum quisquis studet aemulari,
Jule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore:
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis:
Seu Deos, regesve canit, Deorum
Sanguinem, per quos cecidere justa
Morte Centauri; cecidit tremendae
Flamma Chimaerae:
Sive, quos Elea domum reducit
Palma coelestes, pugilemve, equumve
Dicit, et centum potiore signis
Munere donat:
Flebili sponsae juvenemve raptum
Plorat; et vires animumque moresque
Aureos educit in astra, nigroque
Invidet Orco.
Multa Dircaeum levat aura cycnum,

ODE II. 2) Omnia artificiosa vocamus Daedalea. 3) Al. *pinnis.* 4) Ponto, Icario mari. 6) Al. *Cum super notas saluere ripas*, *totas saliere.* 7) Al. *Fervit.* 8) Immensa verborum sententiarumque profluit copia e fonte uberrimo. 13) C. 4. *regesque*, i. e. heroes; Deorum sanguinem, i. e. filios. 14) Markland: *cecidere. An iusto Marte?* 15) Thraciae populi finguntur esse media parte viri, et media equi. 16) C. Gu. *Flama* (sic semper.) 17) Victoria apud Elidem, Peloponnesi oppidum, parta reducit coelestibus ob gloriam comparandos. 18) Al. *pugilemque.* 21) Al. *juvenemque.* 23) C. 4. *deducit*; al. *reducit.* 25) Poeta Pindarus in Dirce, fonte Thebano, tanquam altivolans cygnus natus et enutritus est. Al. *cygnum*, *cignum.*

Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: ego, apis Matinae
More, modoque,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus, uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.
Concines majore poëta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum Clivum, merita decorus
Fronde, Sygambros:
Quo nihil majus, meliusve terris
Fata donavere, bonique Divi;
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines laetosque dies, et Urbis
Publicum ludum, super impetrato
Fortis Augusti reditu; forumque
Litibus orbum.
Tum meae, si quid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars: et, O Sol
Pulcher, o laudande, canam, recepto
Caesare felix.
Tuque, dum procedis, Io triumphe!
Non semel dicemus, Io triumphe,
Civitas omnis, dabimusque Divis
Thura benignis.
Te decem tauri, totidemque vaccae;
Me tener solvet vitulus, relicta
Matre, qui largis juvenescit herbis
In mea vota;
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium Lunae referentis ortum,
Qua notam duxit, niveus videri;
Cetera fulvus.

---

26) C. Gu. *Quotiens* (sic semper.) 27) Parvus poeta Hor. comparatur api Calabrae in monte Matino pascenti. 31) Bentl. *rivos.* C. Gu. *parvis.* 35) Per Clivum Capitolinum viae sacrae adhaerentem. 36) C. 4. *Sycambros;* al. *Sicambros, Sicambos, Sigambros, Sugambros,* i. e. Ghildrenses, Germaniae populos. 39) Al *redeunt in aevum, annum.* 42) Al. *inpetrato.* 43) C. 4. *reditum.* 45) Al. *Dum meae, si quid loquor.* C. Gu. *Tunc ego siquid.* 49) Al. *Teque.* 54) Al. *solvit.* 55) C. Gu. *iuvenescet.* Markland: *laetis iuv.* 58) C. 4. *orbem.* 59) C. Gu. *Quam notam.*

ODE III.

AD MELPOMENEN.

Se artis poeticae beneficio immortalitatem consecuturum esse.

Metrum I. 3.

Quem tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris;
Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem, non equus impiger
Curru ducet Achaico
Victorem; neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio:
Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt,
Et spissae nemorum comae,
Fingent Aeolio carmine nobilem.
Romae, principis urbium,
Dignatur suboles inter amabiles
Vatum ponere me choros:
Et jam dente minus mordeor invido.
O, testudinis aureae
Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas:
O, mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum!
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae:
Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

ODE III. 3) Labor susceptus in curuli certamine Isthmico, a Sisypho in honorem Neptuni instituto. Isthmos est insula inter mare Aegaeum et Ionium. 4) Al. *Declarat.* 5) *Achaico,* i. e. Graeco, adeoque de eo, quo certatur in ludis Olympicis. 6) *Deliis,* i. e. foliis a Delo insula, Apollini sacra, coronatum. 10) Al. *perfluunt.* C. Gu. *proluunt.* 11) C. Gu. *spisse.* 14) Al. *soboles.* 18) C. 4. *temperes.*

ODE IV.

AD URBEM ROMAM.

Drusi victoriam de Raetis, et Vindelicis celebrat; tum in laudes Neronum, et Claudiae gentis excurrit.

Metrum I. 9.

Qualem ministrum fulminis alitem,
(Cui rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo,)
Olim juventas, et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium:
Vernique, jam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus
Venti paventem; mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus;
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnae;
Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta, fulvae matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem,
Dente novo peritura, vidit:
Videre Rhaetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici: (quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quaerere distuli;
Nec scire fas est omnia): sed diu
Lateque victrices catervae,
Consiliis juvenis revictae,
Sensere, quid mens rite, quid indoles,
Nutrita faustis sub penetralibus,
Posset: quid Augusti paternus

ODE IV. Alii: *Drusi laudes.* 1) *Alitem,* i. e. aquilam. 4) Ganymede, pulchro Trois regis filio. 5) Al. *juventus.* 6) Al. *protulit,* e nido, sicut juventus. 7) Al. *Vernisque jam nimbis.* 10) Al. *Dimisit.* 12) C. Gu. *Aegit* (sic). 13) Al. *latis.* 16) Al. *videt.* 17) C. 4. *Rhaetii*; al. *Retii, Raeti, Raethi, Rheti, Reti, Raetis.* C. Gu. *reti bella.* 18) Al. *gerentem et Vindelici.* 22) Al. *Nescire fas est omnia, et diu.* 24) Bentl. *repressae,* Vanderb. *revinctae;* potius iterum vel vicissim victae. 26) C. 4. *fastis,* Bentl. *sanctis sub p.*

In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus: et bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam:
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Utcunque defecere mores,
Indecorant bene nata culpae.
Quid debeas, o Roma, Neronibus
Testis Metaurum flumen, et Hasdrubal
Devictus, et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus alma risit adorea:
Dirus per urbes Afer ut Italas,
Ceu flamma per taedas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.
Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et impio
Vastata Poenorum tumultu
Fana Deos habuere rectos:
Dixitque tandem perfidus Hannibal:
Cervi, luporum praeda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere, et effugere, est triumphus.
Gens, quae cremato fortis ab Ilio
Jactata Tuscis aequoribus, sacra,
Natosque, maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbes;
Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes, ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.

---

28) Al. *Neronis.* 29) Al. *fortibus et bonis.* 31) C. Gu. *neque imb.* 34) Al. *roborat.* 36) Bentl. *Dedecorant.* 38) Metaurum flumen est hodie *il Metro*, et Hasdrubal fuit frater Hannibalis. 41) Qui laetus est bellica gloria. C. 1. Gl. Adorea dicitur laus bellica, quia adorandos facit illos, qui vincunt. 42) Al. *Afer et Italas;* al. *Afer it Italas.* 43) C. 1 *taedas, et Eurus;* al. *ut Eurus.* 45) C. Gu. *Posthaec.* 47) Tumultu, Gl. bello. 48) Fana, Gl. Itala; tectos pro rectos. 52) C. 1. *fugere triumphus,* sine: *est.* 53) Al. *cremata.* 56) Ausones fuerunt antiqui Italiae incolae. 57) C. 1. *tunsa.* 58) Algidus est mons Latii, Dianae sacer. 60) Al. *opesque animosque.*

Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem;
Monstrumve submisere Colchi
Majus, Echiōniaeve Thebae.
Merses profundo; pulchrior evenit:
Luctere; multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Proelia conjugibus loquenda.
Carthagini jam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis, Hasdrubale interemto.
Nil Claudiae non perficient manus:
Quas et benigno numine Jupiter
Defendit; et curae sagaces
Expediunt per acuta belli.

61) Hydrae comparatur Romanus populus. 63) Al. monstrumque. C. Gu. *submisere Colchi.* C. 1. Gl. Golchica regio pervigilem habuit draconem, vellus aureum custodientem, quem Jason auxilio Medeae interfecit. Dentes ejus avellens, saevit per campum, et mox tertia die de segete dentium surrexit copiosus armatorum exercitus. Sicut ex modicis dentibus satis maximus exercitus crevit dracone peremto, ita etiam parte quadam exercitus Romani perdita major accrescit. 64) Echion condidit Thebas. 65) Al. *Mersus*, *Merges*, *Merge*. Al. *exiet* pro *evenit*. 66) C. 1. *Luctore*, Gl. Augusto; al. *ductore*, *luctare*. C. Gu. *Lucteris*. 67) Al. *proruit* — geritque; cum clade victorem. 73) C. Gu. *proficient*; al. *efficient*, *perficiunt*, *perficiant*. Tiberius Claudius Nero fuit Augusti privignus, post quem Romae regnavit. Sub *manu* vis et potentia illius intelligitur.

ODE V.
AD CAESAREM AUGUSTUM.

Reditum Augusti e Galliis omnibus votis exoptat, simulque temporum felicitatem praedicat.

Metrum I. 6.

Divis orte bonis, optime Romulae
Custos gentis, abes jam nimium diu:
Maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto consilio, redi.
Lucem redde tuae, dux bone, patriae;
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit Populo; gratior it dies,
Et Soles melius nitent.
Ut mater juvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domu,
Votis, ominibusque, et precibus vocat;
Curvo nec faciem littore dimovet;
Sic, desideriis icta fidelibus,
Quaerit patria Caesarem.
Tutus bos etenim rura perambulat;
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas;
Pacatum volitant per mare navitae;
Culpari metuit Fides;
Nullis polluitur casta domus stupris;
Mos et lex maculosum edomuit nefas;
Laudantur simili prole puerperae;
Culpam Poena premit comes.
Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit,
Fetus, incolumi Caesare? quis ferae

ODE V. Cod. 1. *Proseutice. Ad Caesarem Augustum absentem.* 4) C. 1. *Concilio*, Gl. senatui Romanorum. 7) C. 4. *Effulsit.* C. 1. *populo gracior et dies.* 9) Notus s. Auster a Carpatho insula Aegyptum versus inter Rhodum et Cretam. 12) C. 4. Gu. *detinet*, al. *destinet*. 13) C. 4. *Votis omnibus, et quae precibus vocat.* Al. *ominibus.* C. Gu. *Votis omnib. atq. prec.* 14) Al. *demovet*, Gl. avertit. 18) Ceres et Faustitas, i. e. abundantia, foecundant segetes. Bentl. *farra*; al. *prata*, al. *tuta perambulat.* 19) C. Gu. *nautae.* 26) C. Gu. *germana.* 27) C. 1. *Foetus.*

Bellum curet Hiberiae?
Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores:
Hinc ad vina redit laetus, et alteris
Te mensis adhibet Deum;
Te multa prece, te prosequitur mero
Diffuso pateris; et Laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.
Longas o utinam, Dux bone, ferias
Praestes Hesperiae! dicimus integro
Sicci mane die; dicimus uvidi,
Quum Sol Oceano subest.

ODE VI.

HYMNUS AD APOLLINEM ET DIANAM.

Carmini seculari praeludit Poeta.

Metrum I. 2.

Dive, quem proles Niobea magnae
Vindicem linguae, Tityosque raptor
Sensit, et Trojae prope victor altae
Phthius Achilles,
Ceteris major, tibi miles impar;
Filius quamquam Thetidos marinae
Dardanas turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro

28) Al. *Iberiae.* 31) G. 1. ad vina *venit.* 33) Al. *prosequimur.* 34) Al. *Defuso, difuso.* 35) Graecia heroes suos, Dioscuros et Herculem, Diis adnumerat. 37) Al. *Rex bone.* 39) C. 1. *dicemus.* C. Gu. *avidi.*

ODE VI. C. 1. *Eucharistice. In Apollinem.* 1) C. 1. Gl. Niobe uxor fuit Amphionis, regis Thebarum, quae ei peperit 14. foetus, et cum quadam die ingrederetur templum Latonae, dixit: quare haec adoratur, quae modo genuit duos filios et non ego potius veneror? Qua de re Apollo indignatus septem interfecit filios. Al. Niobaea, Nioboea proles, i. e. liberi Niobes. 2) Tityus, filius Jovis et Elajae Nymphae. 4) Phthia erat Achillis patria, Thessaliae urbs. 6) C. 1, 4. Gu. *quamvis Thetidis*, i. e. Deae marinae, Nerei filiae, matris Achillis. 7) Dard. turres, i. e. propugnacula Trojae.

Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late, posuitque collum in
Pulvere Teucro.
Ille non, inclusus equo Minervae
Sacra mentito, male feriatos
Troas et laetam Priami choreis
Falleret aulam:
Sed palam captis gravis, heu nefas! heu!
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentem
Matris in alvo:
Ni, tuis victus, Venerisque gratae
Vocibus, Divum Pater annuisset
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.
Doctor Argivae fidicen Thaliae,
Phoebe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniae defende decus Camenae,
Levis Agyieu.
Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
Carminis, nomenque dedit poëtae.
Virginum primae, puerique claris
Patribus orti,
Deliae tutela Deae, fugaces
Lyncas, et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem, meique
Pollicis ictum:
Rite Latonae puerum canentes,

10) Al. *aut impressa.* 11) C. Gu. *collum* sine *in.* 12) Teucer Telamonis filius, Ajacis frater et comes in bello Trojano. 13) Qui mentiretur se Minervae sacrum esse. 14) Ferias habentes, vel magno suo malo otiantes. 15) Priamus ultimus rex Trojanorum. 17) C. 1. *Sed palam gravis, heu nefas! heu!* sine: *captis.* Gl. gravis, intolerabilis. Al. *Sed palam victor gravis;* al. *captos, victor.* 18) Achivis, i. e. Graecis. Nescios fari pueros, i. e. infantes. 19) Al. *latentes.* 21) Bentl. *flexus* pro *victus.* 23) Potiore alite, i. e. melioribus auspiciis, quam quibus Troja condita est. 25) C. 4. *Doctor argutae.* Al. *Ductor Achivae.* 26) Xanthus est Trojae fluvius. 27) Dauniae, i. e. Latinae. Gl. In Daunia natus perhibetur Hor., ergo Musam suam Phoebo nunc commendat. 28) C. 1 et 4. *Agileu*, al. *Agylleu, Agyleu.* Agyeus dicitur Apollo, quia in omnibus vicis et plateis colitur. 32) Al. *Matribus.* 33) C. 4. *Delia*, Gl. Dianae. 35) Gl. Alcaeus, primus Lyricus, ab insula Lesbo fuit.

Rite crescentem face Noctilucam,
Prosperam frugum, celeremque pronos
Volvere menses.
Nupta jam dices: Ego Dìs amicum,
Saeculo festas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horati.

ODE VII.

AD L. MANLIUM TORQUATUM.

Veris adventu, et aequa moriendi conditione proposita, ad laete vivendum eum invitat.

Metrum Archilochium primum.

- ⏑⏑ | - ⏑⏑ | - ⏑⏑ | - ⏑⏑ | - ⏑⏑ | - ⏑
- ⏑⏑ | - ⏑⏑ | ⏑

Diffugere nives; redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comae:
Mutat terra vices; et decrescentia ripas
Flumina praetereunt:
Gratia cum Nymphis, geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet Annus, et almum
Quae rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris; Ver proterit Aestas,
Interitura, simul
Pomifer Auctumnus fruges effuderit; et mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant coelestia Lunae:
Nos, ubi decidimus,

---

38) C. 1. *Noctilucae*, C. 4. *Noctiluca*, al. *nocte lucem.* (Hic versus desideratur in C. Gu.) 43) Modorum, Gl. carminum lyricorum. 44) C. 1. *Votis*, Gl. vatis. C. Gu. *orati.*

ODE VII. C. 1. *Verni temporis descriptio, et de mortalitate refert enim.* 3) Al. *ripis.* 7) Almum, al. *album.* 8) Hora, Dea vicissitudinis temporum 9) Al. *Ver protrahit.* C. Gu. *praeterit.* 12) Al. *Pruma*, *pruina recurret.*

Quo pius Aeneas, quo dives Tullus, et Ancus;
Pulvis, et umbra sumus.
Quis scit, an adjiciant hodiernae crastina summae
Tempora Dì superi?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
Quae dederis animo.
Quum semel occideris, et de te splendida Minos
Fecerit arbitria;
Non, Torquate, genus; non te facundia; non te
Restituet pietas:
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum:
Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

ODE VIII.

AD C. MARCIUM CENSORINUM.

Se non nisi carmina posse donare; sed nihil iis esse potentius ad ejus nominis memoriam ab oblivione vindicandam.

Metrum I. 1.

Donarem pateras, grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus;
Donarem tripodas, praemia fortium
Grajorum: neque tu pessima munerum
Ferres: divite me scilicet artium,

---

15) C. 1 et 4. *Quo Pater Aeneas, quo dives Tullius et Ancus.* Al. *quo Tullius ivit et Ancus, quo Tullius divus et Ancus, dives Julus.* C. Gu. *quo Tullus dives.* 17) Al. *Qui.* C. 4. *vitae* pro summae. 19) Bentl. *avidi.* C. 1. *haerebis.* 21) Minos, Jovis ex Europa filius. 22) C. Gu. faecerit. 26) Hyppolitum, Thesei filium. 27) Theseus, Neptuni filius. 28) C. 1. Gl. Pirithous gigas descendit ad inferum, inde rapere Proserpinam, et ibi retentus est. Postea cum Hercules infernum peteret, secutus est eum Theseus, et amicum Pirithoum conatus est eripere; partem corporis ejus rapuit, partem vero catenis ligatam reliquit. C. Gu. perithoo.

ODE VIII. C. 1. *Comparatio poetica vitiorum simul et virtutis, encomiastice.* 1) C. 1. Gl. *pateras*, *phialas aureas.* C. 1. *commodis.* 3) Tripodas, vasa ahenea. 4) Al. *tu pessima* pro *turpissima.*

Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas;
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.
Sed non haec mihi vis: non tibi talium
Res est, aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus: carmina possumus
Donare, et pretium dicere muneris
Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus: non celeres fugae,
Rejectaeque retrorsum Hannibalis minae;
Non incendia Carthaginis impiae,
Ejus, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides. Neque,
Si chartae sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliae,
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
Virtus, et favor, et lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori;
Coelo Musa beat. Sic Jovis interest
Optatis epulis impiger Hercules:
Clarum Tyndaridae sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates:
Ornatus viridi tempora pampino
Liber, vota bonos ducit ad exitus.

---

6) Parrhasius fuit pictor clarus, natus Ephesi vel Athenis; Scopas statuarius et sculptor eximius. Al. *prodidit.* 8) Al. *Solers — pingere.* 9) C. 4. *mihi vis.* Al. *Nec tibi.* 10) Al. *divitiarum.* 12) C. 1. *muneri.* 16) Al. *Dejectaeque.* 17) Al. *Non impendia.* Al. *Non stipendia Carth. inpiae.* Hic versus Bentlejo spurius esse videtur, licet in omnibus codicibus reperiatur. Sub *incendia Carth.* intellige bellum Africam involvens. 20) C. 1. Gl. Calabria pars est Apuliae, de quo fuit Hor. Pierides autem dicuntur Musae a Pierio monte, per quas vult ostendere carmina lyrica, quae ipse primus apud Latinos scribebat. 21) C. 1. Gl. Neque fructum poteris habere tuae virtutis, si eam chartae tacuerunt. C. Gu. *qui bene fec.* 24) C. 1. Gl. Quasi *invidens* illi memoriam per silentium tacitum vatum. 25) C. 1. *Aequum*, Gl. Aeacum. 31) Al. *ab intimis.* Castor et Pollux, filii Tyndari, poetarum existimantur quassatis tempestate navibus serena luce salutem offerre. 33) C. 4. *tympana.* 34) Al. *duxit.*

ODE IX.

AD LOLLIUM.

Sua, et aliorum poetarum scripta nunquam interitura; et res a Lollio gestas memoriae mandare promittit.

Metrum I. 9.

Ne forte credas interitura, quae,
Longe sonantem natus ad Aufidum,
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis.
Non, si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent,
Ceaeque, et Alcaei minaces,
Stesichorique graves Camenae;
Nec, si quid olim lusit Anacreon,
Delevit aetas: spirat adhuc amor,
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.
Non sola comtos arsit adulteri
Crines, et aurum vestibus illitum
Mirata, regalesque cultus,
Et comites, Helene Lacaena:
Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non semel Ilios
Vexata: non pugnavit ingens
Idomeneus, Sthenelusve solus
Dicenda Musis proelia: non ferox

ODE IX. C. 1. *De immortalitate carminum suorum.* 2) C. 1. Longe sonantem ego natus ad Aufidum, sc. Apuliae fluvium. 4) C. 1. *loquar*, Gl. jungenda lyrico carmini. 7) Ceae camaenae non latent, i. e. Simonidis, ex Cea insula nati, carmina clara sunt et illustria. C. Gu. *Alceae min.* 8) C. 1 et 4. *Stersichorique*, al. *Stesichorive*, poetae sc. lyrici, Himerae in Sicilia nati. 9) Anacreon, ortus Teo, Ioniae urbe, lusit carmina convivalia et amatoria. 16) C. 4. *Helena.* C. 1. Gl. Non sola Helena fuit adultera, de qua scribit Homerus, nec sola Troja jure praelii capta est; habemus ergo parem materiam scribendi carminis. C. Gu. *Helena Lacena.* 17) C. 1 et 4. *Cydoneo*, Gl. a Cydone urbe Cretensi. C. 4. Primusque. 18) Ilios, Gl. Trojani. 19) C. Gu. *nec pugn.* 20) Idomeneus, rex Cretensium. C. 1. *Sthelenusque*, C. 4. *Sthenelusque*, C. Gu. Stenelusque, Gl. Capanei et Evadnae filius. 21) C. 4. *ferax.*

Hector, vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus, puerisque primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrimabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte; carent quia vate sacro.
Paullum sepultae distat inertiae
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum silebo;
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens, et secundis
Temporibus dubiisque rectus;
Vindex avarae fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae:
Consulque non unius anni;
Sed quoties bonus, atque fidus
Judex honestum praetulit utili,
Rejecit alto dona nocentium
Vultu, et per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.
Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti;
Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque leto flagitium timet,
Non ille pro caris amicis,
Aut patria, timidus perire.

---

22) Hector ab Ajace vulneratus et prostratus. Deiphobus germanus ejus frater filius Priami. 29) Al. *sepulta distat inertia.* 31) C. 1. *sileri.* 37) C. Gu. *avare.* 41) Al. *utili, et.* 42) Al. *Dejecitque.* C. 1. *nocentum.* C. Gu. *Rejecitque alto.* 43) C. 1. Gu. *Vultu, per.* 52) Al. *peribit.*

ODE X.

A D L I G U R I N U M.

Monet, ne formae suae nimium confidat.

Metrum I. 11.

O crudelis adhuc, et Veneris muneribus potens,
Insperata tuae quum veniet pluma superbiae;
Et, quae nunc humeris involitant, deciderint comae;
Nunc et qui color est puniceae flore prior rosae,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam;
Dices, heu! quoties te in speculo videris alterum,
Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genae?

ODE XI.

A D P H Y L L I D E M.

Die natali Maecenatis invitat eam ad epulas.

Metrum I. 2.

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus: est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis:
Est hederae vis
Multa, qua crines religata fulges.
Ridet argento domus: ara, castis
Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.
Cuncta festinat manus; huc, et illuc

ODE X. C. 1. *Ad Ligurinum puerum speciosum.* 2) C. 1 et 4. *cum veniat.* Al *bruma.* Markland: *ruga sup.*, cum rugae venerint, quas tu superbus iam non metuis. 4) Al. *punico, puniceo.* C. Gu. *punicae color prior rosae.* 5) C. 1 et 4. *verterit in faciem.* 6) C. 1 et 4. *te speculo,* sine: *in.*

ODE XI. C. 1. *Pragmatice. Ad Phyllidam. De die natalis sui et Maecenatis.* 1) C. 1. *novum*, Gl. vero: habeo vinum decem annorum. Al. *novum imperantis.* 2) C. Gu. *orto.* 4) Al. *ederae.* 8) Cupit adspergi. 9) Al. *Cunctae festinant manus.*

Cursitant mixtae pueris puellae:
Sordidum flammae trepidant rotantes
Vertice fumum.
Ut tamen noris, quibus advoceris
Gaudiis; Idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem Veneris marinae
Findit Aprilem;
Jure sollemnis mihi, sanctiorque
Paene natali proprio, quod ex hac
Luce Maecenas meus affluentes
Ordinat annos.
Telephum, quem tu petis, occupavit,
Non tuae sortis iuvenem, puella
Dives et lasciva; tenetque grata
Compede vinctum.
Terret ambustus Phaëthon avaras
Spes; et exemplum grave praebet ales
Pegasus, terrenum equitem gravatus
Bellerophontem:
Semper ut te digna sequare; et, ultra
Quam licet sperare nefas putando,
Disparem vites. Age jam, meorum
Finis amorum,
Non enim posthac alia calebo
Femina, condisce modos, amanda
Voce quos reddas: minuentur atrae
Carmine curae.

---

11) Bentl. *crepitant.* 12) Al. *vertere.* 17) Al. *solennis.* 20) Al. *Ordinet.* 21) Telephus, Herculis ex Auge filius. 24) Al. *victum.* 25) Casus, poena et incendium Phaetontis, Solis et Cymenes filii. 27) C. 1. *gravatis.* C. Gu. *gravatu.* 28) C. 4. *Bellorophontem*, qui coelum ascensurus, ut quid rerum ageret Jupiter, cognosceret, excusus a Pegaso, in terram decidit. 35) Al. *minuuntur.*

ODE XII.

AD VIRGILIUM.

Metrum I. 6.

Jam Veris comites, quae mare temperant,
Impellunt animae lintea Thraciae:
Jam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, et Cecropiae domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistula;
Delectantque Deum, cui pecus, et nigri
Colles Arcadiae placent.
Adduxere sitim tempora, Virgili;
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, juvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis accubat horreis;
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quae si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena dives ut in domu.
Verum pone moras et studium lucri;
Nigrorumque memor, dum licet, ignium,
Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.

ODE XII. C. 1. *Ad Virgilium loquitur quendam unguentarium.* Al. *negotiatorem.* 5) Al. *Itys, Itym, Ithym, Ythin, Itim, Itin, Ithis, Ithys.* 6) C. 4. Cicropiae domus, quae est familia regum Atheniensium, quia Cecrops eorum dux fuit. 8) Incestum in Philomela constupranda. Markland: *Threcum est.* 11) C. 4. Gu. *Delectante.* 12) Arcadia est montosa, Pani sacra. 13) Al. *Vergili.* C. Gu. *Aduxere.* 14) Vinum Calenum mecum bibere. 16) C. 1. *mereberis,* sc. ex nardo allato per te. 18) Sulpitii Galbae. Al. *Sulpitiis.* 23) C. Gu. *cingere poc.* 25) C. 4. *moras studiumque lucri.*

ODE XIII.

IN LYCEN VETULAM.

Insultat ei mordacissime, quod jam anus fiat; et libidine flagrans contemnatur a iuvenibus.

Metrum I. 5.

Audivere, Lyce, Di mea vota; Di
Audivere, Lyce. Fis anus, et tamen
  Vis formosa videri;
    Ludisque, et bibis impudens;
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas. Ille virentis et
  Doctae psallere Chiae
    Pulchris excubat in genis:
Importunus enim transvolat aridas
Quercus, et refugit te; quia luridi
  Dentes te, quia rugae
    Turpant, et capitis nives.
Nec Coae referunt jam tibi purpurae,
Nec clari lapides tempora, quae semel
  Notis condita fastis
    Inclusit volucris Dies.
Quo fugit Venus? heu! quove color? decens
Quo motus? quid habes illius, illius,
  Quae spirabat amores,
    Quae me surpuerat mihi,
Felix post Cinaram notaque et artium
Gratarum facies? Sed Cinarae breves
  Annos fata dederunt,
    Servatura diu parem
Cornicis vetulae temporibus Lycen:
Possent ut juvenes visere fervidi,
  Multo non sine risu,
    Dilapsam in cineres facem.

ODE XIII. C. 1. *Ad Licen vetulam meretricem.* 5) C. 4. *Cupidine.* 7) Cupido semper vigilat in pulchris genis Chiae, juvenis puellae. C. 4. *Cliae.* C. Gu. *Docte.* 11) Al. *Dentes: te quia.* 13) Vestis Coa est e subtilissima bombycum lanugine confecta. 14) C. 1, 4. Gu. *cari.* 17) C. 1. *color decens?* Al. *color, decens quo motus?* Al. *calor.* 18) Illius, sc. foeminae. 20) Bentl. *mihi?* C. Gu. *surripuerat.* 21) Al. *post Cinaram, nota quae.* Markland: *notaque, et artium Gratarum: facili sed Cinarae.* Alibi vocat *bonam* Cinaram, eodem sensu. 26) C. 1 et 4. *Possint.* 28) Al. *Delapsam — faciem.*

ODE XIV.

AD CAESAREM AUGUSTUM.

Metrum I. 9.

Quae cura Patrum, quaeve Quiritium
Plenis honorum muneribus tuas,
  Auguste, virtutes in aevum
    Per titulos, memoresque fastos
Aeternet? o, qua sol habitabiles
Illustrat oras, maxime principum,
  Quem legis expertes Latinae
    Vindelici didicere nuper,
Quid Marte posses. Milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus;
  Breunosque veloces, et arces
    Alpibus impositas tremendis,
Dejecit acer plus vice simplici:
Major Neronum mox grave proelium
  Commisit, immanesque Rhaetos
    Auspiciis pepulit secundis:
Spectandus, in certamine Martio,
Devota morti pectora liberae
  Quantis fatigaret ruinis:
    Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster, Pleiadum choro
Scindente nubes; impiger hostium
  Vexare turmas, et frementem
    Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni praefluit Appuli,
  Quum saevit, horrendamque cultis

ODE XIV. C. 1. *Laudes Augusti.* 4) Al. *fastus.* 5) Al. *qua lux.* 6) Al. *Illustret.* 10) C. 4. *Geraunos*, al. *Genaunos, Gerannos, Genauvos, Germanos, Genaumos, Gelonos.* 11) Al. *Brennos, Brencos, Breucos.* Genauni et Breuni pro Rhaetis et Vindelicis sumendi sunt. 13) Al. *Disjecit.* 14) Major natu, unus de privignis, Claudius Tiberius Nero. 15) C. 1. *Retos*, al. *Raetos.* C. Gu. *Raethos.* 16) C. Gu. *reppulit.* 19) C. 1. *fatigarat*, Gl. cladibus hostium; al. fatigarit. 20) Bentl. *Indomitus.* 21) Cum Pleiades sive Vergiliae suo septem stellarum choro ortae nubes tempestatibus scindunt, et pluvias profundunt. 24) Bentl. *enses* pro *ignes.* 26) Bentl. *Qua regna.* C. 1. *praeluit.* al. *perfluit.* C. Gu. *Apuli* (sic semper). 27) C. 4. *Cum.*

Diluviem meditatur agris:
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu;
Primosque, et extremos metendo,
Stravit humum, sine clade victor:
Te copias, te consilium et tuos
Praebente Divos. Nam, tibi quo die
Portus Alexandrea supplex,
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque, et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.
Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque, et Indus; te profugus Scythes
Miratur, o tutela praesens
Italiae, dominaeque Romae:
Te, fontium qui celat origines,
Nilusque, et Ister; te rapidus Tigris;
Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis;
Te non paventis funera Galliae,
Duraeque tellus audit Hiberiae:
Te caede gaudentes Sygambri
Compositis venerantur armis.

---

28) C. 1 et 4. *minitatur.* 29) Claudius Tiberius Nero. 32) C. Gu. *humi.* Markland: *sine fraude victor.* 35) C. 1. *Alexandria.* Augustus nempe cepit ante 15. annos eodem die Alexandriam, quo cum Rhaetis ac Vindelicis debellatum fuit. 42) Profugus, Gl. nunquam eodem loco consistens. 46) Ister, Danubius. 49) Bentl. *paventes, feroces.* 50) Al. *Iberiae.* 51) Al. *Sycambri, Sigambri, Sicambri.*

ODE XV.

CAESARIS AUGUSTI LAUDES.

Celebratur, quod pacem orbi reddiderit; disciplinaque restituta publicae felicitati prospiciat.

Metrum praecedentis Carminis.

Phoebus volentem proelia me loqui,
Victas et urbes, increpuit lyra;
Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. Tua, Caesar, aetas
Fruges et agris retulit uberes;
Et signa nostro restituit Jovi,
Derepta Parthorum superbis
Postibus, et vacuum duellis
Janum Quirinum clusit; et ordinem
Rectum evaganti frena licentiae
Injecit, emovitque culpas,
Et veteres revocavit artes;
Per quas Latinum nomen, et Italae
Crevere vires, famaque et imperi
Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.
Custode rerum Caesare, non furor
Civilis aut vis eximet otium;
Non ira, quae procudit enses,
Et miseras inimicat urbes.
Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia, non Getae,

ODE XV. C. 1. *Ad Divum Augustum.* 1) Markland: *volente — lyram*, quam tamen notam postea delevit. 2) Al. *increpuit, lyra.* 7) C. 1, 4, Gu. *Direpta.* 9) C. 1 et 4. *Quirini clausit.* 10) C. 1, Gu. *Rectum et vaganti.* 11) C. 1, 4, Gu. *dimovitque*, al. *evomitque, demovitque, amovitque, domuitque nefas* pro *culpas.* 13) C. Gu. *et Italiae* (sic.) 14) C. Gu. *imperii.* 15) C. 1 et 4. *ortus.* 18) Al. *exiget, exigit.* 21) Danubii accolae sunt Rhaeti, Pannones, Daci et Sarmatae, maxime vicini Getae. 22) Al. *rumpunt.*

Non Seres, infidive Persae,
  Non Tanain prope flumen orti.
Nosque et profestis lucibus, et sacris,
Inter jocosi munera Liberi,
  Cum prole, matronisque nostris,
    Rite Deos prius apprecati,
Virtute functos, more patrum, duces,
Lydis remixto carmine tibiis,
  Trojamque, et Anchisen, et almae
    Progeniem Veneris canemus.

---

23) Al. *invidique.* 24) Al. *Tanaim.* 25) Al. *Nosque profestis, pro festis.* 30) Al. *Lydiis*, *Lidiis*, mixto, C. Gu. *Lidius misto.*

Q. HORATII FLACCI

E P O D O N

L I B E R.

ODE I.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Ei ad bellum Actiacum profecturo comitem se offert; de sua salute sic minus sollicitus.

Metrum iambicum senarium quaternarium.

⏑ - | ⏑ - | ⏑ - | ⏑ - | ⏑ - | ⏑⏑
⏑ - | ⏑ - | ⏑ - | ⏑⏑

Ibis Liburnis inter alta navium,
  Amice, propugnacula,
Paratus omne Caesaris periculum
  Subire, Maecenas, tuo.
Quid nos? quibus te vita si superstite
  Jucunda; si contra, gravis?
Utrumne jussi persequemur otium,

EPODON LIBER. C. 1. *Liber Epodon seu clausularis.*
ODE I. 1) C. 1. Gl. Liburnum vocatur navicula, qua negotiatores Lydiae vel Liburniae vehuntur. Hujusmodi etiam utuntur, qui ordinant navale praelium. 2) Propugnacula sunt naves turritae. 3—4) Al. *Caesaris p. s. M. tui, Caesaris — tibi, Caesari tuo.* 5) Al *vita sit superstite, vita superstite.* 7) Al. *persequamur, prosequemur.*

Non dulce, ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet
  Qua ferre non molles viros?
Feremus: et te vel per Alpium iuga,
  Inhospitalem et Caucasum,
Vel occidentis usque ad ultimum sinum,
  Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid juvem meo,
  Imbellis, ac firmus parum?
Comes minore sum futurus in metu,
  Qui major absentes habet:
Ut assidens implumibus pullis avis
  Serpentium allapsus timet,
Magis relictis; non, ut adsit, auxili
  Latura plus praesentibus.
Libenter hoc, et omne militabitur
  Bellum in tuae spem gratiae:
Non ut juvencis illigata pluribus
  Aratra nitantur mea.
Pecusve Calabris ante sidus fervidum
  Lucana mutet pascuis;
Nec ut superni villa candens Tusculi
  Circaea tangat moenia.
Satis, superque me benignitas tua
  Ditavit. Haud paravero
Quod aut, avarus, ut Chremes, terra premam,
  Discinctus aut perdam ut nepos.

---

10) C. 1, Gu. *Quem ferre.* 11) C. 4. *et vel*, sine: *te.* 12) Al. *Caucason.* Markland: *aut Cauc.* 13) Vanderbourg: *ad extremum sinum.* 15) C. 1, 4, Gu. *laborem.* 17) Al. *sim.* — 20) Al. *lapsus, a lapsu.* 21) C. 1, 4 et Gu. *ut sit*; al. *uti sit.* 23) C. 4. *militabimus.* 26) C. 1 et 4. *meis.* Al. *nectantur.* 28) Pro *Calabra pascua Lucanis.* 29) C. 1. *tangens* pro *candens.* Al. *Neque supini v. cadens*, al. *supernae.* 30) Se extendat ad oppidum Tusculum, a Telegono Circes et Ulyssis filio aedificatum. 31) Fea ponit quidem: *Vatis*, sed Cod. et editiones: *Satis.* 33) Chremes, senex dives, avarus. 34) Al. *perdam nepos*, sine: *ut.*

ODE II.

LAUDES VITAE RUSTICAE.

Alphius Foenerator, velut artis suae pertaesus, laudat vitam rusticam; sed avaritia victus, ad ingenium et pristinam vivendi rationem redit.

Metrum idem.

Beatus ille, qui procul negotiis,
  Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
  Solutus omni foenore:
Neque excitatur classico miles truci,
  Neque horret iratum mare;
Forumque vitat, et superba civium
  Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
  Altas maritat populos;
Aut in reducta valle mugientium
  Prospectat errantes greges;
Inutilesque falce ramos amputans,
  Feliciores inserit;
Aut pressa puris mella condit amphoris;
  Aut tondet infirmas oves;
Vel, quum decorum mitibus pomis caput
  Autumnus agris extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
  Certantem et uvam purpurae,
Quis muneretur te, Priape, et te, pater
  Silvane, tutor finium!
Libet jacere modo sub antiqua ilice,
  Modo in tenaci gramine:
Labuntur altis interim rivis aquae;

ODE II. 1) Negotia foeneris. 3) Al. *bubus.* 5) Al. *Nec.* 6) Al. *Nec.* 9) Al. *propagini.* 10) Al. *Altae, alta, albas.* 11—14) Fea etiam adoptavit 4. sequentium versuum ordinem, qui est in Codicibus nostris. Al. *Inutilesve.* C. Gu. *greges*, sed manus recent. superposuit *boves.* 17) C. 1 et 4. *cum.* 18) C. 1. *extulit agris*, C. 4. *aquis*, al. *arvis.* C. Gu. *agris ext.* 19) Al. *At gaudens insitiva decerpit.* 20) Al. *uvam purpura.* 21) Al. *Queis, qua.* 23) C. 1. *sub aliqua.* 24) Markland dubitat de voce *tenaci.* 25) Al. *ripis.*

Queruntur in silvis aves;
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus;
Somnos quod invitet leves.
At, quum Tonantis annus hibernus Iovis
Imbres, nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc, et hinc multa cane
Apros in obstantes plagas;
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos;
Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,
Jucunda captat praemia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Haec inter obliviscitur?
Quod si pudica mulier in partem juvet
Domum atque dulces liberos;
Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli;
Sacrum vetustis exstruat lignis focum,
Lassi sub adventum viri;
Claudensque textis cratibus laetum pecus,
Distenta siccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemtas apparet;
Non me Lucrina juverint conchylia,
Magisve rhombus, aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare:
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionius
Jucundior, quam lecta de pinguissimis

27) Al. *Frondesque.* 28) C. 4. *invitat* 29) C. 1 et 4. *cum*, ut semper. Al. *Aut*, *et.* 31) C. 1. *Et trudit.* Al. *multo cane.* Vanderb. *agris* pro *acres.* 35) Al. *Pavidumve*, al. *Auritumque*, quod fuisse videtur: *Avidumque*, i. e. avidum cibi. C. 4. *leporem, aut.* 36) C. 4. *Jocunda.* 37) Al. *malorum.* 39) Al. *Quid si? Quo si? Quid? si.* 41) Quales sunt Sabinae mulieres, quas Romulus rapuit, i. e. fideles et diligentes. Uxor propter assiduum laborem aestu solis nigra impigri Appuli. 43) Al. *Sacrumque*, *sacrum et.* Markland: *exstruens.* 48) C. 1. *ineptas.* 49) Ostrea in lacu Lucrino, capta, i. e. exquisitissimae epulae. C. 1. *juvent.* 50) C. 4. *Scauri.* G. Gu. *scaurus.* 52) Al. *verrat.* 53) C. 4. *descendit.* Afra avis, gallina Numidica, di Faraone. 54) Al. *Ionicus.*

Oliva ramis arborum;
Aut herba lapathi prata amantis, et gravi
Malvae salubres corpori;
Vel agna festis caesa Terminalibus,
Vel haedus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut juvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido!
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares!
Haec ubi locutus foenerator Alphius,
Jam jam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam;
Quaerit Calendis ponere.

59) Al. *Vel caesa festis agna.* 60) Al. *exceptus.* 62) C. 4. *domum properantes.* 63) Al. *fessas.* 65) C. 4. *Positosque vernas*, *examen domus*, sine: *ditis.* Markland: *Pastosque.* 66) Circa focum familiarem. Vanderb. *renitentes.* 67) Al. *Alfius*, *Alpheus*, *Aufius*, *Aufidus*; al. *fenerator.* 69) C. 4, Gu. *relegit.* Omnem pecuniam congregavit, a debitoribus eam exigens Idibus (i. e. circa dimidiatum mensem), studetque iterum in foenore collocare sequentis mensis Calendis.

ODE III.

AD MAECENATEM.

Metrum idem.

Parentis olim si quis impia manu
  Senile guttur fregerit,
Edit cicutis allium nocentius.
  O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni saevit in praecordiis?
  Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
  Canidia tractavit dapes?
Ut, Argonautas praeter omnes, candidum
  Medea mirata est ducem,
Ignota tauris illigaturum juga,
  Perunxit hoc Iasonem:
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
  Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam siderum insedit vapor
  Siticulosae Apuliae;
Nec munus humeris efficacis Herculis
  Inarsit aestuosius.
At, si quid unquam tale concupiveris,
  Jocose Maecenas, precor,
Manum puella savio opponat tuo,
  Extrema et in sponda cubet.

ODE III. C. 1. *Ternarius Jambicus. Binarius Jambicus. Epodicos.* 5) C. 4, Gu. *Edat.* 5) Al. *Queis hoc*, ad messores praecedentes referendo. 7) C. 4. *Innoctus*, Gl. Incoctus. 8) C. 4. *Candida*, Gl. Canidia. 9) Prae omnibus reliquis Argonautis, qui ad diripiendum aureum vellus venerant. 10) Formosum ducem Jasonem amavit Medea, Aeetae, Colchorum regis, filia. 12) Al. *Jasona.* Hoc unguento sc. allio. 13) Medea Creusam, Creontis filiam, vestibus hoc allio delibutis ulta aufugit per aerem, vecta a Dracone alato. 15) Al. *insedit aestus.* 19) Vanderb. *Aut, si quid.* 20) Al. *jocosa.* 21) C. 1. *suavio.* 22) Markland: *Extrema aut in sp.*

ODE IV.

IN CNEJUM POMPEJUM CNEI LIBERTUM MENAM.

In ejus, ex mutata conditione, arrogantiam invehitur.

Metrum idem.

Lupis, et agnis quanta sortito obtigit,
  Tecum mihi discordia est,
Hibericis peruste funibus latus,
  Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecunia,
  Fortuna non mutat genus.
Videsne, sacram metiente te Viam
  Cum bis ter ulnarum toga,
Ut ora vertat huc, et huc euntium
  Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic Triumviralibus,
  Praeconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi jugera,
  Et Appiam mannis terit;
Sedilibusque magnus in primis eques,
  Othone contempto, sedet.
Quid attinet, tot ora navium gravi
  Rostrata duci pondere
Contra latrones, atque servilem manum;
  Hoc, hoc tribuno militum?

ODE IV. C. 1. *In Sextum Pompejum libertum.* Al. *In Sextum Pompei libertum. Ad Menam Sexti Pompei libertum. In Sextum Pompeium Sexti libertum Menam. In libertum Cn. Pompei Magni honore superbum. Ad Sextum Menam libertum. In Sextum Pompeium Sex. libertum. In Menam Sexti Pompei libertum. Ad Sextum Menam libertinum Vedium Rufum ex servitute miratur usurpasse equestrem dignitatem usque ad Tribunatum militum. Ad Sextum Menam libertinum equestrem. In Sextum Maenam Pompei libertum. Ad Menatem. Ad Vultejum Menam libertum Pompei Magni.* 3) Al. *Ibericis.* 7) C. 1. *te metiente.* 8) C. 1. *bis trium.* 11) Flagella triumviralia sunt flagra a Triumviris rerum capitalium tergo inflicta. C. Gu. *triumviralium.* 12) Qui nempe auctioni apparebat. 16) C. Gu. *Octone.* Contra legem a Roscio Othone latam, quia sancitum erat, ne quis ex infimo hominum genere fieret eques, aut sederet intra quartum decimum theatri gradum. Al. *contento* pro *contempto.* 17) Al. *tot aera*, i, e. rostra aerata adversus piratas instruere.

ODE V.

IN CANIDIAM VENEFICAM.

Puer a veneficis sub terra defossus mento tenus, fameque necandus, ut ex ejus jecore, et medulla conficerent philtrum, omnibus diris istas devovet.

Metrum idem.

At, o Deorum quidquid in coelo regit
  Terras, et humanum genus!
Quid iste fert tumultus? et quid omnium
  Vultus in unum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus
  Lucina veris adfuit,
Per hoc inane purpurae decus precor,
  Per improbaturum haec Iovem,
Quid ut noverca me intueris, aut uti
  Petita ferro bellua?
Ut haec trementi questus ore, constitit
  Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
  Mollire Thracum pectora;
Canidia brevibus implicata viperis
  Crines, et incomptum caput,
Jubet sepulcris caprificos erutas,
  Jubet cupressus funebres,
Et uncta turpis ova ranae sanguine,
  Plumamque nocturnae strigis,
Herbasque, quas Iolcos atque Hiberia
  Mittit, venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunae canis,
  Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum

ODE V. C. 1. *In Canidiam. Converso nomine ternarius jambicus, binarius jambicus, epodicos.* 1) Al. *Ast, o D. quisquis in c. regit.* Al. *quicquid.* C. 4, Gu. *regis.* 3) Al. *et quid.* 5) Al. *ter st.* 11) Al. *At haec, Et haec tremente.* 14) Thracum, i. e. hominum crudelissimorum. 15) Al. *illigata.* 16) Al. *incomtum.* 18) C. 4 *Cupressos.* 21) C. 1. *Olchos* Al. *Colchos, Hiolcos aut Iberia, Cholchos, Colcos, Cholcos.* Herbas Thessalas et Ponticas, quibus Medea usa est, adeoque efficacissimas. 24) Colchicis, incantatis seu omnino rei magicae adhiberi solitis. 25) Sagana succincta est nomen proprium alterius veneficae. Al. Atque, Aut, Et exp. Saga.

  Spargens Avernales aquas,
Horret capillis, ut marinus, asperis,
  Echinus, aut currens aper.
Abacta nulla Veja conscientia,
  Ligonibus duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus,
  Quo posset infossus puer
Longo die bis, terque mutatae dapis
  Inemori spectaculo;
Quum promineret ore, quantum exstant aqua
  Suspensa mento corpora:
Exsucca uti medulla, et aridum jecur
  Amoris esset poculum,
Interminato quum semel fixae cibo
  Intabuissent pupulae.
Non defuisse masculae libidinis
  Ariminensem Foliam,
Et otiosa credidit Neapolis,
  Et omne vicinum oppidum;
Quae sidera, excantata voce Thessala,
  Lunamque coelo deripit.
Hic, irresectum saeva dente livido
  Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? O rebus meis
  Non infideles arbitrae,
Nox, et Diana, quae silentium regis,
  Arcana quum fiunt sacra!
Nunc, nunc adeste; nunc in hostiles domos
  Iram, atque numen vertite.
Formidolosae dum latent silvis ferae,
  Dulci sopore languidae,

---

26) Aquas ex Averno lacu petitas. 27) Ut mar. piscis echinus, cui similis est echinus terrestris. 28) Bentl. *aut laurens aper*, al. *furens aper.* 29) C. 4. *vena.* Veja, tertia venefica et adjutrix Canidiae. 33) Al. *bis*, *terve.* 35) Al. *aquam.* 36) C. 1. *corpore.* 37) C. 1 et 4. *Exsecta;* al. *exusta*, *exesta*, *exesa*, *extracta*, *exsucta*, *exuta*, *exerta*, *exhausa*, *execta* 40) C 4. *pubulae*, al. *pupillae.* 42) Venefica ex Arimino, urbe Italiae, nata. 43) Tranquilli viventes Neapolitani. 45) Voce Tessalarum veneficarum. 46 Al. *diripit.* 48) Ungues irresectos admordens. 53) Al. *domus.* 55) C. 1. *Formidolosis;* al. *cum latent*, i. e. interea dum nox est. 56) C. 1. *sopori*,

Senem, quod omnes rideant, adulterum
  Latrent Suburanae canes,
Nardo perunctum, quale non perfectius
  Meae laborarint manus.
Quid accidit? cur dira barbarae minus
  Venena Medeae valent,
Quibus superbam fugit ulta pellicem,
  Magni Creontis filiam,
Quum palla, tabo munus imbutum, novam
  Incendio nuptam abstulit?
Atqui nec herba, nec latens in asperis
  Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
  Oblivione pellicum.
Ha! ha! solutus ambulat veneficae
  Scientioris carmine?
Non usitatis, Vare, potionibus,
  (O multa fleturum caput!)
Ad me recurres; nec vocata mens tua
  Marsis redibit vocibus.
Majus parabo, majus infundam tibi
  Fastidienti poculum.
Priusque coelum sidet inferius mari,
  Tellure porrecta super,
Quum non amore sic meo flagres, uti
  Bitumen atris ignibus.
Sub haec puer, jam non, ut ante, mollibus

57) C. 1. *quo*, Gl. propter senectutem. 58) C. 4. Suburbanae; al. suburranae, suburhanae. 60) Al. *laborarunt*. 61) C. 1. Gl. Tacite ostendit Canidiam Varo dedisse veneficia, sed non ita provenisse, ut voluerat, qua propter indignatur venena sua non ita, ut vellet, efficacia fuisse, quae venena Medeae dicuntur fuisse. 63) Al. *superba*. 64) C. 4. *Creonis*. Creon, rex Corinthi, cujus filiam Creusam s. Glaucam Jason, repudiata Medea, in uxorem duxit: qua re Medea in furorem conversa illam veste veneno tinctam misere occidit. 65) Al. *infectum, nova*. 68) C. 1. *cupilibus*. C. 4. *omnium unctis*, pro *u. o.* 69) Al. *En dormit*. 70) C. Gu. *pelicum*. 71) C. 1. *Ah! ah!* Bentl. *Aha!* 73) Varus fuit amicus Canidiae inconstans. Non usitata potione, i. e. potentiore incantationis genere. 74) C. 4. *flecturum*. 75) C. 4. *recurrens*; C. 1. *non vocata*. 76) Marsis, Gl. magicis ab amore meo incantationibus. 79) Al. *sedet — mare*. 81) Al. *mei*. 83) Al. *Sub hoc*. C. 4. Gu. *puer non ut*, sine: *jam*, quod manus rec. adseruit.

  Lenire verbis impias;
Sed, dubius unde rumperet silentium,
  Misit Thyesteas preces:
Venena! magnum fas, nefasque, non valent
  Convertere humanam vicem?
Diris agam vos; dira detestatio
  Nulla expiatur victima.
Quin, ubi perire jussus exspiravero,
  Nocturnus occurram furor;
Petamque vultus umbra curvis unguibus;
  (Quae vis Deorum est Manium)
Et inquietis assidens praecordiis,
  Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc, et hinc saxis petens,
  Contundet obscaenas anus:
Post insepulta membra different lupi,
  Et Exquilinae alites.
Neque hoc parentes, heu mihi superstites!
  Effugerit spectaculum.

86) Emisit in veneficas imprecationes horribiles, qualibus Thyestes, Pelopis filius, in fratrem Atreum usus est, qui filios ejus interemtos, dissectos et decoctos, comedendos illi apposuerat. 87) Magnum fas. Hoc ex dogmate philosophorum de fato immutabili explicandum est. 88) Bentl. *Non vertere hum. vices*, sicut: *Venena magica fas* etc. Baxter humanam vicem explicat poenarum vices, divinamque vindictam dicto fatorum tempore. 89) Diris, i. e. furiis. 94) Quae umbra violentia et ultio est Deorum animarum mortuarum, sicut per umbras Dii manes se vindicent. 98) Al. *Contundat obscenas*. 99) *Different*, i. e. dissipabunt corpora vestra insepulta. C. Gu. *deferent*. 100) Al. *Esquilinae*, i. e. vultures aves, quae in Esquiliis, colle urbis Romae, volitare solent. 101) Al. *Neque heu*. 102) Al. *Effugerint*, *effugerant*, *effugeret*, *effugerent*. C. 1. Gl. Non lateat vos mortis meae spectaculum.

ODE VI.

IN CASSIUM SEVERUM.

Poetae maledico, et petulanti minatur ultionem.

Metrum idem.

Quid immerentes hospites vexas, canis,
  Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas;
  Et me remorsurum petis?
Nam, qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon
  Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nives,
  Quaecunque praecedet fera.
Tu, quum timenda voce complesti nemus,
  Projectum odoraris cibum.
Cave, cave: namque in malos asperrimus
  Parata tollo cornua;
Qualis Lycambae spretus infido gener,
  Aut acer hostis Bupalo.
An, si quis atro dente me petiverit,
  Inultus, ut, flebo, puer?

ODE VI. 2) Al. *adversus.* 3) C. 1. *inanis*, C. 4, Gu. *verte.* Al. *Quid? hoc inaneis verte, si potes, minas, Et me remorsuram pete.* Al. *si potis, verte.* 4) C. Gu. *pete.* 5) Hic comparat se Horatius bonis, qui habentur in Molosso, oppido Thessaliae — vel in Laconia, civitate Graeciae. Molossus canis est magnus et procerus, Lacedaemonius vero admodum agilis. Al. *Laco.* 6) Vis est defensio. 8) Al. *praecedat, procedit, quacunque procedat.* 9) C. Gu. *tremenda.* 10) Vanderb. *odorari cibum Cave.* 12) Al. *tollam.* Markland: *Irata tollo.* 13) C. 4. *Licambae*, Gl. Licambae. C. 1. Gl. Talis in illos sum, qualis fuit poeta Archilochus, jamborum scriptor, qui, cum Lycambae filiam suam Neobulam desponsasset, et postea sententia mutata Archilochum generum sprevisset, eique filium denegasset, ab Archilocho opprobriis una cum filia dilaceratus, et tandem ad suspendium compulsus fuit. 14) Poeta Hipponax Bupalum generum ob filiam promissam diutissime jambis insectatus est, ut Archilochus. 15) Al *Bubalo,* C. 4. *Aut, si quis.* Al. *oppetiverit.* 16) Al. *aut flero.*

ODE VII.

AD POPULUM ROMANUM.

Detestatio bellorum civilium.

Metrum idem.

Quo, quo, scelesti, ruitis? aut cur dexteris
  Aptantur enses conditi?
Parumne campis, atque Neptuno super
  Fusum est Latini sanguinis?
Non, ut superbas invidae Carthaginis
  Romanus arces ureret;
Intactus aut Britannus ut descenderet
  Sacra catenatus Via:
Sed ut, secundum vota Parthorum, sua
  Urbs haec periret dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
  Umquam nisi in dispar, feris.
Furorne caecus, an rapit vis acrior?
  An culpa? responsum date.
Tacent; et albus ora pallor inficit,
  Mentesque perculsae stupent.
Sic est; acerba fata Romanos agunt,
  Scelusque fraternae necis;
Ut immerentis fluxit in terram Remi
  Sacer nepotibus cruor.

ODE VII. C. 1. In P. R. *Detestatio bellorum civ. gestorum hinc Bruto et Cassio, illinc Octaviano, M. Antonio et M. Lepido ducibus.* 1) Al. *et cur.* Gl. Hor. incipit ab exclamatione, dolens, quod volunt bella civilia reparare pro Caesare. 5) Carthaginis, Gl. quae semper fuit aemula gloriae Romanorum. 7) C. Julius Caesar Britannos aggressus est, et superavit. 9) C. 4. *Parthorum vota*, quae sc. fuerunt pro exitio Romae. 12) Al. *Usquam, nunquam, nisi in dispar*, Gl. genus. Al. *in dispar genus*, al. *disparibus.* 13) C. 4. *aut* rapit vis acrior? Gl. violentia Deorum, qui iram suam nobis inferunt. Bentl. *caecos* 15) C. 1. *et ora pallor albus*, C. 4. *color.* 16) Al. *percussae*, i. e. eorum. 17) Romani ad bellum civile coguntur, ut scelus fraternae necis luant, i. e. parricidium occisi Remi. 20) Sacer, i. e. exsecrabilis.

ODE VIII.
IN ANUM LIBIDINOSAM.

Metrum idem.

Rogare longo putidam te saeculo,
  Vires quid enervet meas!
Quum sit tibi dens ater, et rugis vetus
  Frontem senectus exaret;
Hietque turpis inter aridas nates
  Podex, velut crudae bovis!
Sed incitat me pectus, et mammae putres,
  Equina quales ubera;
Venterque mollis, et femur tumentibus
  Exile suris additum.
Esto beata: funus atque imagines
  Ducant triumphales tuum;
Nec sit marita, quae rotundioribus
  Onusta baccis ambulet.
Quid? quod libelli Stoici inter sericos
  Jacere pulvillos amant,
Illiterati num minus nervi rigent?
  Minusve languet fascinum?
Quod ut superbo provoces ab inguine,
  Ore adlaborandum est tibi.

ODE VIII. C. 1. *In Anum libidinosam, prostitutam, putidam Gratidium, quam aspernatur, cujus vitia corporis detestatur.* Al. *Ad unum deformem vel Gratidiam.* 1) C. 1. Gl. Miror, cur petas a me concubitum, cum non erit mihi delectatio, sed virium enervatio. 2) Al. *quod.* C. Gu. *qui enervet.* 3) C. 4. *Cum sit ater tibi dens.* 5) C. 4. *Hi-atque.* 13) Gl. pretiosioribus margaritis, pro lauris, myrtis et oleis. C. Gu. *Ne sit.* 16) C. 4. *amant pulvillos,* i. e. etiam in lecto philosophicis te studiis delectari simulas? Esto etiam doct : quid ad amorem? 17) C. 1. Gl. Hor. nervos pro membro virili posuit. Al. *illiteratis non minus. Rigent.* 18) C. 4. *fascenis*, Gl. fascinum? Bentl. *magisve* pro *minusve.*

ODE IX.
AD MAECENATEM.

Allata Actiacae victoriae fama, Poeta se publicae laetitiae moram impatienter ferre ostendit. Interim insanum Antonii amorem jambis suis tangit, Aegyptiamque militiam deridet.

Metrum idem.

Quando repostum Caecubum ad festas dapes,
  Victore laetus Caesare,
Tecum sub alta, sic Jovi gratum, domu,
  Beate Maecenas, bibam;
Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
  Hac Dorium, illis Barbarum?
Ut nuper; actus quum freto Neptunius
  Dux fugit ustis navibus,
Minatus urbi vincla, quae detraxerat
  Servis amicus perfidis.
Romanus, heu, heu! posteri negabitis,
  Emancipatus feminae,
Fert vallum, et arma miles, et spadonibus
  Servire rugosis potest!
Interque signa turpe militaria
  Sol adspicit conopium.
Ad hoc frementes verterunt bis mille equos
  Galli, canentes Caesarem;

ODE IX. C. 1. Ad Maecenatem ternarius jambicus, binarius jambicus, epodicos, adversus Cleopatram et Antonium. 1) C. 4. *positum* pro *repostum.* Al. *Quando o repositum Caecubum*, i. e. vinum optimum. 3) C. 1. *sic gratum Jovi.* Al. *domo.* Markland dubitat de voce *domo* v. *domu.* 5) Al *mixtis.* C. Gu. *mistum.* 6) Al. *Doricum.* 7) C. 1. *At nuper, actus cum.* Neptunius, i. e. Neptuni filius, Caesar dici voluit. 9) Al. *detexerat.* C. Gu. *vincula.* 11) C. 4. *et heu!* Al. *eheu!* Gl. Exclamatio poetica de militibus Romanorum, qui Antonium secuti non solum Cleopatrae, sed etiam eorum spadonibus et eunuchis servient, utpote minores illis. Non credent, inquit, posteri Romanos milites veluti dotales Cleopatrae datos ab Antonio. C. Gu. *heheu.* 16) C. 1, 4, Gu. *canopeum*, Gl. quod est genus retis ad culices et muscas abigendas. Hoc maxime Alexandrini utuntur, qui abundant culicibus. *Aspicit sol*, significat, illud palam cunctis militibus deportari. Al. conopea, canopea, canopia, canopeia. 17) C. 1. *Adhuc*, C. 4, Gu. *Ad hunc*, Gl. hac de re; *ad* vel *at huc — verterant. Frementes* etc. significat, duo millia equitum Gallorum ab Antonio ad Augustum defecisse.

Hostiliumque navium portu latent
  Puppes sinistrorsum citae.
Io Triumphe! tu moraris aureos
  Currus, et intactas boves?
Io Triumphe! nec Jugurthino parem
  Bello reportasti ducem;
Neque Africano, cui super Carthaginem
  Virtus sepulcrum condidit.
Terra, marique victus hostis, Punico
  Lugubre mutavit sagum.
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
  Ventis iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
  Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, scyphos,
  Et Chia vina, aut Lesbia;
Vel, quod fluentem nauseam coërceat,
  Metire nobis Caecubum.
Curam, metumque Caesaris rerum, juvat
  Dulci Lyaeo solvere.

ODE X.

IN MAEVIUM POETAM.

Homini duro, et maledico, seculique sui ingeniis infesto, in Graeciam navigaturo, tempestatem et naufragium imprecatur.

Metrum idem.

Mala soluta navis exit alite,
  Ferens olentem Maevium.
Ut horridis utrumque verberes latus,
  Auster, memento fluctibus.

---

20) C. 1. *citae*, Gl. citatae, motae. Al. *sitae.* 21) Markland: *cur mor.* 23) C. 4. *Jugurtheo.* 25) Al. *Africanum* sc. Scipionem, pro *Africano* sc. bello. C. 4. *semper Carth.* Gl. Fama vivet Scipio Africanus junior cum ipsa Carthagine. 28) C. 1. Gl. deposita veste candidiore indutus est, ut meruit, servili. Ad marginem C. 1. hic legitur: *De fuga Antonii*, quasi novum carmen inciperet. 31) A Noto tempestuosas in sinu Africae. Al. *feretur.* 34) Al. *Aut Chia.* 35) Al. *nausiam.* 37) Klotz legit *Caesaris tecum*, et intelligit Maecenatem.

ODE X. Al. *In Marcum Maevium* vel *Naevium.* 1) C. 4. *erit.* 4) Al. *flatibus.*

Niger rudentes Eurus, inverso mari,
  Fractosque remos differat.
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
  Frangit trementes ilices:
Nec sidus atra nocte amicum appareat,
  Qua tristis Orion cadit;
Quietiore nec feratur aequore,
  Quam Graja victorum manus,
Quum Pallas usto vertit iram ab Ilio
  In impiam Ajacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis,
  Tibique pallor luteus!
Et illa non virilis eiulatio,
  Preces et aversum ad Jovem;
Ionius udo quum remugiens sinus
  Noto carinam ruperit!
Opima quod si praeda curvo littore
  Porrecta mergos juveris;
Libidinosus immolabitur caper,
  Et agna Tempestatibus.

ODE XI.

AD PECTIUM.

Apud eum liberrime queritur, se amore Lycisci captum non posse ad versus faciendos operam et studium conferre.

Metrum Archilochium tertium.

υ - | υ - | υ - | υ - | υ - | υυ
- υ.υ | υυ - | υ | υ - | υ - | υ - | υυ

Pecti, nihil me, sicut antea, juvat
  Scribere versiculos, amore perculsum gravi:

---

6) Al. *Tractosque — deferat.* 8) Al. *Frangat, plangit trementis.* Klotz somniat *gementes.* 11) C. 1. *Quietiori*, al. *quietiusve.* 13) Al. *usta.* 15) C. Gu. *nautis.* 16) Al. *Tibi quam.* Pallor luteus est subflavus. 18) C. Gu. *Preces adversum*; manus rec. superposuit *et.* 19—20) Al. *sinu Notus*, al. *notho.* 21) Opima, Gl. pingue corpus meum. 22) C. 1, 4, Gu. *juverit.* Al. *projecta.*

ODE XI. C. 1. *Ad Pettium de Inachia, qua(m) diligit. Ternarius jambicus, quadratus compositus a dactylo in jambicum.* Al. *Ad Pettium contubernalem, Petium.* 2) Al. *percussum.*

Amore, qui me praeter omnes, expetit
  Mollibus in pueris, aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo destiti
  Inachia furere, silvis honorem decutit.
Heu! me, per urbem (nam pudet tanti mali)
  Fabula quanta fui! Conviviorum et poenitet,
In quis amantem et languor, et silentium
  Arguit, et latere petitus imo spiritus.
Contrane lucrum nil valere candidum
  Pauperis ingenium! querebar, applorans tibi;
Simul calentis inverecundus Deus
  Fervidiore mero arcana promorat loco.
Quod si meis inaestuet praecordiis
  Libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
Fomenta, vulnus nil malum levantia;
  Desinet imparibus certare summotus pudor.
Ubi haec severus te palam laudaveram;
  Jussus abire domum, ferebar incerto pede
Ad non amicos, heu! mihi postes, et, heu!
  Limina dura, quibus lumbos et infregi latus.
Nunc, gloriantis quamlibet mulierculam
  Vincere mollitia, amor Lycisci me tenet;
Unde expedire non amicorum queant
  Libera consilia, nec contumeliae graves;
Sed alius ardor, aut puellae candidae;
  Aut teretis pueri, longam renodantis comam.

---

6) C. 4. *Inachina.* 8) Bentl. *conviviorum ut poenitet,* Torrentius: *heu poen.* 9) C. 1. *amantem langor,* Gl. *stupor.* Al. *In queis.* C. Gu. *In quis amantem languior.* 10) C. 1. Gl. suspiria ab intimo producta. 11) Al. *Contraque.* C. 4. *Contorquet*, licet hic versus a Glossatore serius insertus sit. C. Gu. *Contra me.* 14) Al. *Fervidiora.* 15) Al. *Inaestuat.* 16) Al. *Venus dividat.* Markland: *ventis dedicet.* 17) Al. *allevantia.* C. Gu. *levantia malum.* 19) Al. *Ut haec.* C. 1. Gl. *coram te,* vel *tibi.* C. Gu. *Ubi hoc.* 22) C. Gu. *dira — infregit.* 24) Al. *mollitie.* C. Gu. *lycissi,* 25) C. 4. *Unde me expedire*, sine: *non.* 28) C. 4. *teneri* pro *teretis.*

ODE XII.
IN ANUM LIBIDINOSAM.

Invehitur in eam, quae illius amores ambiebat.

Metrum I. 7.

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
  Munera cur mihi, quidve tabellas
Mittis, nec firmo juveni, neque naris obesae?
  Namque sagacius unus odoror,
Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
  Quam canis acer, ubi lateat sus.
Qui sudor victis, et quam malus undique membris
  Crescit odor, quum pene soluto
Indomitam properat rabiem sedare! Nec illi
  Jam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili; jamque subando
  Tenta cubilia, tectaque rumpit:
Vel, mea quum saevis agitat fastidia verbis:
  Inachia langues minus ac me:
Inachiam ter nocte potes; mihi semper ad unum
  Mollis opus. Pereat male, quae te,
Lesbia, quaerenti taurum, monstravit inertem;
  Quum mihi Cous adesset Amyntas,
Cujus in indomito constantior inguine nervus,
  Quam nova collibus arbor inhaeret.
Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
  Cui properabantur? tibi nempe:
Ne foret aequales inter conviva, magis quem
  Diligeret mulier sua, quam te.
O ego infelix, quam tu fugis, ut pavet acres
  Agna lupos, capreaeque leones!

ODE XII. C. 1. *In Gratidiam converso nomine. Senarius epicus, quadratus dactylus, epodicos.* Al. *Ad Inachiam meretricem.* 1) Al. *Quid tibi vis?* C. 1. Gl. barris, deformibus elephantis, qui magna habent genitalia. non ergo *viris.* 2) C. 4. *Munera cur mihi, curve tabellas?* Gl. M. quid mihi, quidve tab.? Al. *cur mihi tab.* 3) Al. *Mittes, n. f. j., nec naris.* 5) Al. *Pulypus.* 7) C. 4. *Quis sudor.* 8) Al. *Crescat.* 9) Al. *Neque*, in ejus facie creta sudore liquefacta manet, sed defluit C. Gu. *Neque illi.* 11) Coloratus fimo crocodili terrestris, quo porrigo et furfures abstergerentur. 12) C. 4. *Tensa.* Venerem desiderando, lecti strangula nimio motu disrumpit. 15) Potes, i. e. subigere. 16) Mollis, i. e. debilis amoris opus. Al. Mollis opus, pereat. 18) Amyntas juvenis robustus ex Coo civitate. 19) C. 4. *nervis,* Gl. nervus. 21) Iteratae, al. *intinctae* vestes pretiosae ex lana purpura Tyria. 23) Al. *aequales.* 25) C. 1, Gu. *O ego non felix.* Al. *Jamque ego, non felix.*

ODE XIII.

A D A M I C U M.

Sub allegoria hiemis, ac horribilis tempestatis, Reipublicae Romanae calamitates innuit: et consolatur amicum moerore confectum ab iisdem; eique, exemplo Achillis, aegrimoniam vino, et cantu esse mitigandam insinuat.

Metrum Archilochium secundum.

- ◡◡ | - ◡◡ | - ◡◡ | - ◡◡ | - ◡◡ | - ◡
◡ - | ◡ - | ◡ - | ◡◡ | - ◡◡ | - ◡◡ | ◡

Horrida tempestas coelum contraxit; et imbres
Nivesque deducunt Jovem: nunc mare, nunc siluae
Threïcio Aquilone sonant. Rapiamus, amici,
Occasionem de die: dumque virent genua,
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move Consule pressa meo.
Cetera mitte loqui: Deus haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenia
Perfundi nardo juvat, et fide Cyllenea
Levare diris pectora sollicitudinibus.
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
Invicte mortalis Dea nate, puer, Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simoïs;
Unde tibi reditum certo subtemine Parcae
Rupere; nec mater domum caerula te revehet.
Illic omne malum vino, cantuque levato;
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.

ODE XIII. C. 1. *Ad Amicos comicos. Senarius epicus quadratus a jambo in dactylum.* 1) Al. *constrinxit.* 3) Bentl. *amice.* C. Gu. thraicio. 6) Vina calcata, quando ego natus essem, Torquato et Cotta Coss., quorum nominibus notabatur vini cadus. 8) C. 1. *Achaemenio*, C. 4. *Achimeneo*, al. *Achaemenia.* 9) Cythara inventa a Mercurio, qui in Cyllene, monte Arcadiae, enutritus dicitur. C. Gu. *Cyllenia* Markland: *juvet* 10) Bentl. *duris.* 11) Al. *ut cecinit grandi.* 12) Bentl. *Invicte, mortalis Dea nate puer;* ut sit sc. mortalis invictus, non puer invictus. C. Gu. *mortalis nate p.* 13) Tellus Trojana, quae Assarici quondam regis fuit. 14) Scamander et Simois, fluvii Trojani, ex Ida monte efluentes. C. Gu. *et lubricus S.* 15) Parcae filum, quod flamini subtexitur. Bentl. *curto sub tegmine, stamine, nomine.* 16) C. 4. *Caerula te.* 17) Al. *Illuc.* C. Gu. *Illic omne vino cantuque malum levato,* 18) Bentl. *aegrimoniae ac d. a.*, al. *et.*

ODE XIV.

AD C. CILNIUM MAECENATEM.

Phrynes amorem obstare, quominus iambos promissos absolvat.

Metrum Pythiambicum primum.

- ◡◡ | - ◡◡ | - ◡◡ | - ◡◡ | - ◡◡ | - ◡
◡ - | ◡ - | ◡ - | ◡◡

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus,
Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim,
Candide Maecenas, occidis saepe rogando.
Deus, Deus nam me vetat
Inceptos, olim promissum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium;
Qui persaepe cava testudine flevit amorem,
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipse miser. Quod si non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tua: me libertina, neque uno
Contenta, Phryne macerat.

ODE XIV. C. 1. *Senarius epicus binarius jambicus epodicos* 1) C. 4. *diffuderet.* 3) Lethaeos, i. e. infernales. C. 4. *velut inducentia*, al. *veluti, uti si.* 5) Valart: *me occidis* 6) Cupido, Deus amoris. 8) Veteres ad formam umbilici solebant librorum suorum tegmenta exornare, i. e. ad finem pervenire. Extremitas chartae papyraceae, vel membranae, ex quibus conficiebantur volumina, adnectebatur bacillo, et circumvolvebatur. Illius capita umbilici formam imitabantur. 10) C. 1. Tegium, C. 4. Tegen, Gl. poetam lyricum ex civitate Teja. 14) C. 1. Olion, Gl. Trojam a Graecis obsessam C. Gu. *obesam.* 15) C. 1. *nec uno.* 16) C. 4. *macerat Pirreni.* C. Gu. *Phirne.*

ODE XV.
AD NEAERAM.

Non servatam ab eo fidem conqueritur, et nuntium ei se missurum minatur.

Metrum ut in praecedenti carmine.

Nox erat, et coelo fulgebat Luna sereno
  Inter minora sidera;
Quum tu, magnorum numen laesura Deorum,
  In verba jurabas mea,
Artius atque edera procera adstringitur ilex,
  Lentis adhaerens brachiis:
Dum pecori lupus, et nautis infestus Orion
  Turbarit hibernum mare,
Intonsosque agitarit Apollinis aura capillos,
  Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura mea multum virtute Neaera!
  Nam, si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes,
  Et quaeret iratus parem.
Nec semel offensae cedet constantia formae,
  Si certus intrarit dolor.
At tu quicunque es felicior, atque meo nunc
  Superbus incedis malo,
Sis pecore, et multa dives tellure licebit;
  Tibique Pactolus fluat;
Nec te Pythagorae fallant arcana renati,
  Formaque vincas Nirea;
Heu, heu! transla os alio moerchis amores:
  Ast ego vicissim risero.

ODE XV. C. 1. *In Naeram amicum*, Gl. querela de Neera. 5) Al. *Arctius, ac.* 7) C. Gu. *lupus nautis* sine *et.* 8) Al. *Turbaret.* 9) Al. Intonsos agitaret. 12) C. 1 et 4. *virium*, Gl. viri, i. e. virilis sanguinis atque virtutis in Flacco Horatio est. C. Gu. *virium est.* 14) Al. *quaerit.* 15) Bentl. *offensi*, al. *cedit instantia* 17) Al. *Et tu.* C. 1. *Et quicunque.* 20) Pactolus fluvius Lydiae aurum volvit. 21) C. 4. *Pythagoris.* 22) C. 1 et 4. Nerea, Gl. Nireus, qui omnium Graecorum formosissimus fuit, quotquot ad Trojam provecti sunt. 23) C. 4. *alto* pro *alio.*

ODE XVI.
AD POPULUM ROMANUM.

Queritur, bellorum civilium nullum esse finem: quare de Republica desperat, aliasque meliores terras, et Insulas fortunatas ipse cogitat; et aliis, ut idem faciant, suadet.

Metrum Pythiambicum secundum.

- ∪∪ | - ∪∪ | - ∪∪ | - ∪∪ | - ∪∪ | - ∪
| ∪ - | ∪ - | ∪ - | ∪ - | ∪ - | ∪ ∪

Altera jam teritur bellis civilibus aetas,
  Suis et ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
  Minacis aut Etrusca Porsenae manus,
Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer,
  Novisque rebus infidelis Allobrox;
Nec fera caerulea domuit Germania pube,
  Parentibusque abominatus Hannibal;
Impia perdemus devoti sanguinis aetas;
  Ferisque rursus occupabitur solum!
Barbarus, heu! cineres insistet victor, et Urbem
  Eques sonante verberabit ungula;
Quaeque carent ventis, et solibus, ossa Quirini,
  (Nefas videre) dissipabit insolens!
Forte, quid expediat? communiter, aut melior pars
  Malis carere quaeritis laboribus?

ODE XVI. C. 1. *Commiseratio Reipublicae de bellis civilibus.* Plures commentatores conjiciunt, hunc epodum post Philippense proelium, inter annos U. C. 711 et 714 scriptum esse. 1) Altera aetas bell. civ. extenditur a morte Caesaris usque ad cladem Antonii. 2) Al. *perit* pro *ruit.* 3) Marsi fuerunt populi Italiae bellicosi. 4) Porsena rex Etruscorum, qui minabatur, se urbem Romam velle demoliri, nisi Romani Tarquinium ejectum vellent recipere. 5) Capuae, i. e. Campanorum. 6) Allobroges fuerunt populi Galliae. Bentl. *Novisve.* 7) C. Gu. *germanica pubes.* 8) Bentl. *Parentibusve*, al. *abominandus.* C. Gu. *parentibus abominatus.* 11) Al. *Urbes.* 12) Al. *Equus, equi.* 14) C. 4, Gu. *videri.* 15 — 16) Al. *Forte, (quod expediat) communiter, aut melior pars Malis c. quaeretis lab.?* Al. *Forte quod expediat.* Al. *Forte*, subintelligunt *quaeretis.* Gl. Forte quaeritis, quomodo careatis malis laboribus, qui perferuntur in bellis civilibus.

Nulla sit hac potior sententia: (Phocaeorum
Velut profugit exsecrata civitas;
Agros, atque Lares patrios, habitandaque fana
Apris reliquit, et rapacibus lupis)
Ire, pedes quocunque ferent, quocunque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? secunda
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed juremus in haec: Simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas:
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina;
In mare seu celsus proruperit Apenninus;
Novaque monstra junxerit libidine
Mirus amor; juvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur et columba miluo;
Credula nec flavos timeant armenta leones,
Ametque salsa laevis hircus aequora.
Haec, et quae poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis exsecrata civitas;
Aut pars indocili melior grege: mollis, et exspes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum;
Etrusca praeter et volate littora.
Nos manet Oceanus circumvagus arva; beata
Petamus arva, divites et insulas,
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usque vinea;

---

17) C. 1. *potior hac.* Al. *hac potius.* Phocaei ab Harpago, Cyri praefecto, in servitutem redacti, exsecrationibus usi sunt. C. Gu. *melior sent.* 18) Bothe non interpungit post *civitas*, et *exsecrata* refert ad *Agros atque L. p.* 19) C. 4. proprios. 21) Al. *Ite*, p. q. *ferunt.* 22) Al. *vocavit.* 25) Al. *in hoc.* 28) C. 1. *Motina.* 29) C. 1. *procurrerit*, al. *decurrerit.* Apenninus mons Italiam paene totam velut dorsum percurrens. 30) Al. *Novave.* C. Gu. *vinxerit.* 32) Al. *milvio.* 33) Al. *saevos, ravos, raevos.* 34) Al. *ametve.* 35) Al. abscidere, abcidere. 36) C. 1 Gl. Eamus omnes, aut melior pars nostrorum eat sc. sapientes et nobiles, remanente ignobili vulgo veluti pigro. C. Gu. *omnes.* 37) Al. *expers.* 38) Al. *perprimet, perprimant.* 39) C. 4. *condite vultum*, Gl. *tollite luctum.* Al. *pellite.* 40) C. 1 et 4. *Etrusca praeter et volate littora.* C. Gu. *praeter evolate.* 41) Al. *circumvagus, arva beata.* 43) Cererem, Gl. messes.

Germinat et nunquam fallentis termes olivae,
Suamque pulla ficus ornat arborem;
Mella cava manant ex ilice: montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic injussae veniunt ad mulctra capellae,
Refertque tenta grex amicus ubera;
Nec vespertinus circumgemit ursus ovili;
Neque intumescit alta viperis humus.
Pluraque felices mirabimur; ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis;
Utrumque rege temperante Coelitum.
Nulla nocent pecori contagia; nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia.
Non huc Argoo contendit remige pinus;
Neque impudica Colchis intulit pedem:
Non huc Sidonii torserunt cornua nautae;
Laboriosa nec cohors Ulyssei.
Jupiter illa piae secrevit littora genti,
Ut inquinavit aere tempus aureum:
Aere dehinc ferro duravit saecula; quorum
Piis secunda, vate me, datur fuga.

---

47) C. Gu. *ex illice.* 48) C. 1. *Nympha.* Al. *prosilit, dissilit.* Al. *Leve.* 51) Al. *Nec vespertinum c. u. ovile.* C. 1 et 4. *vespertinus ovile.* 52) C. 1 et 4. *Nec.* Markland: *alma.* 55) C. 1. Gl. Eurus potius siccus frigidusque, quam aquosus dici potest. 56) C. 1. *rege parante*, al. *imperante.* 57—58) Fea hos duos versus hic inserit, Codices nostri vero eos ponunt post v. 62. 59) Navis Argo ex pino facta, in qua Jason et heroes Graeciae vecti sunt. Al. *Argivo.* 60) C. 4. *Nec inpudica*, Gl. quia amavit Jasonem Medea, et tamen cum ipso Graeciam versus navigavit. 61) Sidonii, a Sidone, celebri Phoeniciae urbe. 62) Cod. 1 et 4. *Ulixei.* C. 4. *laboriosave.* C. Gu. *laboriosi.* 63) Al. *sacravit, dicavit*, Gl. *segregavit.* C. 4. *illa.* 64) Postquam Jupiter aere tempus aureum inquinavit, postea et ferro duravit. Saecula distinguuntur metallis. Markland: *aerea.* 65) Al. *Aerea dehinc.* 66) C. 4. *datur me vate.*

ODE XVII.

IN CANIDIAM VENEFICAM.

Metrum Iambicum senarium.

υ - | υ - | υ - | υ - | υ - | υυ

HORATIUS.

Jam, jam efficaci do manus scientiae;
Supplex et oro regna per Proserpinae,
Per et Dianae non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa coelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris;
Citumque retro solve, solve turbinem.
Movit nepotem Telephus Nereïum
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum, et in quem tela acuta torserat.
Unxere matres Iliae addictum feris
Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem,
Postquam relictis moenibus rex procidit
Heu! pervicacis ad pedes Achilleï.
Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulysseï,
Volente Circa, membra: tunc mens, et sonus
Relapsus, atque notus in vultus honor.
Dedi satis, superque poenarum tibi,
Amata nautis multum, et institoribus.
Fugit juventas, et verecundus color

ODE XVII. C. 1. *Trimeter jambicus*, C. 4. jambicum hexametron. 2) Magici invocant Proserpinam qua Deam inferni. C. Gu. *per regna Pr.* 3) Non movenda, Gl. non offendenda. 5) Al. *Defixa, affixa, detracta, avulsa, evulsa*. C. Gu. *revocare*. 8) C. 4. *Telephos Nereidum*. Tel. Herculis filius, Mysorum rex, commovit Achillem, cujus mater Thetis Nerei fuit filia. C. Gu. *movet*. 11) Al. *Luxere m. I. additum f.* C. Gu. *adductum*. 12) C. 4. *Alitibus, et.* Al. *Hectora*. Achilles, se corpus Hectoris alitibus et canibus projecturum esse, saepe minatus fuerat. 17) C. 4. *Circe*, qua consentiente solis filia jam ab Ulysse placata fuit. Al. *tum mens*. C. Gu. *membra Circe mens, et sonus*. 18) Al. *Relatus*, i. e. externa vi reductus. 21) C. 4. *Fuge*. C. 1. *et v. dolor*. C. Gu. *calor*.

Reliquit ossa pelle amicta lurida;
Tuis capillus albus est odoribus,
Nullum a labore me reclinat otium.
Urget diem nox, et dies noctem; neque est
Levare tenta spiritu praecordia.
Ergo negatum vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marsa dissilire nenia.
Quid amplius vis? O mare! o terra! ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore; nec Sicana fervida
Furens in Aetna flamma. Tu, donec cinis
Injuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quae finis? aut quod me manet stipendium?
Effare: jussas cum fide poenas luam;
Paratus expiare, seu poposceris
Centum juvencos, sive mendaci lyra
Voles sonari; tu pudica, tu proba,
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenae Castor offensus vice,
Fraterque magni Castoris, victi prece,
Ademta vati reddidere lumina.
Et tu, potes nam, solve me dementia,
O nec paternis obsoleta sordibus;
Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres!
Tibi hospitale pectus, et purae manus;

---

22) Al. *Relinquit ora, pelle*. C. Gu. *amictus*. 23) C. 4. *capillis*. Al. coloribus. 24) Al. *ab labore*. 26) Al. *Laxare tenta*. 27) C. 4. *Ergo negato*. Al. *Ego negatum*. 29) Dirumpi malefico carmine. C. Gu. *desilire lyre nenia* (sic). 30) Al. *o caelum et terra*, al. *o mare et terra*. 31) C. Gu. *nec atro*. 32) C. 4. *Nessi sano*, Gl. cruore. 33) C. 1 et 4. *Urens*. Al. *Tua donec — calet*. 35) Ardes ut officina repleta venenis Medeae. 36) C. 4. *Qui finis?* C. Gu. *finit aut quid manet stipendium me*. 37) C. 4. *fine* pro *fide*. 39) Bentl. *juvencis*. C. Gu. *mendace*. 40) C. 4. *sonare*. Al. *Tu pudiica*. 42) Al. *vicem*. Castor iratus gratia sororis suae Helenae infamia notatae a Stesichoro. 44) C. 1. *voti*. C. 4. *reddere*. 47) C. 4, Gu. *Neque*. 48) C. Gu. caret hoc versu.

Tuusque venter partumejus; et tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcunque fortis exsilis puerpera.

CANIDIA.

Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?
Et, Exquilini Pontifex venefici
Impune ut Urbem nomine impleris meo?
Quid proderit ditasse Pelignas anus
Velociusve miscuisse toxicum?
Sed tardiora fata te votis manent:
Ingrata misero vita ducenda est, in hoc,
Novis ut usque suppetas laboribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignae Tantalus semper dapis;
Optat Prometheus obligatus aliti;
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum; sed vetant leges Jovis.
Voles modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus Norico recludere;
Frustraque vincla gutturi nectes tuo,
Fastidiosa tristis aegrimonia.

50) C. 1. *pactum ejus.* Al. *patumejus, pattumejus*, sed optimum esse conjicitur: C. 4 *partum ejus*, i. e. partum mingens, partui aptus. C. Gu. *pactumeus.* 52) C. 1. *exilis.* 54) Al. *undis* pro *nudis.* 55) Al. *condit, tendit.* 56) C. 4. *Cochidia*, al. *Cotycia, Cotytia, Cocytia, Cocitia, Cocithia, Cocicia*, i. e. sacra nocturna et flagitiosa. 57) Al. *sacra.* 58) C. 1. *desquilini*, al. *Esquilini.* C. 4, Gu. *veneficii.* 59) C. Gu. *Impune et ut urbem.* 60) Al. *proderat, proderet.* C. 1. Gl hic Peligna anus pro veneficis populis ponuntur. Markland: *vicisse.* 61) Al. *commisisse.* C. Gu. *Velocius me misc.* 62) Al. *Si* pro *Sed.* C. Gu. *maneant.* 64) Al. *doloribus, cruciatibus.* C. Gu. *Non vis ut.* 65) C. 4, Gu. *infidi*, al. *infidum.* C. 1. caret versibus 65 et 66. 66) C. 4. *datis* pro *dapis.* 67) Vanderbourg: *alligatus; alite.* 68) Sisyphus, astutissimus latro, a Theseo occisus, et apud inferos ad aeternum laborem damnatus, optabat liberari sicut Tantalus. 70) Al. *dissilire.* 72) C. 1 et 4. *innectes.*

Vectabor humeris tunc ego inimicis eques,
Meaeque terra cedet insolentiae.
An, quae movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere Lunam vocibus possim meis,
Possim crematos excitare mortuos,
Desiderique temperare poculum;
Plorem artis, in te nil habentis exitum?

77) Al. *curiosius.* 78) Al. *possum*, al. *diripere.* 79) Al. *possum.* Markland dubitat de voce *crematos.* 80) Al. *pocula.* C. Gu *Desyderiique.* 81) Al. *nihil in te valentis*, al. *in te nihil agentis*, al. *exitus, nullum habentis exitum.* C. Gu. *agentis exitus.*

Q. HORATII FLACCI

CARMEN SAECULARE

PRO INCOLUMITATE IMPERII.

Metrum quale Lib. I. Ode 2.

Phoebe, silvarumque potens Diana,
Lucidum coeli decus, o colendi
Semper, et culti, date quae precamur
Tempore sacro:
Quo Sibyllini monuere versus,
Virgines lectas puerosque castos,
Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.
Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis, et celas; aliusque et idem
Nasceris, possis nihil urbe Roma
Visere majus.
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres;
Sive tu Lucina probas vocari,

CARMEN SAECULARE. C. 1. Quod patrimi et matrimae cantaverunt ad chorum puellarum et puerorum in Apollinem et Dianam. Proseutice tetracolos. 4) Al. *prisco.* 5) Auctoritas Sibyllinorum librorum multum valuit apud veteres Romanos. C. 4, Gu. *Quod*, al. *quos* sc. pueros. 6) Al. laetas, C. 1. Gl. illibatas virgines et pueros religiosos. 10) C. 4. et eidem. 13) Rite, Gl. solito tempore. 14) C. Gu. *ilithia.*

Seu Genitalis.
Diva, producas subolem; Patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque novae feraci
Lege marita:
Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro, totiensque grata
Nocte frequentes.
Vosque, veraces cecinisse, Parcae,
Quod semel dictum, stabilisque rerum
Terminus servat, bona jam peractis
Jungite fata.
Fertilis frugum, pecorisque Tellus
Spicea donet Cererem corona:
Nutriant fetus et aquae salubres,
Et Jovis aurae.
Condito mitis, placidusque telo,
Supplices audi pueros, Apollo:
Siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas.
Roma si vestrum est opus; Iliaeque
Littus Etruscum tenuere turmae;
Jussa pars mutare Lares, et urbem
Sospite cursu:
Cui per ardentem sine fraude Trojam
Castus Aeneas, patriae superstes,
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis:
Di, probos mores docili juventae;

---

16) Bentl. *Genetyllis*, sed inepte, quia Venus subintelligitur. 17) C. Gu. *sobolem.* 21) Al. *certos ut denos*, sed inepte. Precamur, ut certus annus i. e. saeculum, quod continet centum annos, cantus referat et ludos saeculares. 23) C. 4. *die sacro*, al. *totidemque.* 26) Al. *dictum est.* Bentl. Quod semel dictum, stabilis per aevum servet terminus rerum Romanarum. 27) C. 4. servet. 29) C. 1. *Feralis*, Gl. *fertilis.* 30) C. 4 C. *Spicia*, Gu. *Spiceam donet Cereris coronam.* 31) Salubres aquae sunt tempestivi imbres, neque nimii. 33) Recondito telo laxatoque arcu. 35) In primis novilunii diebus. 39) Al. *urbes.* 40) Markland: *hospite terra.* 41) Markl. *sine damno* pro *sine fraude.* 42) Al. *Cautus.* 43) C. Gu. *laturus.* 45) Al. *facili* pro *docili*, al. *docilis.*

Di, senectuti placidae quietem;
Romulae genti date remque, prolemque,
Et decus omne.
Quique vos bubus veneratur albis,
Clarus Anchisae, Venerisque sanguis,
Imperet bellante prior; jacentem
Lenis in hostem,
Jam mari terraque manus potentes
Medus, Albanasque timet secures:
Jam Scythae responsa petunt, superbi
Nuper, et Indi.
Jam Fides, et Pax, et Honos, Pudorque
Priscus, et neglecta redire Virtus
Audet; apparetque beata pleno
Copia cornu.
Augur, et fulgente decorus arcu,
Phoebus, acceptusque novem Camenis;
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus;
Si Palatinas videt aequus aras,
Remque Romanam, Latiumque; felix
Alterum in lustrum, meliusque semper
Prorogat aevum:
Quaeque Aventinum tenet, Algidumque,
Quindecim, Diana, preces virorum
Curat; et votis puerorum amicas

---

46) Al. *senectutis.* 47) Vanderbourg: *rem prolemque.* C. Gu. *Romuleae — rem prolemque.* 48) C. 4. *prolem*, sine: *que.* 49) C. 1, Gu. *Quaeque*, sc. gens, *bobus* sc. mactatis. 50) Augustus Caesar, clarus Romanorum princeps, Anchisa et venere oriundus. 51) Al. *Impetret* potius: nam A. U. C. 736, quo cantatum hoc carmen est ludorum secularium die tertio, totus regnabat Augustus, ut imperium ei optare inepte fuisset. 53) Al. *manum potentem.* 54) Romanum imperium, dictum ab Albano monte in Italia. 55) Ab Augusto mandata et amicitiam petunt. 57) C. Gu. *honor.* 61) C. 4. *decoris*, al. flagrante. 62) Propter musicam novem musicis acceptus. C. Gu. *acceptumque nomen.* 65) Al. *arces, aedes.* Markland: *Qui Palatinas.* 66) Bothe ita distinguit: *Latiumque felix alterum in lustrum.* 68) C. 1 et 4. *Proroget*, al. *prerogat.* 69) Mons Algidus, in quo Dianae sacra celebrabantur. 71) Al. *Curet.*

Applicat aures:
Haec Jovem sentire, Deosque cunctos,
Spem bonam, certamque domum reporto,
Doctus, et Phoebi, chorus, et Dianae,
Dicere laudes.

---

72) Al. *Applicet.* C. Gu. *Deos cunctos.* 73) C. 4. *Hoc Jovem.* 74) C. 1. *reportet.* 75) Al. Phoebo. Ordo est: Ego chorus doctus dicere laudes Phoebi et Dianae, spem bonam et certam domum repeto, Jovem et omnes Deos haec sentire. 76) Al. *discere* — Plures editores superscribunt versui primo: *Uterque Chorus*, versui 9. *Chorus Puerorum*, v. 13. *Chorus Puellarum*, v. 25. *Ch. puer.*, v. 29. *Ch. puell.*, v. 33. *Ch. puer.*, v. 35. *Ch. puell.*, v. 37. *Ch. puer.*, v. 49. *Ch. puell.*, v. 53. *Ch. puer.*, v. 57. *Ch. puell.*, v. 61. *Ch. puer.*, v. 69. *Ch. puell.*, v. 73. *Uterque Chorus.*

Q. HORATII FLACCI

SERMONUM

LIBER PRIMUS.

SATIRA I.

Invehitur primum in eos, qui, sua sorte numquam contenti, aliorum vitae institutum proprio anteferunt: deinde in eos, qui contra in instituto suo constantes nullis laboribus parcunt, nulla non obeunt pericula, ut lucrum domum reportent; demum avaros insectatur.

Quî fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu Fors objecerit, illa
Contentus vivat; laudet diversa sequentes?
O fortunati mercatores! gravis annis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contra mercator, navim jactantibus austris,
Militia est potior. Quid ni? concurritur: horae
Momento cita mors venit, aut victoria laeta.
Agricolam laudat juris, legumque peritus,

LIBER I. SERMONUM. SATIRA I. Alii: IN AVAROS. 1) Acron: *sortem*, propositum, professionem, institutum vivendi. 2) Al. *Sors obj., illa.* 3) Laudet sc. quisque. 4) Al. *gravis armis.* 6) Al. *navem.* Verbum *mercatoris* hic oppositum est illis *cauponis et institoris.* 7) Al. *Quid enim?* pro: *Quare non?* 8) Bentley: *Momento aut cita mors,* quocum consentit et Heindorf. 9) Al. *legum jurisque per.*

Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille, datis vadibus, qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi
Quo rem deducam. Si quis Deus, *En ego*, dicat,
Jam faciam quod vultis: eris tu, qui modo miles,
Mercator: tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Eja!
Quid statis? — Nolint. Atqui licet esse beatis.
Quid causae est, merito quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inflet; neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?
Praeterea: (ne sic, ut qui jocularia, ridens
Percurram: quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.
Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.)
Ille, gravem duro terram qui vertit aratro,
Praefidus hic campo miles; nautaeque, per omne
Audaces mare qui currunt; hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Ajunt, quum sibi sint congesta cibaria: sicut
Parvula, nam exemplo est magni, formica, laboris,
Ore trahit quodcunque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri.
Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit; et illis utitur ante
Quaesitis patiens: quum te neque fervidus aestus

10) C. 1. *Cantu.* Sub *consultor* intelligendus est *juris peritus Sulpicius.* 11) Al. *ad urbem est.* — Vadibus s. sponsoribus. 13) Caeteri sunt tam multi, qui per inconstantiam diversa laudant, ut delassare possint. 14) Al. *Delaxare, Laxare ut valeant.* Fabius aliquot libros conscripserat satis verbose. 19) Bentl. *nolunt.* Al. *licet esse beatus.* Nolint sc. mutare. 23) Ut qui res joculares et ludicras percurrit, ut Lucilius. Al. *nec sic ut.* 25) Al. *Quis vetat? — Olim* pro *non nunquam, interdum.* 28) Al. *qui terram.* 29) Al. *Fervidus in campo miles;* Bentl. *Perfidus hic caupo, miles;* Markland: *Causidicus vafer hic, miles;* Valart: *Callidus hic cautor, miles.* Nautae hic sunt mercatores, qui navem non pro pretio exercent. 35) Al. *haud incauta, ac non ignara.* 36) Al. *constringit.* — *Quae* sumendum est pro *At ea.* 38) Bentl. *Quaesitis sapiens.* Al. *nec fervidus aestus — nec hiems.*

Demoveat lucro; neque hiems, ignis, mare, ferrum;
Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
Quid juvat, immensum te argenti pondus, et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
Quod, si comminuas, vilem redigatur ad assem.
At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Millia frumenti tua triverit area centum;
Non tuus hoc capiet venter plus, ac meus: ut si
Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehas humero; nihilo plus accipias, quam
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra
Naturae fines viventi, jugera centum an
Mille aret? *At suave est ex magno tollere acervo.*
Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut, tibi si sit opus liquidi non amplius urna
Vel cyatho; et dicas: magno de flumine malim,
Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere. Eo fit,
Plenior ut si quos delectet copia justo,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget, quanto est opus: is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum, decepta cupidine falso,
Nil satis est, inquit: quia tanti, quantum habeas, sis.
Quid facias illi? — Jubeas miserum esse, libenter
Quatenus id facit. Ut quidam memoratur Athenis
Sordidus, ac dives, populi contemnere voces
Sic solitus: populus me sibilat; at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

39) C. 1. *Dimoveat.* 43) Haec est responsio avari. 44) Hor. replicat, nisi aurum tuum minuatur. 45) Nisi area tua reddiderit c. fr. m., sc. modiorum. 46) Al. *capiat venter plus quam meus*; al. *plus ac meus*; al. *plus, quam meus.* 49) Al. *quid conferat intra.* 50) Al. *viventis.* 51) Avarus respondet, et simul interrogatur ab Hor. Est quasi dialogus. 52) Al. *Cum ex parvo*; al. *Dum tamen ex parvo nobis haurire rel.* 53) Al. *plus cumeris laudes.* 54) *Ut*, exempli gratia. 55) Al. *mallem.* 56) *Eo fit* est responsio. 58) C. 1. *Cum simul avulsos ripa ferat* (s. auferat) Aufidus (s. violens Ofonto). 59) Al. *tantulo eget, quantum.* Bentl. *quantum opus est*, sc. prodest. 60) Al. *nec vitam.* 61) C. 1. *Ut bona.* Al. *cupidine falsa.* 63) Bentl. *miserum*, cum referatur ad *pars*. Al. *miserum esse libenter, Quatenus.* 64) Homo quidam sordidissimus, sc. Fabius. 65) Al. *Sordidus, et dives.*

Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina... Quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur. Congestis undique saccis
Indormis inhians; et tanquam parcere sacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Nescis, quo valeat nummus? quem praebeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius: adde,
Queis humana sibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem; noctesque, diesque
Formidare malos, fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat? Horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
At si condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius casus lecto te adfixit; habes qui
Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet, ac natis reddat, carisque propinquis?
Non uxor salvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellae.
Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet, quem non merearis, amorem?
An sic cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis, servareque amicos?
Infelix operam perdas: ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frenis.
Denique sit finis quaerendi: quumque habeas plus,
Pauperiem metuas minus; et finire laborem
Incipias, parto quod avebas. Ne facias quod
Ummidius; qui tam, non longa est fabula, dives,

68) C. 1. *totiens*, sed *to* serius appositum fuit. Tantalus, Pelopis pater, rex Lydiae. Al. *ab labris.* 71) Inhians, timens, sollicitus. 72) C. 1. *Cogere.* Al. *Cogeris, et pictis.* 73) Al. *quid valeat.* — Quo, quorsum, ad quem usum. 76) Al. *exanimum.* 77) Al. *malos fures* sine distinctione. 78) Al. *Non te compilent*, i. e. pilos convellant. 79) Al. *optarem.* 80) Al. *Ac si* 81) C. 1. *afflixit*, Gl. dejecit in lectum. Al. *affixit.* Sed *adfixit* et *adsideat* indicat constantem praesentiam, sicut *suscitet* gravitatem morbi. 82) Fomenta paret, Gl. te foveat. 83) *Suscitet*, Gl. sanum faciat. 87) Al *quem non merearis honorem.* 88) Al. *At si cognatos*; *An qui*; *An si*; *Atqui* 90) Al *perdes.* 91) C. 1. *In campum.* In campo sc. plano, non campo Martio. 92) C. 1. *Cumque habeas plus*; al. *quoque hab.*, *dumque hab.* 93) Fac, ut paup. m. m. 94) Al. *Nec facias*; *avebas, ne fac.* 95) Al. *Quidam*, subintell. *fecit.* Al. *Umidius* ex familia Plebejorum. Al. *Humidius*, *Vimmidius*, *Numidius*, *Unidius*, *Vinidius*, *Vividius*, *Ubidius*, *Avidius*, *Uvidius*, *Vibidius*, *Fufidius.*

Ut metiretur nummos; ita sordidus, ut se
Non unquam servo melius vestiret; ad usque
Supremum tempus, ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.
Quid mi igitur suades? ut vivam Naevius? aut sic
Ut Nomentanus? Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere? Non ego, avarum
Quum veto te fieri; vappam jubeo, ac nebulonem.
Est inter Tanain quiddam, socerumque Viselli.
Est modus in rebus; sunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.
Illuc, unde abii, redeo. Nemon' ut avarus
Se probet, ac potius laudet diversa sequentes?
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat? neque se majori pauperiorum
Turbae comparet; hunc atque hunc superare laboret?
Sic festinanti semper locupletior obstat.
Ut, quum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Praeteritum temnens extremos inter euntem.

---

96) Ita sordidus, subint. *qui erat.* 100) Loco *Tyndaridum* i. e. graec. mulierum. Poeta hic alludit ad Clytaemnestram, quae Agamemnonem maritum occidit. Tyndari proles fuerunt Castor et Pollux, Helena et Clytaemnestra. Al. *Tyndareurum*, *Tyndariarum.* 101) Al. *Maenius*, *Maevius*, homo avarus et sordidus. (Conf. Ep. I. 15, 26.) Al. *An sic*, *ac sic.* Al. supponunt hic hominem luxuriosum et prodigum. 102) *Nomentanus*, parasitus Nasidieni Rufi, homo luxuriosus. 104) *Vappam*, Gl. stultum. Al. *aut nebulonem.* Vappa proprie dicitur vinum corruptum, quod nec vinum nec acetum est. 105) Visellii socer herniosus fuisse dicitur Tanais, libertus Maecenatis, nobilissimus spado. Al. *Tanaim.* 107) Al. *Quos ultro citroque non est contendere tutum.* 108) *Illuc—redeo* duplex est sensus Gl., aut quod omnes aliena studia approbant, aut avarus in eo sibi, quod avarus est, placet. Al. *Nemo ut avarus.* 109) Ad sermonis sui sensus, quem invocaverat, recurrit Hor. Cum ceperit dicere, nullum hominem statu rerum suarum gaudere et laudare diversa, a quibus dissentiret, tamen avarum gaudere proposito suo solum. Haec autem admiratio pronuntiantis non ad illud pertinet, quod avarus se non probet, sed quod nemo alius. Al. *at potius.* 110) Al. *cap. ferat.* 111) Quomodo tabescat avarus, cum videat pleniora ubera capellae vicini esse. 12) Al. v. 109—112: *probat — laudat — comparat — laborat.* 113) Al. *obstet.* 115) C. 1. *suos*, al. *suis.* — Illum sc. equum.

Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat; et exacto contentus tempore, vita
Cedat, uti conviva satur, reperire queamus.
Jam satis est: Ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

SATIRA II.

Stultos, dum vita quaedam declinant, in contraria incidere.

Ambubajarum collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
Maestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli:
Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus esse
Dicatur, metuens, inopi, dare nolit amico,
Frigus quo, duramque famem depellere possit.
Hunc si perconteris, avi cur, atque parentis
Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,
Omnia conductis coëmens obsonia nummis?
Sordidus, atque animi quod parvi nolit haberi,
Respondet. Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappae famam timet, ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in foenore nummis,
Quinas hic capiti mercedes exsecat; atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urguet.

---

118) Al. *vitae.* 119) C. 1. *Caedat.* 120) Bentl. *lippum.* Crispinus ineptus et garrulus, qui de Stoica philosophia versibus scripsit, et Aretalogus dictus est.

SATIRA II. Al. IN MOECHOS. 1) Amb. coll. sunt conventus infamium atque impudicarum mulierum tibicinatum, ebrietate balbutientium. Pharmacopolae sunt venenarii, unguentarii, unctores, pigmentarii. 2) Al. *mimi*, *baratrones.* Torrent. Mendicos appellari existimat Isiacos ac Gallos, sacerdotes Cybeles, stipem colligere solitos. 3) C. 1. *Tigilli.* Tigellius Hermogenes musicus peritissimus et vocis eximiae C. Caesari dictatori et postea Cleopatrae acceptissimus. 4) *Hic*, i e avarus. 6) Al. *diramque famem depellere.* 8) Cur devoret sine ulla grata satietate. Stringat i. e. consumat, attenuet, deminuat, radat. 9 Conductis s. foenori sumtis. 12) Fufidius foenerator improbissimus. Al. *Fufitius*, *Futidius.* 14) Al. *mercedis*, quinas usuras sorti detrahit s. exsecat. Al. *exigit.* In denarios centenos usurae recte exigebantur. 15) Tanto gravioribus usuris onerat unumquemque, quanto intellexerit eum negligentius res suas agere.

Nomina sectatur, modo sumta veste virili,
Sub patribus duris tironum. Maxime, quis non,
Jupiter! exclamat, simul atque audivit? *At in se*
Pro quaestu sumptum facit hic: vix credere possis,
Quam sibi non sit amicus: ita, ut pater ille, Terenti
Fabula quem miserum gnato vixisse fugato
Inducit, non se pejus cruciaverit, atque hic.
Si quis nunc quaerat, Quo res haec pertinet? Illuc:
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Malchinus tunicis demissis ambulat: est qui
Inguen ad obscaenum subductis usque facetus:
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.
Nil medium est. Sunt, qui nolint tetigisse nisi illas,
Quarum subsuta talos tegat instita veste.
Contra alius nullam nisi olenti in fornice stantem.
Quidam notus homo quum exiret fornice, *Macte*
Virtute esto, inquit sententia dia Catonis:
Nam simulac venas inflavit tetra libido,
Huc juvenes aequum est descendere, non alienas
Permolere uxores. Nolim laudarier, inquit,
Sic me, mirator cunni Cupiennius albi.
Audire est operae pretium, procedere recte
Qui moechis non vultis, ut omni parte laborent;
Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque haec rara, cadat dura inter saepe pericla.

---

16) Nom. sect. tir. in libris mercatorum. Debitores enim nomina dicebantur, postquam in codices relati sunt. 18) C. 1. *exclamet*. 19) C. 1. *facit hoc*. 21) C. 1. *gnato — vixisse* pro *viventem*. 23) *Pertinet* pro *pertineat*. 25) Wieland: *Malchinus*, homo mollis, distinctus (tunica soluta) incedere solitus, fors. Maecenas ipse. Al. *Maltinus*, Bentl. *Malthinus*, qui proprium nomen censendus est. 27) C. 1. *Gorgonius*, ut Bentl. 28) Al. *Nolunt tetigisse* pro *tangere*. 30) Bentl. *olente*. Al. *olenti fornice* sine *in*. *Stantem* pro *prostantem*. 31) C. 1. *Mactae*, Gl. magis aucte. Cato ille Censorius cum vidisset hominem honestum ex fornice exeuntem, laudavit existimans, libidinem compescendam esse sine crimine: at postea cum frequentius eum ex eodem lupanari exeuntem advertisset, adolescens, inquit, ego te laudavi, quod interdum huc venires, non quod hic habitares. 32) Cato sermonem patrium novis verbis locupletavit. 33) Venas, i. e. virile membrum. 34) Descendere, quia fornices fuerunt profundae cellae cameratae. 36) Cupiennius Libo, Augusti familiaris, corporisque sui diligentissimus, matronarum sectator. (Conf. Cicero ad Attic. ep. 16, 16.) Al. *vulvae Cupennius albae*, ex glossa vero. 38) Bentl. *moechos*. 39) Al. *correpta dolore*.

Hic se praecipitem tecto dedit: ille flagellis
Ad mortem caesus: fugiens hic decidit acrem
Praedonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos:
Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem
Demeterent ferro. Jure omnes; Galba negabat.
Tutior at quanto merx est in classe secunda!
Libertinarum dico; Sallustius in quas
Non minus insanit, quam qui moechatur. At hic si,
Qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste
Munifico esse licet, vellet bonus, atque benignus
Esse: daret quantum satis esset; nec sibi damno,
Dedecorique foret. Verum hoc se amplectitur uno;
Hoc amat, et laudat: matronam nullam ego tango.
Ut quondam Marsaeus, amator Originis; ille,
Qui patrium mimae donat fundumque, laremque:
Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus umquam alienis.
Verum est cum mimis, est cum meretricibus; unde
Fama malum gravius, quam res trahit. An tibi abunde
Personam satis est; non illud, quidquid ubique
Officit, evitare? Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicunque. Quid inter-
Est in matrona, ancilla, peccesve togata!
Villius in Fausta, Sullae gener, hoc miser uno
Nomine deceptus, poenas dedit usque, superque,

---

42) Caesus sc est. 43) Pro obscoena parte corporis. 44) Perminxerunt, stupraverunt, calones s. servi. 45) C. 1. *ut quidam*, al. *quoidam*. 46) C. 1. *Demeteret ferro*. Servius Galba jurisconsultus et adulter negabat id jure factum esse, quod cauda salax alterius adulterii ferro demeteretur. Al. *demeteret ferrum*. 47) *Merx* est voluptas pro pecunia. 48) Bentl. *in qua*. Hic C. Crispus Sallustius historici e sorore nepos et ab eo adoptatus, fertur tanto ardore insanivisse in libertinas, quanto moechus in patronas. 49) Bentl. *Ut hic*; al. *et hic*. 51) *Munificum*. 54) C. 1. *tangam*, i. e. libertinarum tantum sectator sum. Al. *Hoc (se) amat, hoc (se) laudat*. Al. *nullam matronam ego tango*. 55) Origo, mima, qualis fere Cytheris, primum Volumnio, deinde Antonio Triumviro amata. Ut quond. Mars., sc. *fecit*. Al conjungunt *ille* cum *amator*. 56) Al. *donat mimae*. 57) C. 1. *mihi*, ut semper. Al. *unquam*. 61) Al. *disperdere*. 62) Oblimare, deterere, consumere, obducere. 63) Bentl. *peccesne*. Al. *Est an matrona*, et sub *ne* iterum *an* intelligunt. Al. *Est, in matrona, ancilla*, etc. 64) Al. *Fulvius*. Villius Faustae adulter, notus ex Ciceronis oratione T. Annius Milo.

Quam satis est; pugnis caesus, ferroque petitus;
Exclusus fore, quum Longarenus foret intus.
Huic si Mutonis verbis mala tanta videntis
Diceret haec animus: *quid vis tibi? numquid ego a te*
Magno prognatum deposco consule cunnum,
Velatumque stola, mea quum conferbuit ira?
Quid responderet? Magno patre nata puella est.
At quanto meliora monet, pugnantiaque istis,
Dives opis natura suae, tu si modo recte
Dispensare velis, ac non fugienda petendis
Immiscere! Tuo vitio, rerumne labores,
Nil referre putas? Quare, ne poeniteat te,
Desine matronas sectarier; unde laboris
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic inter niveos, viridesque lapillos
(Sit licet, o Cerinthe tuum) tenerum est femur, aut crus
Rectius; atque etiam melius persaepe togatae.
Adde huc, quod mercem sine fucis gestat; aperte,
Quod venale habet, ostendit: neque, si quid honesti est,
Jactat, habetque palam, quaerit quo turpia celet.
Regibus hic mos est: ubi equos mercantur, opertos
Inspiciunt; ne, si facies, ut saepe, decora
Molli fulta pede est, emtorem inducat hiantem;
Quod pulchrae clunes, breve quod caput, ardua cervix:
Hoc illi recte: ne corporis optima Lyncei
Contemplere oculis; Hypsaea caecior, illa,

---

66) Caesus. dum caeditur, cum caederetur. 67) Longarenus, moechus Faustae famosus. 68) C. 1. *videnti*. Bentl. conjungit quidem *videntis* cum *mutonis*, sed legit *videnti* referendum ad *huic*. Al. *ridentis*. Muto est membrum virile. 70) Al. *posco de consule*, prognatam deposco patre puellam. 71) Al. *mea dum*. 74) Al. *si tu*. 75) Al. *at non*. 77) Al. *putes*. 78) Al. *Desine sectari matronas*. 80) Al. *huic niveos inter viridesque*. 81) Al. *tuo* sine parenthesi. Al. *Chaerinte*, qui fuit puer formosus a Tibullo celebratus. Al. *Sit licet, hoc, Cerinthe, tuae*; *Sit licet, o Cerinthe, tuo*; *Sit licet o Cerinthe, tuum*. Al. *femur, et crus*. 82) Al. *togatae est*. 83) Al. *Adde hoc — apertum*. 84) Al. *nec si quid*. 86) Al. *qui* pro *ubi*. Bibl. Crit. 1820. II. 1, 581. *apertos*. 88) Al. *ducat*, i. e. in fraudem et damnum. 90) Al. *Lynceis*, *Lynces*, *Lyncis*. Al. *Hoc illi* (reges) *recte* (faciunt). *Hypsaea* s. Hypsea fuit moecha oculorum vitio laborans, ex Plautiorum familia. Al. *Hoc illi apte: nae tu — contemplans — spectes*. Bentl. *tu — contemplare — spectas*.

Quae mala sunt, spectes. — *O crus! O brachia!* — Verum
Depygis, nasuta, brevi latere, ac pede longo est.
Matronae, praeter faciem, nil cernere possis;
Cetera, ni Catia est, demissa veste tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata; (nam te
Hoc facit insanum) multae tibi tum officient res:
Custodes, lectica, ciniflones, parasitae,
Ad talos stola demissa, et circumdata palla;
Plurima, quae invideant pure apparere tibi rem.
Altera nil obstat: Cois tibi paene videre est
Ut nudam; ne crure malo, ne sit pede turpi:
Metiri possis oculo latus. An tibi mavis
Insidias fieri, pretiumque avellier, ante
Quam mercem ostendi? *Leporem venator ut alta*
In nive sectetur, positum sic tangere nolit:
Cantat; et apponit: *Meus est amor huic similis: nam*
Transvolat in medio posita, et fugientia captat.
Hiscine versiculis speras tibi posse dolores,
Atque aestus, curasque graves e pectore pelli?
Nonne cupidinibus statuit natura modum? quem,
Quid latura sibi, quid sit dolitura negatum,
Quaerere plus prodest; et inane abscidere soldo?
Num, tibi quum fauces urit sitis, aurea quaeris
Pocula? num esuriens fastidis omnia praeter
Pavonem, rhombumque? tument tibi quum inguina; num, si
Ancilla, aut verna est praesto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego: namque parabilem amo Venerem, facilemque.

---

95) Catia adultera lascive vestita, quae adeo impudica fuit, ut in aede Veneris Theatinae ad theatrum Pompejanum adulterium cum Valerio Siculo Colono tribuno plebis obducto velo admiserit. 96) Al. *petis*. 97) C. 1. *cum officient*; al. *officiunt*. 98) Ciniflones s. cinerarii, qui calamistris calefactis crines inurunt et crispant. Parasitae sunt mulieres assentatrices. 101) Licet enim tibi illam pene ut nudam videre in bombycinis et pellucidis suis vestibus. 104) Al. *pretiumne*, *pretiumve*. 106) Al. *sectatur*. 108) Fugientia captat, s. difficilia desiderat. 109) Al. *Hiscene*. 110) Al. *tolli* pro *pelli*. Curas patiuntur, qui matronas amant. 111) Al. *statuat*. 113) C. 1. *obscindere*, al. *abscindere*, resecare. *Abscidere* hic idem valet, ac *excidere*.

Illam: *Post paulo: Sed pluris: Si exierit vir:*
Gallis; hanc Philodemus ait sibi, quae neque magno
Stet pretio; neque cunctetur, quum est jussa venire.
Candida rectaque sit; munda hactenus, ut neque longa
Nec magis alba velit, quam dat natura, videri.
Haec ubi supposuit dextrum corpus mihi laevo,
Ilia, et Aegeria est; do nomen quodlibet illi,
Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat;
Janua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vae! pallida lecto
Desiliat mulier; miseram se conscia clamet;
Cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mi.
Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo,
Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama.
Deprendi miserum est; Fabio vel judice vincam.

---

120) *Illam*, quae tot moras et conditiones ferat, et dicat vel: post paulo (adero amanti eumque recipere potero); vel (adero quidem amanti), *sed pluris* (sum emenda); vel (tum demum admittere potero amantem), *si exierit vir* (maritus), illam, inquam, relinquam Gallis. 121) Gallis, quos Bentl. h. l. spadones accipit et Cybeles sacerdotes, qui tam lentas ambages facile et patienter ferre possint. Philodemus fuit poeta epicureus. Al. *Gallis hanc Philodamus.* 122) *Stet* pro *constet.* 124) Al. *quam det.* 125) Al. *dextro — laevum*, i. e. in dextra corporis parte laeva pars oris. 126) Aegeria Nympha et amica Numae regis — Ilia est mater Romuli et Remi. 127) Al. *Nec metuo.* 129) Al. *ne pallida; resonet vae!* al. *vel s. veh s. vepallida*, i. e. male pallida, ut *vesana*, *vegrandis*. Bentl. *ne pallida.* 130) Ancilla conciliatrix adulterii et conscia suae dominae. 131) Hic sermo non est de ancilla, sed de muliere, quae sola deprehensa dici potest. Al. *doti illa prensa*; Bentl. *doti haec deprensa*, i. e. in ipsa turpitudine — in ipsis rebus Veneris deprehensa. 134) Si Fabius jurisconsultus in hac re sententiam dicat, ego id defendam et obtinebo. — Si Fabius pro adultero judicaturus judex in hanc rem constituatur, qui harum rerum sit ipse sectator, malum esse deprehendi censebit. — Al. *vel Fabio j. v.*

SATIRA III.

In amicorum vitiis connivendum, neque peccata omnia in scelerum numero ponenda.

Omnibus hoc vitium est cantoribus; inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati;
Injussi nunquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris, atque suam, non
Quidquam proficeret: si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala citaret: Io Bacche! modo summa
Voce; modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.
Nil aequale homini fuit illi; saepe, velut qui
Currebat fugiens hostem; persaepe; velut qui
Junonis sacra ferret: habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos: modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens: modo, *sit mihi mensa tripes et*
Concha salis puri; et toga, quae defendere frigus,
Quamvis crassa, queat. Decies centena dedisses
Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane; diem totum stertebat: nil fuit umquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi: *quid tu?*
Nullane habes vitia? Immo alia, et fortasse minora.
Maenius absentem Novium quum carperet: *heus tu,*
Quidam ait, *ignoras te? an, ut ignotum, dare nobis*
Verba putas? Egomet mi ignosco, Maenius inquit.
Stultus, et improbus hic amor est, dignusque notari.

SATIRA III. C. 1. DE ERMOGENETI GELLÎ MODULATORE. 3) Desistant cantare. Sardi venales fuerunt, alter altero nequior. 4) C. 1. *Tigellius*, ex Sardinia natus. Caesar Augustus, filius adoptivus Julii Caesaris. 5) Patris, sc. C. Caesaris. 6) Markland dubitat de voce: *conlibuisset.* 7) C. 1. Gl. *recitaret* ab initio coenae usque ad finem. Bentl. *iteraret.* Al. *Io. Bacchae* 8) Al. *chordis quae quatuor.* 9) Homini, i. e. in illo homine nil aequale, s. mediocre. 11) Bentl. *alebat*, al. *halebat.* 12) Tetrarchas, sc. summos imperatores. Tetrarcha enim est, qui quartam regni partem possidet. 14) Pauperiores in marina concha salem tritum habere solent, quo cum pane vescantur. 15) Decies centena sc. sestertia s. millia sestertium. 18) Nil s. Nemo fuit. 20) Al. *haud fortasse, aut fort., at fort.* 21) Novius, homo novus et libertinus, ingenti voce, tribunus plebis. Fratres vero Novii fuerunt foeneratores. Al. *Maevius — Naevius.* 22) Al. *ignotus.* Verba dare s. decipere, circumvenire. 23) C. 1. *Egomet mihi.* 24) Improbus s. nimius, modum excedens.

Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? At tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
Iracundior est paullo: minus aptus acutis
Naribus horum hominum; rideri possit, eo quod
Rusticius tonso toga defluit, et male laxus
In pede calceus haeret. At est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam: at tibi amicus: at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. Denique te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala; namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc praevertamur; amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
Delectant; veluti Balbinum polypus Hagnae.
Vellem in amicitia sic erraremus; et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
At, pater ut gnati; sic nos debemus amici,
Si quod sit, vitium non fastidire. Strabonem
Appellat Paetum pater: et Pullum, male parvus
Si cui filius est; ut abortivus fuit olim
Sisyphus: hunc Varum, distortis cruribus: illum
Balbutit Scaurum, pravis fultum male talis.

---

25) Bentl. *praevideas*, i.e. videas; al. *provideas, praetereas*. Bentl. *male* pro admodum, valde. 27) C. 1 *Epidaurus? Ac*, quae est Argolidis urbs, Aesculapii templo celebris. 29) Iracundior sc. amicus. 30) Horum sc. viventium. 31) Toga parum composita defluit. 34) Al. *sub pectore*. 35) C. 1. *quam*, sed *m* punctatum est. Al. *excute, percipe — insueverit, inseruit, insederit*. 38) Illuc nos convertamus. 39) Decipiunt s. fallunt, latent. 40) Polypus est foedum et immundum in maribus vitium Agnae meretricis, Balbini amicae. Al. *Hagnes*, ex graeco nomine servarum et libertarum. 42) Al. *Errori virtus nomen posuisset* s. imposuisset. 44) Strabo dicitur, qui est detortis oculis, paetus autem, qui est oculis leniter declinatis cuique huc atque illuc tremuli celeriter volvuntur. 45) Antiqui puerum, quem quis amabat, pullum ejus dicebant. 47) Sisyphus, filius Marci Antonii triumviri, staturae vix bipedalis, sed ingenii acutissimi. *Varus* dicitur, qui crura habet divergentia in modum litterae V.; distortis ergo cruribus est idem ac in diversas partes. 48) Al. *parvis fultum*, al. *talis fultum male pravis*. Scauri dicuntur, qui talos habent extantes vel inversos et tortuosos.

Parcius hic vivit? frugi dicatur. Ineptus,
Et jactantior hic paullo est? concinnus amicis
Postulat ut videatur. At est truculentior atque
Plus aequo liber? simplex fortisque habeatur.
Caldior est? acres inter numeretur. Opinor,
Haec res et jungit, junctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus; atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit? multum est demissus homo. Illi
Tardo cognomen pingui damus. Hic fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum?
(Quum genus hoc inter vitae versetur, ubi acris
Invidia, atque vigent ubi crimina:) pro bene sano,
Ac non incauto, fictum, astutumque vocamus.
Simplicior quis, et est, qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem,
Aut tacitum impellat quovis sermone? Molestus!
Communi sensu plane caret, inquimus. Heu, heu,
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est,
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut aequum est,
Quum mea compenset vitiis bona; pluribus hisce,
(Si modo plura mihi bona sunt) inclinet, amari
Si volet: hac lege, in trutina ponetur eadem.
Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat; ignoscet verrucis illius. Aequum est,
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.
Denique, quatenus excidi penitus vitium irae;
Cetera item nequeunt stultis haerentia: cur non

---

49) *Frugi* pro *frugalis*. 52) Simplex non est dissimulator aut assentator, sed qui, quod sentiat, dicat fortiter. 54) Al. *jungat — servet*. 56) Vitioso succo vas inquinare, vel impuro tectorio deformare. 57) C. 1. *multum demissus*, sine: *est*; Bentl. addit: *homo ille*. Si quis tardus est, vocamus eum crassum et rudem. Al. *multum et demissus ille*, sicut et Bentl. interpungit. 58) Bentl. *Tardo ac cognomen Pinguis*. 60) Bentl. *versemur*. 63) Al. *Simplicior si quis, qualem*. Lamb. *Simpl. quis at est? qualem*. 65) Bentl. *impediat*; al. *adpellet, impellam*; al. *sermone modestus, serm. molestus*. 66) Al. *Eheu!* 70) Cum meis vitiis mea bona compenset. Al. *plur. his te*. 73) C. 1. *uberibus*, Gl. suis peccatis gravioribus. 74) Al. *ignoscat*, levioribus amici vitiis. 76) Al. *excindi, exscindi* — quatenus *pro* quoniam. 77) Stultis sc. nobis.

Ponderibus modulisque suis ratio utitur? ac res,
Ut quaeque est, ita suppliciis delicta coërcet?
Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus,
Semesos pisces trepidumque ligurrierit jus,
In cruce suffigat; Labeone insanior inter
Sanos dicatur. Quanto hoc furiosius atque
Majus peccatum est! Paullum deliquit amicus;
(Quod nisi concedas, habeare insuavis); acerbus
Odisti, et fugis, ut Rusonem debitor aeris:
Qui nisi, quum tristes misero venere Calendae,
Mercedem, aut nummos unde unde extricat; amaras
Porrecto jugulo historias, captivus ut, audit.
Comminxit lectum potus, mensave catillum
Evandri manibus tritum, dejecit; ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minus hoc jucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit? aut si
Prodiderit commissa fide? sponsumve negarit?
Queis paria esse fere placuit peccata, laborant,
Quum ventum ad verum est: sensus, moresque repugnant;
Atque ipsa utilitas, justi prope mater, et aequi.
Quum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum, et turpe pecus, glandem, atque cubilia propter,
Unguibus, et pugnis; dein fustibus, atque ita porro

81) Jus agitatum motu tremulum. Al. *tepidum, frigidum ligurierit.* 82) Bentl. *Labieno.* Secund. al. M. Antistius Labeo fuit praetorius, juris peritus, contumax et importunus, multa nimis libere in C. Augustum dixit, quare Hor. eum insanum dixit. Sed Bentley et Wieland affirmant, hunc Labeonem fuisse alium hominem obscurum tunc insanis ineptiis famosum. 85) Bentl. ita distinguit: *insuavis, acerbus odisti.* 86) Al. *Drusonem*, foeneratorem acerbum pessimumque historiarum scriptorem. Al. *Bisonem*, *Bosonem*, *Bissonem*, *Rufonem*, *Buffonem*, *Trusonem.* 87) Kalendis creditam pecuniam reddebant debitores. Al. *Kalendae.* 88) Mercedem aut nummos, i. e. usuras aut sortem. 89) Porrecto jugulo, quasi morti addicendus esset. 91) Bentl. *tortum*, i. e. rota figuli fabrefactum, catinum antiquissimum, quo usus est Evander, Pallantis Arcadiae regis nepos, coelator et plastes statuarum. 93) C. 1. *jocundus.* 94) Al. *furtum si.* 95) Fide, i. e. fidei. Al. *sponsumque.* 96) Queis sc. Stoicis. Fea: *Quîs.* Post *fere* subintellige *omnia.* 99) Al. *animalia glebis.* 100) Al. *ac turpe.* 101) Al. *hinc pugnis*, licet *hinc* dissociet, quod *et* conjungit.

Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus:
Donec verba, quibus voces, sensusque notarent,
Nominaque invenere: dehinc absistere bello,
Oppida coeperunt munire, et ponere leges,
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Causa; sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quas, Venerem incertam rapientes, more ferarum,
Viribus editior caedebat, ut in grege taurus.
Jura inventa metu injusti, fateare necesse est;
Tempora si, fastosque velis evolvere mundi.
Nec natura potest justo secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis.
Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti;
Et qui nocturnus sacra Divum legerit. Adsit
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas;
Ne scutica dignum, horribili sectere flagello.
Nam, ut ferula caedas meritum majora subire
Verbera, non vereor: quum dicas esse pares res
Furta latrociniis; et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus, et solus formosus, et est rex;
Cur optas, quod habes? *Non nosti, quid pater*, inquit,
Chrysippus dicat: sapiens crepidas sibi nunquam
Nec soleas fecit; sutor tamen est sapiens. *Quî?*
Ut, quamvis tacet, Hermogenes; cantor tamen, atque

102) Usus, indigentia. 104) Al. *obsistere bello.* 106) Al. *ne qui, ne quis adulter.* 107) Al. *deterrima.* *Cunnus* hic pro *mulier* sumitur. 109) Al. *incestam*, i. e. omnibus expositam. 110) C. 1. *aeditior.* 111) Injusti, inutilis. 112) Fastos, libros consulares. 114) Diversis, contrariis. Petendis sc. licitis. 115) *Vincet* pro *evincet.* 116) Bentl. *infregerit*, Gl. rapuerit. 117) Al. *Divûm sacra.* Al. *Ut qui — sacra Dîs sublegerit* vel *collegerit.* 120) Al. *Nam ferula caedas*, *Nam ferula ut caedas.* 124) Ironice ob Stoicorum paradoxon, sapientem esse omnia 125) Al. *formosus solus.* 126) Chrysippus, doctor subtilissimus, ob eximiam auctoritatem a Stoicis *pater* vocabatur. Al. *Num nosti.* 127) Chrysippus, Solensis Cilix, Stoicus, ingenio acerrimo. Al. *crepidas neque fecit*, *Nec soleas umquam.* 128) Bentl. *Qui?* pro quo, quomodo. 129) C. 1. *atque cantor tamen.* M. Hermogenes Tigellius, Sardus, libertinus, cantor celebris

Optimus est modulator: ut Alfenus vafer, omni
Abjecto instrumento artis, clausaque taberna,
Tonsor erat sapiens operis: sic optimus omnis
Est opifex solus, sic rex. Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri: quos tu nisi fuste coërces,
Urgeris turba circum te stante, miserque
Rumperis, et latras, magnorum maxime regum.
Ne longum faciam; dum tu quadrante lavatum
Rex ibis; neque te quisquam stipator, ineptum
Praeter Crispinum, sectabitur: et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici:
Inque vicem illorum patiar delicta libenter;
Privatusque magis vivam te rege beatus.

SATIRA IV.

Satiricorum poetarum, ac suam praesertim in scribendo licentiam excusat.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque, poëtae,
Atque alii, quorum Comoedia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus, aut fur,
Quod moechus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce sequutus,
Mutatis tantum pedibus, numerisque; facetus,
Emunctae naris, durus componere versus.
Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,

---

130) Hor. loquitur hic non de Alfeño jurisperito, sed de alio. (Conf. Ev. Ottonis thes. jur. Rom. V, 3. 1643) Al. *Alphenus, Alfinius, Alfinus.* 132) Al. *Sutor erat — sic protinus omnis.* 133) Al. *Opifex; sic rex solus. Vellent tibi barbam.* 134) Subintelligatur hic affinitas sectae Stoicae cum Cynica. Bentl. *ni* pro *nisi.* 137) Al. *Nec longum.* 139) Crispinus, qui Stoicam sectam versibus descripsit. Al. *at mihi dulces.* 140) C. 1. *peccabo.* Al. *peccavera.*

SATIRA IV. Al. IN OBTRECTATORES SUOS. 1) Hi tres comediarum scriptores egregii fuerunt in castigandis vitiis. 3) Bentl. *ac fur*, al. *et fur.* Sub *malus* intellige *vafer, astutus.* 6) Lucilius, cognomine Bassus, eximius satiricus apud Romanos. 7) Alio metro usi sunt antiqui illi poetae, qui comoedias scripserunt, alio vero Lucilius, sc. heroico, qui satiras composuit. 8) Emunctae naris, i. e. acri judicio.

Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.
Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles:
Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem;
Scribendi recte: nam ut multum, nil moror. Ecce,
Crispinus minimo me provocat. *Accipe, si vis;*
Accipiam tabulas. Detur nobis locus, hora,
Custodes; videamus, uter plus scribere possit.
Di bene fecerunt, inopis me, quodque pusilli
Finxerunt animi, raro, et perpauca loquentis.
At tu conclusas hircinis follibus auras,
Usque laborantes dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius, ultro
Delatis capsis, et imagine: quum mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis; ob hanc rem,
Quod sunt, quos genus hoc minime juvat; utpote plures
Culpari dignos. Quemvis media elige turba;
Aut ab avaritia, aut misera ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum.
Hunc capit argenti splendor; stupet Albius aere:
Hic mutat merces surgente a Sole ad eum, quo
Vespertina tepet regio: quin per mala praeceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine; ne quid
Summa deperdat metuens, aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt versus, odere poëtas.
Foenum habet in cornu, longe fuge: dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico:
Et, quodcunque semel chartis illeverit, omnes
Gestiet a furno redeuntes scire, lacuque

---

11) Erat aliquid imitatione dignum. 13) Al. *non moror.* 14) Bentl. *nummo*, al. *mimo* pro *minimo*, sc. *digito*, i. e. alterum contemptim in certamen provocare. 15) Al. *Accipe jam — dentur.* 16) C. 1. *posset.* 18) Bentl. *loquentem.* 20) C. 1. *laborantis.* Bentl. *emolliat*, al. *ferrum dum.* 21) Fannius Quadratus, conviva Hermogenis Tigellii, scriptor sui admiratione inflatus, Horatii obtruncator, cui non petenti Senatus detulit capsas, quibus libri ejus in Augusti bibliotheca reponerentur, una cum sua imagine, ad memoriam ejus prodendam. 25) Bentl. et Wiéland: *arripe;* al. *eripe, extrahe, erue*, i. e. occupa, comprehende, excute. 26) C. 1. *miser,* Wiel. et Bentl. *ob avaritiam.* 28) Albius, insanus quidam signorum et vasorum aeneorum amator, stupet statuis ex aere Corinthio factis. 30) Al. *patet regio*, al. *teget.* 33) Bentl. et Wiel. *poetam*, ut ad solum Horatium referatur Omnes metuunt, qui sunt vitiosi, et his malis dediti. 34) Al. *fenum h. i. c.*, est sermo vulgi in poetas, qui acres sunt in homines vitiosos. 36) Al. *Et quoscunque.* 37) A furnis publicis s. fontibus.

Et pueros, et anus. Agedum, pauca accipe contra.
Primum ego me illorum, dederim quibus esse poëtas,
Excerpam numero. Neque enim concludere versum
Dixeris esse satis: neque, si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poëtam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.
Idcirco quidam, comoedia, necne poëma
Esset, quaesivere: quod acer spiritus, ac vis,
Nec verbis, nec rebus inest; nisi quod pede certo
Differt sermoni sermo merus. *At pater ardens*
Saevit, quod meretrice nepos insanus amica
Filius; uxorem grandi cum dote recusat;
Ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus. Numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergo
Non satis est puris versum perscribere verbis;
Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater. His, ego quae nunc;
Olim quae scripsit Lucilius; eripias si
Tempora certa, modosque; et quod prius ordine verbum est,
Posterius facias, praeponens ultima primis:
Non, ut si solvas: *Postquam discordia tetra*
Belli ferratos postes portasque refregit:
Invenias etiam disjecti membra poëtae.
Hactenus haec: alias justum sit, necne, poëma,
Nunc illud tantum quaeram: meritone tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
Ambulat, et Caprius, rauci male, cumque libellis:
Magnus uterque timor latronibus: at bene si quis,
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.

---

39) Al. *poetis.* 40) Versum certis pedibus claudere. 41) Al. *si qui.* 44) *Sonaturum* pro *soniturum.* 47) Bentl. interpungit ita: *Differt sermoni sermo merus.* 49) C. 1. *insanit.* 50) Al. *recuset.* 51) Al. *ambulet.* 52) Al. *Pompinius.* Quam est haec Horationa et tacita objurgatio Pomponii luxuriose viventis. 54) Al. *praescribere.* 58) Tempora certa, i. e. syllabarum quantitatem. 60) Non ita invenies, quemadmodum si solvas hunc versum Ennianum, sc. Postquam etc. 62) Al. *Invenies.* 65) Hoc satirae vel comoediae genus scribendi. Sulcius causarum actor latronumque accusator acerrimus, sic et Caprius. Al. *Sulgius, Fulgius, Fulcius, Vulgius.* 68) Puris, sc. a caede.

Ut sis tu similis Caeli, Byrrhique, latronum;
Non ego sim Caprii, neque Sulci; cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos,
Queis manus insudet vulgi, Hermogenisque Tigelli.
Nec recito cuiquam, nisi amicis, idque coactus;
Non ubivis, coramve quibuslibet. *In medio qui*
Scripta Foro recitent, sunt multi; quique lavantes:
Suave locus voci resonat conclusus. Inanes
Hoc juvat; haud illud quaerentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno. *Laedere gaudes,*
Inquis, *et hoc studio pravus facis.* Unde petitum
Hoc in me jacis? est auctor quis denique eorum,
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum;
Qui non defendit alio culpante; solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non visa potest; commissa tacere
Qui nequit: hic niger est: hunc tu, Romane, caveto.
Saepe tribus lectis videas coenare quaternos;
E quibus imus avet, quavis adspergere cunctos,
Praeter eum, qui praebet aquam: post hunc quoque potus,
Condita quum verax aperit praecordia Liber.
Hic tibi comis, et urbanus, liberque videtur
Infesto nigris: ego si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum,
Lividus, et mordax videor tibi? Mentio si qua
De Capitolini furtis injecta Petillì

---

69) C 1. *Celii*, Bentl. et Wiel. *Coelî, Birrique.* Caelius et Byrrhius fuerunt adolescentes perditi. 70) Bentl. et Wiel. *Caprii.* Al. *sim.* Cur metuas me, sc. carmina mea. 71) Al. *habet ut neque.* Bibliopolae stationes vel armaria circa pilas vel columnas habebant. 72) Sub Herm. Tigellio Wieland hic intelligit filium aut nepotem illius, de quo Hor. supra locutus est. 73) Bentl., Wiel. et al. *Nec — Non recitem quicquam. Neu — Nec recitem quidquam.* 74) Al. *Non ubi ubi.* 75) Al. *recitant.* 77) Sine sensu sc. communi. 79) Al. *Inquit.* 80) Auctor, i. e. delator. 84) Al. *non jussa potest.* 86) Al. *cessare.* 87) Al. *Ex quibus unus amet, unus avet* quavis ratione cunctos dicteriis et salibus aspergere. *Imus* hic optime, ut sit omnium infimus, et abjectus. Gesner *quivis* pro *quavis.* 91) Tibi infesto nigris, i. e. malis. 92) C. 1. *Rufinus olet, Gorgonius.* 93) C. 1. *si quae.* Al. *Invidus* pro *Lividus.* 94) *Petillus*, cum coronam e capitolio surripuisset, judicio absolutus est. Al. *Capitolinis.*

Te coram fuerit; defendas, ut tuus est mos.
Me Capitolinus convictore usus, amicoque
A puero est: causaque mea permulta rogatus
Fecit; et, incolumis, laetor, quod vivit in Urbe;
Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit. Hic nigrae fucus lolliginis, haec est
Aerugo mera: quod vitium procul abfore chartis,
Atque animo prius, ut si qui promittere de me
Possum aliquid vere, promitto. Liberius si
Dixero quid, si forte jocosius; hoc mihi juris
Cum venia dabis. Insuevit pater optimus hoc me,
Ut fugerem, exemplis vitiorum quaeque notando;
Quum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset:
Nonne vides, Albî ut male vivat filius? utque
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem
Perdere quis velit. A turpi meretricis amore
Quum deterreret; *Scetani dissimilis sis.*
Ne sequerer moechas, concessa quum Venere uti
Possem: *Deprensi non bella est fama Treboni,*
Ajebat. *Sapiens, vitatu, quidque petitu*
Sit melius, causas reddet tibi; mi satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
Dum custodis eges, vitam, famamque tueri
Incolumem possum: simulac duraverit aetas

---

95) Al. *defendis*, *defenses*. Fingit se loqui cum amico Petillii Capitolini, qui cum praeesset Capitolio, unde Capitolinus dictus est, accusatus est, quod coronam Jovis Capitolini rapuisset, quare ipse sublatae coronae causam dixit, et absolutus est a judicibus in gratiam Augusti, cujus amicus erat. 100) Bentl. et Wiel. *succus loliginis.* C. 1. *sucus*, (ex *fuco* levi mutatione factus), quod occultum odium demonstrat ab atramento piscis loliginis, quae externe alba est, intus autem nigra. 101) Al. *afore.* 103) Al. *Possum aliud.* 105) Al. *Insevit.* 106) Ut quaeque vitiorum fugerem ea notando exemplis. 108) Al. *parassem* 110) C. 1. *Barus*, Bentl. et Wiel. *Burus.* Al. *ut qui Farris inops.* Al. *Varus.* Hic Barrus vilissimae libidinis fuit, adeo ut Aemiliam virginem Vestae incestasse dictus sit. 112) Al. *Sectani*, quia Romanum sonat; sed in nomine aeque ignoto tutius est, cum Bentlejo plurium exemplarium, et melioris notae, auctoritatem sequi. 113) Bodon. *venere.* 115) C. 1. *quodque.* 116) Al. *reddat*, sed mihi sat si. 118) Al. *famam vitamque.* 119) Al. *possim.*

Membra, animumque tuum, nabis sine cortice. Sic me
Formabat puerum dictis: et sive jubebat,
Ut facerem quid; *habes auctorem, quo facias hoc;*
Unum ex judicibus selectis objiciebat.
Sive vetabat: *An hoc inhonestum, et inutile factum*
Necne sit, addubites; flagret rumore malo quum
Hic, atque ille? Avidos vicinum funus ut aegros
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit;
Sic teneros animos aliena opprobria saepe
Absterrent vitiis. Ex hoc ego sanus ab illis,
Perniciem quaecunque ferunt: mediocribus, et queis
Ignoscas, vitiis teneor; fortassis et istinc
Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
Consilium proprium: neque enim, quum lectulus, aut me
Porticus excepit, desum mihi. *Rectius hoc est;*
Hoc faciens vivam melius; sic dulcis amicis
Occurram. Hoc quidam non belle: numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile? Haec ego mecum
Compressis agito labris; ubi quid datur oti,
Illudo chartis. Hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum: cui si concedere nolis;
Multa poëtarum veniet manus, auxilio quae
Sit mihi; (nam multo plures sumus) ac veluti te
Judaei, cogemus in hanc concedere turbam.

---

120) Discunt pueri natare suppositis ventri corticibus. 121) Al. *puerum digitis.* 125) Al. *addubitas.* 126) Avidos, i. e. intemperantes. Al. *vides vicinum.* 132) Al *abstulerint.* 135) Al. *melius vivam.* 136) Al. *numquam ego ne illi.* 137) Al. *impudens.* 138) Al. *comprensis*, *compositis.* 139) Al. *Incumbo chartis*, Illino. 140) Bentl. et Wiel. *noles.* 141) C. 1. *auxilioque.* Al. *veniat*, veniant.

SATIRA V.

Facete iter suum Roma Brundusium usque describit.

Egressum magna me excepit Aricia Roma
Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,
Graecorum longe doctissimus. Inde Forum Appî,
Differtum nautis, cauponibus, atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum. Nimis est gravis Appia tardis!
Hic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum; coenantes haud animo aequo
Exspectans comites. Jam nox inducere terris
Umbras et coelo diffundere signa parabat:
Tum pueri nautis; pueris convicia nautae
Ingerere. *Huc appelle! Trecentos inseris! ohe!*
Jam satis est. Dum aes exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora: Mali culices, ranaeque palustres
Avertunt somnos; absentem ut cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta atque viator
Certatim: tandem fessus dormire viator
Incipit; ac missae pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.
Jamque dies aderat, nil quum procedere lintrem
Sentimus: donec cerebrosus prosilit unus,
Ac mulae, nautaeque caput lumbosque saligno
Fuste dolat: quarta vix demum exponimur hora.
Ora, manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Millia tum pransi tria repimus, atque subimus

SATIRA V. Al. ITER BRUNDUSIUM. 1) Aricia, oppidum trans montem Albanum in via Appia; hinc Aricinus ager. Al. *me coepit*, *me capit.* 3) Bentl. et Baxter *linguae.* Forum Appii, oppidum ad Appiam viam, unde per paludes Pontinas ad Feroniae fanum navigabatur. 5) Quod magis expediti viatores uno die confecissent, biduo iter confecimus. 6) Wiel. *minus* laboriosa est via Appia tarde ambulantibus, propter diversoriorum frequentiam. 7) Wiel. *teterrima.* 8) C. 1. *coenantis haut.* 11) Al. *Tunc pueri.* 12) Scil. *Ingerebant.* Huc navem applica. Nimis multos in navim impoins. Al. *Ingeris*, *Inseris.* Fea ponit *hoe*, al. *oe.* 15) *Ut* sumitur pro *dum.* Al. *abs. et* cant. 16) Proluere est multum diuque lavare. 18) Funes, quibus mula trahebat navim. Al. ac pastum missae, et missae pastum. 20) Wiel. *cum nil — producere.* 24) Bentl. *lavimur.* Feronia, nympha fontis ad Anxur, quae fanum habebat prope Tarracinam. 25) Al. *repsimus.* Illis temporibus Tarracinensis urbs adhuc in altissimo monte erat.

Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Maecenas optimus, atque
Coccejus, missi magnis de rebus uterque
Legati; aversos soliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. Interea Maecenas advenit atque
Coccejus, Capitoque simul Fontejus, ad unguem
Factus homo; Antoni, non ut magis alter, amicus.
Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam, et latum clavum, prunaeque vatillum.
In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus;
Murena praebente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima; namque
Plotius, et Varius Sinuessae, Virgiliusque
Occurrunt: animae, quales neque candidiores
Terra tulit; neque queis me sit devinctior alter.
O qui complexus, et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim jucundo sanus amico.
Proxima Campano ponti quae villula, tectum
Praebuit; et parochi, quae debent ligna salemque.

25) Al. *repsimus.* Illis temporibus Tarracinensis urbs adhuc in altissimo monte erat. 26) Anxur (Tarracina) Latii oppidum, olim Volscorum, in monte ad paludes Pomptinas. Al. *late saxis.* 27) Bentl. *Maecenas*, *optimus atque.* 28) Al. *de magnis.* Lucius Coccejus Nerva fuit jurisconsultus, avus Nervae Imperatoris. 29) Al. *adversos.* 30) Nigra, sc. colore. 31) C. 1. *Inlinire.* 32) Capito Fonteius, amicus et legatus Antonii ad Octavianum, homo ad unguem factus, i. e. absolutus et perfectus. 34) Fundi, oppidum in via Appia inter Tarracinam et Formias. Praetorem Hor. pro magistratu, h. e. duumviro dixit. 36) Al. *batillum*, *catillum*, *bacillum.* Vatillum est vas parvum, in quo pro felici hospitum adventu incensis odoribus Jovi hospitali sacra fiebant, quod cum ex cupro esset, ita tollebat et ostentabat hospitibus, quasi esset aureum. 37) Mamurrarum familia orta erat Formiae. 38) Luc. Licinius Varro Murena fuit frater pulchrae Terentiae, conjugis Augusti Maec. 40) Sinuessa, Latii oppidum in confinio Campaniae. Plotius, poeta epicus, amicus Virgilii et Horatii, Maecenati carus, sicut L. Varius, poeta epicus et tragicus, Augusti laudum rerumque gestarum praeco carmine epico 43) Cuning. *fuere.* 44) C. 1. *jocondo sanus*, i. e. sana memoria. Al. *praetulerim.* 46) Parochorum munus erat, legatis publice missis res necessarias suppeditare.

Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
Lusum it Maecenas; dormitum ego Virgiliusque:
Namque pila lippis inimicum, et ludere crudis.
Hinc nos Coccei recipit plenissima villa,
Quae super est Caudi cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam, Messique Cicirri,
Musa, velim memores; et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messi clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat: ab his majoribus orti
Ad pugnam venere. Prior Sarmentus: *Equi te
Esse feri similem, dico.* Ridemus: et ipse
Messius: *accipio;* caput et movet. *O, tua cornu
Ni foret exsecto fronf,* inquit, *quid faceres, quum
Sic mutilus minitaris?* At illi foeda cicatrix
Setosam laevi frontem turpaverat oris.
Campanum in morbum, in faciem permulta jocatus;
Pastorem saltaret uti Cyclopa, rogabat:
Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicirrus ad haec: donasset jamne catenam
Ex voto Laribus, quaerebat: scriba quod esset,
Deterius nihilō dominae jus esse. Rogabat
Denique, cur unquam fugisset; cui satis una
Farris libra foret, gracili sic, tamque pusillo?
Prorsus jucunde coenam produximus illam.
Tendimus hinc recta Beneventum; ubi sedulus
hospes

47) Capua, Campaniae urbs olim princeps. Al. *Hic muli.* 49) Vehemens exercitatio cibaria male decoquentibus plurimum nocet. 50) Villa, quam Coccejus Nerva, comes noster, condidit. 51) C. 1. Claudi. Caudium, oppidum Samnii Capuam inter et Beneventum in via Appia. 52) *Cicirrhi.* 54) Osci (populi Italiae turpissimi) erant clarum genus Messii, ironice dictum. 55) Sarmentus libertinus, scriba, in comitibus Maecenatis, ex urbanitate et audacia tam notus, quam Cicirrus, tamen eques Romanus. 60) Cornu exsectum apparebat ex insigni cicatrice, qua frons erat deformata. Hor. notat fortasse vestigium exsectae verrucae. 61) Al. *Setosam frontem laevi.* 62) In magnas verrucas, quae instar cornuum innascebantur in fronte gentis Campanae. 63) Ut saltando exprimeret Polyphemum. 65) C. 1. *Cicerrus*, sed inepte. 67) Al. *Nilo*, *Nihilo*, *Nullo deterius*, i. e. nihilo minus servum esse. 68) Cui satis, ad diurnum victum. 70) Bentl. *producimus;* al. *istam.*

Paene arsit, macros dum turdos versat in igni:
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano, summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos coenam, servosque timentes
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Appulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus, et quos
Numquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lacrimoso non sine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.
Hic ego mendacem stultissimus usque puellam
Ad mediam noctem exspecto. Somnus tamen aufert
Intentum Veneri: tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant, ventremque supinum.
Quattuor hinc rapimur viginti et millia rhedis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est;
Signis perfacile est. Venit vilissima rerum
Hic aqua: sed panis longe pulcherrimus; ultra
Callidus ut soleat humeris portare viator:
Nam Canusi lapidosus; aquae non ditior urna:
Qui locus a forti Diomede est conditus olim.
Flentibus hic Varius discedit moestus amicis.
Inde Rubos fessi pervenimus; utpote longum
Carpentes iter, et factum corruptius imbri.
Postera tempestas melior; via pejor, ad usque
Bari moenia piscosi, dehinc Gnatia, lymphis
Iratis exstructa dedit risusque, jocosque:
Dum, flamma sine, thura liquescere limine sacro,
Persuadere cupit. Credat Judaeus Apella,

72) Al. *Pene, macros, arsit; paene macros arsit — igne;* al. *ignem.* 73) Al. *delapso, delapsa.* 78) Atabulus ventus Apuliae infestus. Al. *terret.* 79) Trivicum, Apuliae oppidum, in finibus Campaniae, ab Hirpinis incultum. 80) Fumo lacrymas excutiente. 83) Al. *exspecto noctem, somnus.* 86) Al. *Quatuor.* 87) *Oppidulo.* Hoc *Equotutium*, vel *Equum tuticum*, exponunt Acron, et Porphyrio, ait. Cl. Fea contra Thom. Vitali. Al. *versu quod dicere.* 89) Al. *longe panis — ultro.* 91) Canusii, Apuliae oppidi, durus est panis. Al. *non dulcior.* 92) *Locus* etiam dicitur *pagus* vel *vicus*, ut in Cic. ad Att. XII. 19. Bentl. *Dein.* 93) Al. *Flentibus hic Varius discessit.* 97) Bentl. et Wiel. *Dein Gnatia* s. Egnatia, Apuliae oppidum inter et Brundisium. Al. *Bari moenia piscosi. Dehinc Gnatia Lymphis.* 98) Al. *risusque jocosque* sine omni interpunctione. 99) Cuning. *flammis.* Al. *lumine sacro.*

Non ego: namque Deos didici securum agere aevum:
Nec, si quid miri faciat natura, Deos id
Tristes ex alto coeli demittere tecto.
Brundisium longae finis chartaeque, viaeque est.

SATIRA VI.

De vera nobilitate. Bonae educationis, et mediocris fortunae laus.

Non, quia, Maecenas, Lydorum quidquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te:
Nec, quod avus tibi maternus fuit, atque paternus,
Olim qui magnis regionibus imperitarunt;
Ut plerique solent, naso suspendis adunco
Ignotos; ut me libertino patre natum.
Quum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus; persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tulli, atque ignobile regnum,
Multos saepe viros, nullis majoribus ortos,
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos.
Contra, Laevinum Valeri genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis
Non umquam pretio pluris licuisse; notante
Judice, quo nosti, populo; qui stultus honores
Saepe dat indignis, et famae servit ineptus;
Qui stupet in titulis, et imaginibus. Quid oportet

101) *Securum*, i. e. sine cura rerum humanarum. 103) Al. *dimittere*. 104) C. 1. *Brundusium — chartaeque viaeque est.*

SATIRA VI. Al. IN DERISORES NATALIUM SUORUM. 1) Al. *quisquis*. 3) Al. *Non quod*. 4) Bentl. et Wiel. *legionibus imperitarent*, *imperitarint*. 5) Non ideo vafre et salse derides. 8) Ingenuus, i. e. nobilis genere et animo. 9) Servius Tullius rex Romanorum ignobilis, utpote natus serva Tarquinii Prisci. 11) Al. *multis et honoribus*. 12) P. Valerius Laevinus, ob morum turpitudinem a populo repulsam tulit, nec ultra quaesturae dignitatem provehi potuit. Opera P. Valerii Puplicolae, cujus genus hic dicitur, Tarquinius Sup. fuit expulsus, et ipse cum J. Bruto Consul fuit. 13) Al. *fuit*. 14) Pluris licuisse, i. e. aestimatum esse. 15) Bentl. et Wiel. *quem*, cum *quo* sit graeca constructio.

Nos facere, a vulgo longe, longeque remotos?
Namque esto, populus Laevino mallet honorem,
Quam Decio mandare novo; censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus:
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.
Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tilli,
Sumere depositum clavum? fierique tribuno?
Invidia accrevit, privato quae minor esset.
Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, et latum demisit pectore clavum;
Audit continuo: quis homo hic? et, quo patre natus?
Ut si qui aegrotet, quo morbo Barrus, haberi
Ut cupiat formosus; eat quacunque, puellis
Injiciat curam quaerendi singula; quali
Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:
Sic qui promittit, cives, Urbem sibi curae,
Imperium fore, et Italiam, et delubra Deorum;
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare, et quaerere cogit.
Tune Syri, Damae, aut Dionysi filius, audes
Dejicere e saxo cives, aut tradere Cadmo?
At Novius collega gradu post me sedet uno;
Namque est ille, pater quod erat meus. Hoc tibi Paullus
Et Messala videris? At hic, si plostra ducenta,
Concurrantque Foro tria funera, magna sonabit,

18) Al. *longe lateque*. Bentl. et Wiel. *Vos facere*. 19) Quod sc. populus. 20) Decius homo ignotus nullisque majoribus clarus. Censorque Claudius Appius Pulcher a petendo magistratu me ut indignum submoveret. 23) Al. *At fulgente*. 24) Al. *Tulli*, qui est homo genere obscuro natus. 25) Recipere Senatoriam vestem, i. e. dignitatem tibi a Caesare ademptam. Al. *tribunum*. 27) Nam, statim ut q. ins. calceis senatoriis usque ad medium crus subductis. Al. *impediet*. 29) C. 1. *hic est?* Al. *aut quo*; al. *est hic? quo*. 30) Barus, Barrus, consumpto patrimonio inops, nimis comptus et mulierosus. 31) Al. *Et cupiat formosus; eat quocunque*. 34) Al. *urbes*. 35) C. 1. *Italiam, delubra Deorum*. 37) Al. *cogat*. 38) Syrus, Dama, Dionysius fuerunt servi. 39) Tradere Cadmo, i. e. carnifici. E saxo, i. e. Tarpeja rupe. 40) Novius, homo novus et libertinus, ingenti voce. tribunus plebis; Wieland supponit hominem ignotum. 42) M. Valerius Corvinus Messala, vir illustrissimus ut L. Aemilius Paullus. Al. *plaustra*. 43) Magna sonabit, i. e vocem edit, quae omnem strepitum vincat.

Cornua quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos.
Nunc ad me redeo, libertino patre natum:
Quem rodunt omnes libertino patre natum;
Nunc, quia sim tibi, Maecenas, convictor; at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
Dissimile hoc illi est: quia non, ut forsit honorem
Jure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum;
Praesertim cautum dignos adsumere, prava
Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me possum, casu quod te sortitus amicum.
Nulla etenim mihi te Fors obtulit; optimus olim
Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem.
Ut veni coram, singultim pauca locutus;
(Infans namque pudor prohibebat plura profari)
Non ego me claro natum patre; non ego circum
Me Saturejano vectari rura caballo:
Sed, quod eram, narro. Respondes, ut tuus est mos,
Pauca: abeo; et revocas nono post mense, jubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre praeclaro, sed vita, et pectore puro.
Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta; (velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore naevos)
Si neque avaritiam, neque sordes, aut mala lustra
Objiciet vere quisquam mihi: purus, et insons,
(Ut me collaudem) si et vivo carus amicis:
Caussa fuit pater his; qui macro pauper agello
Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos, tabulamque lacerto,

---

46) C. 1. hic versus serius ad marginem scriptus est. 47) Al. *Num* quia Maecenas tibi sum. 48) Quod sub Cassio et Bruto tribunus militum fui. 49) *Forsit* pro *forsitan.* 51) Al. *parva.* 53) Bentl. *possunt*, sc. invidi. Al. *possim*, *possit.* 54) Bentl. et Wiel. *tibi me*, pro *mihi te*, *sors.* 55) Num *Varus* an *Varius* legatur, definiri non potest. Al. *quis essem* 56) *Locutus* pro *loquens.* 57) C. 1. *profari plura.* 59) Satureiano, i. e. Appulis pascuis nato, circa oppidum Satureium, prope Tarentum. Al. *Satireiano*, vel *Satri Jano.* 65) Al. *aut mea*, *ut mea paucis.* 67) C. 1. *insparsos — reprendas.* 68) Al. *ac* vel *nec mala lucra.* 71) Al. *Causa.* 72) Flavii calculatoris, ut artem numerandi addiscerem. 74) Habentes loculos suspensos.

Ibant octonis referentes Idibus aera;
Sed puerum est ausus Romam portare, docendum
Artes, quas doceat quivis eques, atque senator
Semet prognatos: vestem, servosque sequentes,
In magno ut populo si quis vidisset, avita
Ex re praeberi sumtus mihi crederet illos.
Ipse, mihi custos incorruptissimus, omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum,
(Qui primus virtutis honos) servavit ab omni
Non solum facto; verum opprobrio quoque turpi;
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si praeco parvas; aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer. Neque ego essem questus: at hoc nunc
Laus illi debetur et a me gratia major.
Nil me poeniteat sanum patris hujus: eoque
Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat, clarosque parentes,
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox, et ratio. Nam, si natura juberet
A certis annis aevum remeare peractum,
Atque alios legere ad fastum quoscunque parentes
Optaret sibi quisque: meis contentus, honestos
Fascibus, et sellis nollem mihi sumere; demens
Judicio vulgi, sanus fortasse tuo: quod
Nollem onus haud umquam solitus, portare molestum.
Nam mihi continuo major quaerenda foret res,
Atque salutandi plures: ducendus et unus,
Et comes alter; uti ne solus rusve, peregreve

---

75) Mercedem Flavio numerandi magistro datam contra Wieland. Al. *Idibus assem.* 77) Doceat s. *docendos curet.* 79) Al. *si qui*, *vidisset* pro *videret.* 82) Circum doctores, a quibus instituebar. 86) Coactores ministrabant argentariis, qui auctionibus praeerant, et pretia rerum in auctione venditarum intra certum diem ab emtoribus exigebant. 87) Bentl. *Ad haec*, i. e. propter haec. Al. *sequerer*, *nec ego essem questus: ob hoc nunc*, vel *ad haec*, vel *ad hoc.* 88) Al. *at a me.* 90) Dolo, i. e. suo vitio et culpa. 96) Al. *contentus onustos.* 97) Al. *nolim.* Parentes alios ornatos praetura et aedilitate, (quibus fasces virgarum praeferebantur, ad levium delictorum animadversionem, ut securis ad gravia et capitalia praecidenda. 101) *Salutandi plures*, i. e. salutationes plures accipiendi. 102) Al. *peregre aut.*

Exirem: plures calones, atque caballi
Pascendi; ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo, vel, si libet, usque Tarentum;
Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos.
Objiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tilli,
Quum Tiburte via praetorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes, oenophorumque.
Hoc ego commodius, quam tu, praeclare senator,
Multis atque aliis, vivo. Quocunque libido est,
Incedo solus: percontor quanti olus, ac far:
Fallacem Circum vespertinumque pererro
Saepe forum: adsisto divinis; inde domum me
Ad porri, et ciceris refero, laganique catinum.
Coena ministratur pueris tribus; et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet: adstat echinus,
Vilis cum patera guttus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum; non sollicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane; obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.
Ad quartam jaceo; post hanc vagor, aut ego lecto
Aut scripto, quod me tacitum juvet; ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast ubi me fessum Sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio Campum, lusumque trigonem.

---

104) Al. *Nunc mihi mulo Ire licet curto*, i. e. exiguo. 107) Al. *Tulli*, sc. Cicero. 108) In via Tiburtina extra portam Esquilinam. 109) Lasanum est vas inventum ad requisita naturae — Oenophorum vas aquae ad lavandum. 110) *Hoc*, i. e. in hac re. 112) Al. *aut far*. Solus i. e. sine multis servis et assectatoribus. 113) In circo fallaces astrologi et somniorum interpretes erant frequentes. Al. *vespertinusque*. 114) Circus Maximus et forum Romanum ut loca divina spectabantur. 116) Ruhkopf: *coena ministratur · purus tripus*, pro (a) pueris tribus. Lapis albus est mensa marmorea, seu basis vasorum callocandorum causa parata. 117) Echinus est vas fictile, sic nominatum a similitudine echini marini. Al. *echino*, sc. concha salis. 118) Vasa fictilia, in Campania facta. 120) Obeunda prima pars fori, ubi posita est statua Marsyae in litigatorum terrorem. 121) Duorum fratrum Noviorum junior erat improbissimus litigator, qui ad hanc statuam summo mane turpissime foenerabatur. 122) Al. *jaceo*, i. e. in lecto; *post hanc* (sc. horam) *vagor ego*, cum jam aliquid lectum sit aut scriptum a me. 124) Al. *Naca, Nacca*. Fraudatis s. expilatis, evacuatis. 125) Al. *Aut ubi me*. 126) Al. *fugio rabiosi tempora signi*, i. e. dies caniculares; sed inepte.

Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare; domesticus otior. Haec est
Vita solutorum misera ambitione, gravique.
His me consolor victurum suavius, ac si
Quaestor avus, pater atque meus, patruusque fuisset.

SATIRA VII.

Rupilii, et Persii rixam facete describit.

Proscripti Regis Rupili pus, atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus et lippis notum, et tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis; etiam lites cum Rege molestas:
Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem;
Confidens, tumidusque: adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.
Ad Regem redeo. Postquam nihil inter utrumque
Convenit; (hoc etenim sunt omnes jure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit. Inter
Hectora Priamiden, animosum atque inter Achillem
Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors,
Non aliam ob causam nisi quod virtus in utroque
Summa fuit. Duo si discordia verset inertes;
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi

---

127) Quantum non sinat me integrum diem inani ventre permanere. Al. *interpellat*. 130) Al. *victurus*. 131) C. 1. *fuissent*, ut Wieland, sc. quaestores.

SATIRA VII. C. 1. IN RUPILIUM REGEM PRAENESTINUM, i e. Praeneste natum. 1) Rupilius, Rex cognomine, Praeneste natus. Pus venenosum s. pestiferam maledicentiam. 2) Al. *Ibrida*, Semiromanus ex patre Graeco et matre Romana natus. 4) Cives romani qua negotiatores in provinciis foeneratores erant. 5) C. 1. *Claxomenis*, Ioniae urbs maritima inter insulam Aeginam et Smyrnam. 6) Al. *Dirus — posset qui*. 8) Sisenna, homo maledicentissimus, ut velocibus equis maledicendo longe superaret. 9) Al. *nil inter*. 10) Molesti eandem sibi libertatem vindicant ac fortes. 11) Bentl. *olim* pro *inter*. Al. *incidit, inter*. 12) Al. *animosumque inter*. 13) Ira capitalis est caput vel vitam petens. 15) Al. *Summa fuit, duo si discordia vexet inermes*. 16) Al. *incidit*.

Cum Lycio Glauco; discedat pigrior, ultro
Muneribus missis) Bruto Praetore tenente
Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat; uli non
Compositum melius cum Bitho Bacchius. In jus
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.
Persius exponit caussam; ridetur ab omni
Conventu: laudat Brutum laudatque cohortem:
Solem Asiae Brutum appellat; stellasque salubres
Appellat comites, excepto Rege; canem illum,
Invisum agricolis sidus, venisse: ruebat,
Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
Tum Praenestinus salso, multoque fluenti,
Expressa arbusto regerit convicia; durus
Vindemiator, et invictus; cui saepe viator
Cessisset, magna compellans voce cuculum.
At Graecus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat: *Per magnos, Brute, Deos te*
Oro! qui reges consuesti tollere, cur non
Hunc Regem jugulas? Operum hoc, mihi crede, tuorum est.

---

17) Al. *discedat.* C. 1. *pulchrior.* Glaucus Lycius, qui cum Diomedis armis aeneis sua aurea permutavit. 18) M. Junius Brutus, Caesaris interfector a. 709, proconsul Asiae a. 711. 20) Al. *Compositus*, Bentl. *compositi.* Bithus et Bacchus erant par gladiatorum. Al. *Bito, Bico.* 21) Al. *Acres concurrunt.* 22) Al. *causam.* 25) Canem, i. e. tanquam caniculam pestiferam, sidus horribile una cum Bruto advenisse dicebat. 28) Al. *multumque*, Heinsius *mustoque* contradicente Bentlejo. Subintellige: Persio. 29) Convicia deprompta ex pectore mordaci et copioso; ut durus vinitor. 30) Al. *et invicto.* 32) Italo aceto, i. e. Romana amaritudine. Al. *percussus aceto.* 34) Sub *qui* intellige *quoniam.* Al. *cōnsueris.* 35) Hunc Rupilium Regem jugulare tui muneris ac officii est.

SATIRA VIII.

Canidiae, et Saganae veneficia describit ac detestatur.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Quum faber, incertus scamnum faceretne Priapum;
Maluit esse Deum. Deus inde ego, furum, aviumque
Maxima formido; nam fures dextra coërcet
Obscaenoque ruber porrectus ab inguine palus,
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fissa; vetatque novis considere in hortis.
Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca:
Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurrae, Nomentanoque Nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat: heredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Exquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari; quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum,
Quum mihi non tantum furesque feraeque, suetae
Hunc vexare locum, curae sunt, atque labori;
Quantum carminibus quae versant, atque venenis,
Humanos animos: has nullo perdere possum
Nec prohibere modo, simulac vaga Luna decorum

SATIRA VIII. C. 1. *Hac satira inducit loquentem de maleficis.* 1) Ficulnus est nomen a ficu derivatum. 2) Al. *faceretve.* 3) Al. *Deus unde ego.* 4) Dextra sc. falce armata. 7) Al. *fixa, scissa, scixa. Novis*, sc. nuper a Maecenate institutis. Al. *insistere, consistere.* 9) Al. *vilis.* 11) Al. *Pantalabro — in agrum* Pantolabus fuit Mallius Verna trans Tiberim ingenuis parentibus natus, qui, quia a multis pecuniam mutuam rogabat, Pantolabos vocatus est, et quia omnia bona sua comissando voraverat, privatum sapulchrum habere non potuit, sed in Esquiliis sepultus est. 12) In fronte, in latitudinem, in agrum, in longitudinem. Cippus est lapis in agro erectus, in quo incisa erat formula verborum, quibus testatores declarabant, se certum loci spatium e suis agris excipere, quod vel reipublicae vel alicui familiae relinquerent. 13) C. 1. *sequerentur.* Hic sc. loci significabat, exhibebat. 14) Esquiliae in regione montis Aggeris, ubi pauperum ac servorum corpora comburi vel projici solebant. Al. *exquiliis.* 15) Bentl. *qua* sc. via. 16) Al. *defo mem.* 17) Al. *feraeque solutae. Cum* pro *Interea mihi.* 18) Al. *curae sint.* 19) Al. *vexant.* 20) Al. *Humanas animas. Has nullo.*

Protulit os, quin ossa legant, herbasque nocentes.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam, pedibus nudis, passoque capillo,
Cum Sagana majore ululantem: (pallor utrasque
Fecerat horrendas adspectu) scalpere terram
Unguibus, et pullam divellere mordicus agnam
Coeperunt: cruor in fossam confusus: ut inde
Manes elicerent animas, responsa daturas.
Lanea et effigies erat; altera cerea: major
Lanea, quae poenis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat, servilibus ut quae
Jam peritura modis. Hecaten vocat altera, saevam
Altera Tisiphonen. Serpentes, atque videres
Infernas errare canes; Lunamque rubentem,
Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum; atque in me veniat mictum, atque cacatum
Julius, et fragilis Pediatia, furque Voranus.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbrae cum Sagana resonarent triste, et acutum?
Utque lupi barbam variae cum dente colubrae
Abdiderint furtim terris; et imagine cerea
Largior arserit ignis; et ut, non testis inultus,
Obruerim voces Furiarum, et facta duarum?

---

24) Al. *sparsoque capillo.* 25) Sagana, mulier venefica habens sororem juniorem. Al *ululantem. Pallor* etc. sine parenthesi. 27) Al. *divergere.* 28) Cuning. *Coepere* ex ingenio Al. *in fossa, confossus, difusus.* 29) Al. *Manes elicerent animas*; sed Manes dicuntur animae melioris notae. 30) C. 1. *Lanea effigies*, sine *et.* Wetzel: Lanea Canidiae, cerea amati effigies fuit. 32) Al. *utque, atque.* 33) Hecate, a veneficis vocari solita, Diana subterranea. 34) Tisiphone, una ex furiis, cujus sorores Alecto et Megaera. 38) Al *veniant.* 39) Gl. Julius Pediatius, eques Romanus, qui honesto patrimonio consumto se prostituit; quare Hor. mutato genere *Pediatiam* vocavit. Voranus, quem Q. Lutatii Catuli libertum adeo furacem fuisse ajunt, ut nummos surreptos a nummulario in calceos demiserit. Al. *Pedacia, Pedatia.* 40) Al. *alterna sequentes.* Al. *Singula qui memorem?* 41) Bentl. et Wiel. *resonarint* ex ingenio, ut cum sequentibus: *Abdiderint, Arserit, Horruerim* congruat. Umbrae sunt animae mortuorum. 43) Ob imaginem cercam, quae igne liquescebat, in perniciem ejus, quem exsecrabantur. Al. *Abdiderunt — ut imagine.* 45) Bentl. et Wiel. *Horruerim voces Furiarum*, sc. Canidiae et Saganae. Wieland vero subintelligit ululatus canum. Al. *ac facta, et fata, et dicta.*

Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi,
Diffissa nate, ficus: at illae currere in Urbem;
Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum
Excidere; atque herbas, atque incantata lacertis
Vincula, cum magno risuque, jocoque videres.

SATIRA IX.

Molesti cuiusdam hominis importunam loquacitatem describit.

Ibam forte Via Sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum; totus in illis:
Accurrit quidam, notus mihi nomine tantum;
Arreptaque manu: *quid agis, dulcissime rerum?*
Suaviter, ut nunc est, inquam, *et cupio omnia, quae vis.*
Quum assectaretur: *num quid vis?* occupo. At ille:
Noris nos, inquit; *docti sumus.* Hic ego, *pluris*
Hoc, inquam, *mihi eris.* Misere discedere quaerens,
Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero: quum sudor ad imos
Manaret talos, o te, Bolane, cerebri
Felicem! ajebam tacitus. Quum quidlibet ille
Garriret; vicos, Urbem laudaret; ut illi
Nil respondebam: *misere cupis*, inquit, *abire,*
Jamdudum video: sed nil agis: usque tenebo;

---

47) Nate ficus, i. e. ego Priapus e ficu factus. Al. *Difisa, Discissa, Difusa, Defissa.* 48) Jocatur in has, quasi altera dentibus appositis uti solita sit, altera, quod gibba (l. glabra) fuerit, caliendrum h. e. galericulum habere consuesset. 50) Quaedam licia ex diversis coloribus, quibus mentes hominum vinciebant.

SATIRA IX. C. 1. HOR. REFERT MOLESTIAM GARRULI. Al. *In impudentes et ineptos parasitastros.* 1) *Ibam.* Bentl. addit: *ut*, i. e. dum. 2) Al. *nugarum; et totus.* 3) Al. *Occurrit.* 7) Hoc volo, ut nos noris. 8) C. 1. *Hoc, ego inquam*; sed *ego* habet supra et infra tria puncta. Al. *Cupide discedere.* 9) Al. *in aure.* 11) Bolanus solebat in faciem quemvis reprehendere et libere dicere, quod sentiret. Paulo igitur cum inurbanior esset et impudentior, cerebrosus s. insanus vulgo dici solebat. Num M. Vettius Bolanus, an Sextius Bolanus Quintianus, an Bollanus hic intelligatur, incertum est. 13) C. 1. *ficos.* Per quos vicos transibamus.

Persequar. Hinc, quo nunc iter est tibi? Nil opus est te
Circumagi: quendam volo visere, non tibi notum,
Trans Tiberim: longe cubat is, prope Caesaris hortos.
Nil habeo quod agam, et non sum piger; usque sequar te.
Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,
Quum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies: nam quis me scribere plures
Aut citius possit versus? quis membra movere
Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto.
Interpellandi locus hic erat: *est tibi mater?*
Cognati, queis te salvo est opus? Haud mihi quisquam:
Omnes composui. Felices! nunc ego resto,
Confice, namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit, divina mota anus urna:
„*Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,*
„*Nec laterum dolor, aut tussis, nec tarda podagra;*
„*Garrulus hunc quando consumet cumque; loquaces,*
„*Si sapiat, vitet, simulatque adoleverit aetas.*"
Ventum erat ad Vestae, quarta jam parte diei
Praeterita; et casu tunc respondere vadato
Debebat: quod ni fecisset, perdere litem.
Si me amas, inquit, *paulum hic ades. Inteream, si*
Aut valeo stare, aut novi civilia jura;
Et propero quo scis. Dubius sum, quid faciam, inquit,
Tene relinquam an rem. Me, sodes. Non faciam, ille,
Et praecedere coepit. Ego, ut contendere durum
Cum victore, sequor. *Maecenas quomodo tecum?*
Hinc repetit. *Paucorum hominum et mentis bene sanae:*

16) Bentl. *Prosequar hinc, quo.* Al. *Persequor.* 17) C. 1. *natum*, Gl. notum. 18) Cubat, aegrotat, aeger jacet. 20) Al. *ut mentis asellus iniquae.* 21) Al. *Dum dorso gravius.* 22) Vibius Viscus, eques Romanus, Horatii amicus, eiusque duo filii docti, senatorii ordinis, critici et poetae. 24) Movere membra, i. e. saltare. 25) Hermogenes Tigellius hic pro quovis praestantissimo cantore sumendus est. 27) Al. *quibus est te salvo opus?* 28) Al. *compositi.* 29) Gl. Sabella est anus divinatrix, Horatii nutrix Sabina. 30) Bentl. *mota divina anus.* 31) Hosticus s. hostilis. 34) C. 1. *vitat.* Al. *simul ac.* 35) Ad Vestae templum. Al. *ad Vestam.* 36) C. 1. *tum — vadatus.* 37) Al. *qui ni fecisset.* 38) Al. *huc ades.* 39) An valeo stare prae defatigatione aliquot horas in judicio ante Praetoris tribunal. 41) Al. *aut rem.* 42) Al. *durum est.* 43) C. 1. *tecum est?* Al. subintelligunt: *vivit.* 44) C. 1. *menti.* Al. *hominum, mentis*; al. *ut mentis.* Maecenas non gaudet amicitia multorum hominum.

Nemo dexterius fortuna est usus. Haberes
Magnum adjutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream ni
Summosses omnes. Non isto vivimus illic,
Quo tu rere, modo; domus hac nec purior ulla est,
Nec magis his aliena malis; nil mî officit umquam,
Ditior hic, aut est quia doctior; est locus uni-
Cuique suus. Magnum narras, vix credibile. Atqui
Sic habet. Accendis, quare cupiam magis illi
Proximus esse. Velis tantummodo, quae tua virtus,
Expugnabis: et est qui vinci possit; eoque
Difficiles aditus primos habet. Haud mihi deero:
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam; tempora quaeram:
Occurram in triviis; deducam. Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. Haec dum agit; ecce,
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus; et illum
Qui pulchre nosset. Consistimus. Unde venis? et,
Quo tendis? rogat et respondet. Vellere coepi,
Et pressare manu lentissima brachia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet: male salsus
Ridens dissimulare; meum jecur urere bilis.
Certe, nescio quid secreto velle loqui te,
Ajebas, mecum. Memini bene; sed meliori
Tempore dicam: hodie tricesima sabbata; vin' tu
Curtis Judaeis oppedere? Nulla mihi, inquam,
Relligio est. At mi: sum paullo infirmior, unus
Multorum: ignosces; alias loquar. Hunccine solem

45) C. 1. *fere.* 48) Cuning. *Isto non vivitur*, sed ex suo ingenio, quia poeta de se, et de societate doctorum, et amicorum intelligit. 49) C. 1. *ulla sine: est.* Al. *non purior.* 50) C. 1. *nihil officit unquam.* Bentl. *officit inquam.* 53) Hoc dicendo multo me magis accendis, ut cupiam ei familiaris esse. *Velis*, i. e. si velis. 54) Ea est tua virtus, ut facile sis expugnaturus Maecenatem. 55) Al. *Expugnabit.* Dousa: *poscit.* Al. *eo quod.* 58) Exclusus, non admissus. 59) Deducam, i. e. comitabor. 60) Al. *Haec dum ait.* 61) Fuscus Aristius est idem, ad quem Hor. L. I. Ode 22 et Epist. X. scripta est. 62) Al. *unde venisset.* Al. *veniret.* 63) Respondet a me rogatus. Al. *Quo tendit.* 64) Al. *prensare.* 68) Al. *meliore.* 69) Vin' tu, i. e. non tu vis. Tricesima Sabbatha varie sumuntur contra Horatii intentionem. Al. *vis tu.* 71) Al. *paulum.*

Tam nigrum surrexe mihi! Fugit improbus ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius: et, *quo tu turpissime?* magna
Inclamat voce: et, *Licet antestari?* Ego vero
Appono auriculam: rapit in jus; clamor utrinque;
Undique concursus. Sic me servavit Apollo.

SATIRA X.

Suum de Lucilio iudicium tuetur, et quaedam scribendarum satirarum praecepta adspergit.

* *
*

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone,
Defensore tuo, pervincam, qui male factos
Emendare parat versus. Hoc lenius ille,
Est quo vir melior: longe subtilior illo,
Qui multum puer et loris, et funibus udis
Exhortatus, ut esset, opem qui ferre poëtis
Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc.

* *
*

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? At idem, quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera;
nam sic
Et Laberi Mimos, ut pulchra poëmata, mirer.

73) C. 1. *Tam nigrum mihi* sine: *surrexe*. Al. *Tam mihi surrexisse nigrum*. 74) Al. *liquit*. 76) Bentl. *Exclamat*. Gl. O Horati, licetne te testem facere in hunc garrulum? 77) Al. *Oppono*.

SATIRA X. C. 1. *Hor. ad maledictionem Lucilii respondet.* Octo primi versus: *Lucili — illuc:* in Cod. nostris non sunt inveniendi. 4) Al. *Quo melior vir adest*. 5) Al. *puer est loris*. 6) Al. *Exoratus*. 8) Al. illic. 2) C. 1. *inepti est*. 3) Al. *non haec*. 3 — 4) Quod cives Romanos acrius notarit. 5) Al. *non sic, num sic, non haec, nec sic*. 6) Laberius, Decimus, eques Romanus, a C. Julio Caesare in theatrum prodire jussus, quingentisque sestertiis et annulo aureo donatus, poeta clarus et mordax.

Ergo non satis est, risu diducere rictum
Auditoris; et est quaedam tamen hic quoque virtus.
Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures:
Et sermone opus est modo tristi, saepe jocoso;
Defendente vicem modo rhetoris atque poëtae;
Interdum urbani, parcentis viribus, atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res.
Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi; quos neque pulcher
Hermogenes umquam legit, neque simius iste,
Nil praeter Calvum, et doctus cantare Catullum.
At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miscuit. O seri studiorum! quine putetis
Difficile, et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? *At sermo lingua concinnus utraque*
Suavior, (ut Chio nota si commixta Falerni est)
Quum versus facias. Te ipsum percontor, an et quum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli,
Scilicet oblitus patriaeque, patrisque; Latine
Quum Pedius causas exsudet, Publicola, atque
Corvinus; patriis intermiscere petita

7) Al. *deducere*. 8) Al. *haec quoque*. 11) Al. *tristi modo*. 12) Opus est sermone tuente munus nunc rhetoris etc. 13) Al. *urbane*. Jocus interdum plus valet, quam acrimonia cum severis ac seriis verbis conjuncta. 15) Al. *ac melius — secat*, s. dirimit, decidit. 18) Al. *unquam*. M. Hermogenes Tigellius, Sardus, libertinus, cantor celebris. 19) L. Licinius Galvus, orator et poeta, qui et satiras scripsit et carmina amatoria. Catullus nobilis ille poeta, cujus carmina adhuc extant. Al. *Calvum, doctus*. 20) Al. *Ac magnum fecit, verbis quod*. 21) Al. *putatis*. O seri studiorum, i. e. qui sero studiis vacare coepistis. 22) Pitholeon Rhodius, poeta, in epigrammatibus suis verba graeca immiscuit latinis. 23) Concinnus s. apte compositus. 24) C. 1. *et Chio*, pro *ut* s. quemadmodum. Al. sine parenthesi. 25) Al. *et an cum*. Al. *Dum versus facias, te ipsum percontor*. 26) Petillius, dum Capitolii curam gereret, coronae sublatae causam dixit, absolutusque est a judicibus in gratiam Augusti, cujus amicus erat. 27) Al. *sc. oblitus patriae patrisque latine*. Sed sensus est: Tu oblitus patriae, et patris tui, qui Latine loquebatur. Al. *patrumque*. 28) Hor. sine dubio loquitur de duobus celebribus jurisconsultis. Al. *exsudat*.

Verba foris malis, Canusini more bilinguis?
Atqui, ego quum Graecos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit tali me voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, quum somnia vera:
In silvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Graecorum malis implere catervas.
Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona, dumque
Defingit Rheni luteum caput; haec ego ludo,
Quae neque in aede sonent certantia judice Tarpa;
Nec redeant iterum, atque iterum spectanda theatris.
Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta
Eludente senem, comis garrire libellos,
Unus vivorum, Fundani: Pollio regum
Facta canit, pede ter percusso: forte epos acer,
Ut nemo, Varius ducit: molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenae.
Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino,
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inventore minor; neque ego illi detrahere ausim
Haerentem capiti cum multa laude coronam.
At dixi, fluere hunc lutulentum; saepe ferentem

30) Apud Canusinum, oppidum Apuliae, partim graece partim latine loquebantur. 31) Al. *Atqui ego*, Atque ego. 32) Bentl. *vetuit tali me*. Cuning. *tali vetuit me voce*. 33) Cuning. *Post mediam visus noctem*. 34) Cuning. *insanior*. 35) Graecorum sc. scriptorum. 36) Dum malis carminibus historiam Memnonis ab Achille jugulati narrat. 37) Bentl. et Wiel. *Diffingit*; al. *Defigit*, *Depingit*. 38) C. 1. *Quae nec*, in aede quacunque, non in templo Apollinis et Musarum. Sp. Maetius Tarpa judex et censor fabularum in ludis scenicis agendarum. 39) C. 1. *spectata*. 40) Chremes, senex dives et avarus. 41) Al. *comes*. 42) Tu, Fundani, unus vivorum, potes argutam comoediam scribere comiter et facete. C. Asinius Pollio, equestri ordine, sed ignobilibus majoribus ortus, a Vellejo, Cicerone, Virgilio, Dione, Tacito, Suetonio, Appiano, Valerio M. etc. celebris redditus. 43) Pede ter percusso, i. e. trimetro jambico. Acer Varius ducit forte de rebus divinis carmen heroicum, ut nemo melius. 44) Al. *Varius dictu molle*, *ductu molle*, *Varius dicit*. 45) Al. *annuerint*, *annuerant*. Camenae, i. e. Musae, gaudentes rure, agris et pascuis. 46) Publ. Terentius Varro, Atacinus, Narbonensis, de quo Stephanus et Pithoeus nonnulla fragmenta corporibus Classicorum Authorum inseruerunt. 47) C. 1. *possim*; al. *possum*. 48) Inventor, sc. Lucilius. 49) Bentl. et Wiel. *multa cum laude*. 50) Hunc sc. Lucilium.

Plura quidem tollenda relinquendis: age, quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?
Non ridet versus Enni gravitate minores?
Quum de se loquitur, non ut majore reprensis?
Quid vetat et nosmet Lucili scripta legentes
Quaerere num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos, et euntes
Mollius; ac si quis pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem coenatus? Etrusci
Quale fuit Cassi rapido ferventius amni
Ingenium: capsis quem fama est esse, librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis, et urbanus; fuerit limatior idem,
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor;
Quamque poëtarum seniorum turba: sed ille,
Si foret hoc nostrum fato delatus in aevum,
Detereret sibi multa; recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur; et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint,
Scripturus: neque, te ut miretur turba, labores;
Contentus paucis lectoribus. An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego; nam satis est, equitem mihi plaudere; ut audax,
Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.

51) Al. *age, quaero*. 52) Al. *reprendis*. 53) Comis, benignus, ironice. Al. *Nil — Acti*, *Atti*, i. e. nihil in carminibus Atti, qui apud Latinos primus tragoediam scripsit. 54) Versus minus graves, quam oportet. Q. Ennius, Rudius e Calabria, poeta epicus et tragicus aetatis suae celeberrimus. Al. *Num ridet*. 56) Al. *Quis vetat*. 57) C. 1. *negavit*. Rerum sc. quas tractavit. 58) Al. *magis comptos*, *magis altos*, *magis aptos*. 59) C. 1. *qui* pro *quid*. Hexametris versibus ut aliquid claudat et finiat. Al. *an si quis*. 62) Cassius, Etruscus, sc. Parmensis, Caesaris interfector, multas tragoedias scripserat. 64) *Ambustum* pro *Combustum*. 66) Auctor, fors Ennius, quem arte rudem etiam Ovidius dicit. 68) C. 1. *dilapsus*, al. *dilatus*, h. e. reservatus. 70) Al. *in versus*. 72) Deleas et emendes verso stilo, ut legi mereantur tua scripta. 77) Arbuscula mima et meretrix a vulgo explosa, quam in ludis a Pompejo M. a. 699 datis valde placuisse, scribit Cic. ad Att. 4, 15. Al. *Contemtis*.

Men' moveat cimex Pantilius? aut cruciet, quod
Vellicet absentem Demetrius? aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli?
Plotius et Varius, Maecenas Virgiliusque,
Valgius, et probet haec Octavius optimus, atque
Fuscus; et haec utinam Viscorum laudet uterque:
Ambitione relegata, te dicere possum,
Pollio; te, Messala, tuo cum fratre; simulque
Vos, Bibule et Servi; simul his te, candide Furni:
Complures alios, doctos ego quos, et amicos
Prudens praetereo; quibus haec, sint qualiacunque,
Arridere velim; doliturus, si placeant spe
Deterius nostra.' Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter jubeo plorare cathedras.
I, puer; atque meo citus haec subscribe libello.

---

78) C. 1. *cruciat.* Pantilius, Horatii obtrectator, scurra vilissimus, hinc *cimex* dictus. Al. *Pantillius? aut cruciat*; al. *crucier.* 79) Demetrius modulator fuit, et docuit puellas ingenuas per modos. 80) C. 1. *Falgius.* Fannius Quadratus, scriptor sui admiratione inflatus, Horatii obtrectator. Al. *Tigilli.* 81) C. 1. *Varus.* Plotius, poeta epicus, amicus Virgilii et Horatii. L. Varius, poeta epicus et tragicus. 82) Bentl. *optimus atque Fuscus.* T. Valgius Rufus, poeta epicus. Octavius, amicus Hor. doctus. 83) Al. *probet hoc.* 84) Al. *possim.* 85) M. Valerius Corvinus Messala, eloquentissimus et philosophiae studio clarissimus. 86) C. 1. *Vos, Bibuli et Servi, simul iste candide Furni.* Bibulus Hor. amicus. Servius Claudius grammaticae doctus. Furnius, historicus doctissimus. 87) C. 1. *Cum plures alios.* Al. *Compluresque.* 88) Bentl. *sunt.* 91) Discipularum sc. mimarum. Al. *discipulorum.* 92) Al. *citus hoc.*

Q. HORATII FLACCI

S E R M O N U M

LIBER SECUNDUS.

SATIRA I.

Fingit se cum Trebatio Jurisconsulto deliberare, utrum a scribendis satiris abstineat.

HORATIUS.

Sunt, quibus in Satira videor nimis acer; et ultra
Legem tendere opus: sine nervis altera, quidquid
Composui, pars esse putat; similesque meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati,
Quid faciam, praescribe.

TREBATIUS.

Quiescas.

HORATIUS.

Ne faciam, inquis,
Omnino versus?

TREBATIUS.

Ajo.

HORATIUS.

Peream male, si non
Optimum erat: verum nequeo dormire.

TREBATIUS.

Ter unct

LIBER II. *SATIRA I.* Al. *In quendam, qui actionem de famosis libellis Horatio intentabat.* 1) C. 1. *videar.* 2) Bentl. *intendere.* Sed Lambin. *tendere* derivat a nervis aut fidibus nimium tentis. 5) Al. *perscribe. Quiescam?* Statue tanquam ex lege, quid debeam facere. 7) Ter uncti, post exercitium in campo Martio.

Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto;
Irriguumque mero sub noctem corpus habento.
Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
Praemia laturus.

HORATIUS.

Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Parthi.

TREBATIUS.

Attamen et justum poteras, et scribere fortem;
Scipiadam ut sapiens Lucilius.

HORATIUS.

Haud mihi deero,
Quum res ipsa feret. Nisi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem:
Cui male si palpere, recalcitret undique tutus.

TREBATIUS.

Quanto rectius hoc, quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram, Nomentanumque nepotem:
Quum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit.

HORATIUS.

Quid faciam? Saltat Milonius, ut simul icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.
Castor gaudet equis; ovo prognatus eodem,
Pugnis: quot capitum vivunt, totidem studiorum
Millia. Me pedibus delectat claudere verba
Lucilî ritu, nostrum melioris utroque.

---

9) Al. *Irriguumve.* 10) Bentley *capit.* 14) Al. *neu fracta.* Cum saucius hostis e corpore non potuit evellere, nisi fractam. 15) Al. *describit*, *describet*, *scribebat.* 17) Scipiades, Scipiadae virtus est Scipio junior Africanus a Carthagine oppressa dictus, alias Numantianus. 18) Al. *Dum res.* 19) Al. *attentas — aures.* 20) Bentl. *palpare recalcitret.* Al. *Qui, male si palpere recalcitrat.* 21) Al. *tristi quam.* 22) C. 1. *Nomentanumve.* 24) Wetzel et Wiel. *semel.* Milonius saltando seque inebriando insaniens. Al. *Millonius.* 25) Al. *capiti fervor numerusque lucernis*, quia ebrii duplicia vident. 26) Castor, Jovis ex Leda, Tyndari uxore, filius, Pollucis et Helenae frater. 28) Al. *verbum.* Al. *Millia, me pedibus.*

Ille, velut fidis arcana sodalibus, olim
Credebat libris: neque, si male cesserat, umquam
Decurrens alio; neque si bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis. Sequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps:
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus;
Missus ad hoc, pulsis (vetus est ut fama) Sabellis;
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis;
Sive quod Appula gens, seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic stilus haud petet ultro
Quemquam animantem; et me veluti custodiet ensis
Vagina tectus: quem cur destringere coner,
Tutus ab infestis latronibus? O pater, et rex
Jupiter, ut pereat positum robigine telum;
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! At ille,
Qui me commorit, (melius non tangere, clamo)
Flebit, et insignis tota cantabitur Urbe.
Servius iratus leges minitatur et urnam;
Canidia Albuti, quibus est inimica, venenum;
Grande malum Turius, si quid, se judice, certes.
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat; utque
Imperet hoc natura potens; sic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit, unde, nisi intus
Monstratum? Scaevae vivacem crede nepoti
Matrem; nil faciet sceleris pia dextera: mirum!
Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos.
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus

---

31) Al. *gesserat*, sc. quid. Al. *usquam.* 34) Ego sc. dubius sum, num Venusini Lucanis sunt affines et Appulis. 35) Inter utr. finem, sc. inter Lucaniam et Apuliam. Est enim Horatius in oppido Venusino natus. 37) Ne per vacantem locum Sabellis expulsis pervium iter esset Lucanis s. Apulis ad Romanos. 41) Al. *distringere.* 42) Al. *o pater, o rex.* 47) Al. *Cervius*, Ascanii libertus calumniator, accusavit Cn. Calvinum lege de Sicariis. Al. *legem.* 48) Albutius uxorem veneno sustulit. Al. *Albuci.* 49) Turius, praetor, justitiae speciem praeferens, privatae vindictae satisfaciebat. Al. *si quis te iudice certet.* 51) Al. *Imperitet.* 53) Scaeva matricida veneno Al. *Monstratum est*, sed fors solum ex nota marg. 54) Al. *nil faciat sceleris pia dextera mirum est.* 55) Al. *petat bos.* 56) Cuning. *Sed male*, ex ingenio. Al. *tollat.*

Exspectat, seu mors atris circumvolat alis;
Dives, inops; Romae seu Fors ita luserit, exsul;
Quisquis erit vitae, scribam, color.

TREBATIUS.

O puer, ut sis
Vitalis, metuo; et majorum ne quis amicus
Frigore te feriat.

HORATIUS.

Quid? quum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem;
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
Cederet, introrsum turpis; num Laelius, et qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi? aut laeso doluere Metello?
Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui
Primores populi arripuit, populumque tributim;
Scilicet uni aequus virtuti, atque ejus amicis.
Quin ubi se a vulgo, scaena, in secreta remorant
Virtus Scipiadae, et mitis sapientia Laeli;
Nugari cum illo, et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti. Quidquid sum ego, quamvis
Infra Lucili censum, ingeniumque; tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia; et fragili quaerens illidere dentem
Offendet solido: nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis.

TREBATIUS.

Equidem nihil hic diffingere possum,

---

58) Al. *Exspectet — circumvolet.* 59) Al. *Romae, seu fors ita jusserit, seu sors ita lusserit.* 60) O puer Hor., ut sis vitalis s. vivax, metuo, si satiras scribas: nam te potest quicunque majorum a te lacessitus occidere. 61) Mortem tibi inferat. 63) Markland: *in hanc operis — formam.* 65) Incederet et obambularet nitidus, i. e. ut civis bonus. C. Laelius, Sapiens, Scipionis Afr. jun. familiaris, Lucilii poetae amicus. Al. *aut qui.* 67 — 68) C. Caecilius Metellus Macedonicus, a Lucilio in satiris laesus, sicut P. Rutilius Lupus, Consul a. 663. Al. *Famosisve.* Fors. hic intelligatur L. Cornelius Lentulus Lupus, Consul a. 597 cum C. Marcio Figulo. 69) Arripuit, invasit, aggressus est. 71) Al. *scena, scoena.* 72) Publius Cornelius Scipio Africanus Aemilianus, de quo vide IV. od. 8, 17, et Laelius dicuntur fuisse amicissimi. 73) A rebus seriis laxati. 77) Al. *fragili cupiens illidere dente.* 78) Al. *Offendat solido: ni quid* 79) Al. *defringere, diffundere, diffidere, diffigere, defingere, defindere, diffingere,* pro transferre vel differre litem. Baxter *hic* pro hinc.

Sed tamen, ut monitus caveas, ne forte negoti
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, jus est
Judiciumque.

HORATIUS.

Esto, si quis mala: sed bona si quis
Judice condiderit? Laudatur Caesare. Si quis
Opprobriis dignum laceraverit, integer ipse?

TREBATIUS.

Solventur risu tabulae; tu missus abibis.

SATIRA II.

Luxuriosam vitam insectatur, frugalitatem commendans.

Quae virtus, et quanta bonis sit vivere parvo;
(Nec meus hic sermo est, sed quae praecepit Ofellus
Rusticus, abnormis sapiens, crassaque Minerva)
Discite, non inter lances, mensasque nitentes;
Quum stupet insanis acies fulgoribus, et quum
Acclinis falsis animus meliora recusat:
Verum hic impransi mecum disquirite. *Cur hoc?*
Dicam, si potero. Male verum examinat omnis
Corruptus judex. Leporem sectatus, equove
Lassus ab indomito; vel, si Romana fatigat
Militia assuetum graecari, seu pila velox,
Molliter austerum studio fallente laborem;

---

80) Al. *ut caveas monitus.* 84) Al. *Judice condiderit laudatus Caesare, si quis.* Al. *laudetur.* 85) Al. *Opprobrio — latraverit,* ut Bentl. 86) Dissolventur cum judicum risu tabularum leges; tu dimissus absolveris. Al. *tum missus abibis.*

SATIRA II. C. 1. *Ad Offellinum.* Al. *In vitae urbanae luxuriam et ineptias.* 1) Al. *boni.* 2) Al. *sed quem.* 3) Abnormis, i. e. nullius normae, s. sectae et disciplinae. Al. *abnormi, anormis.* 4 Cuning. *non lances inter,* sed ex ingenio. 5) Cum oculorum et mentis acies, auri et argenti fulgoribus obtunditur. Al. *Dum stupet.* 6) C. 1. *recuset.* Al. *Adclinis, acclivis.* 11) Te assuetum genialiter vivere, vel graeco more ludere. Seu pila velox agit te s. delectat.

Seu te discus agit; pete cedentem aëra disco.
Quum labor extuderit fastidia; siccus, inanis
Sperne cibum vilem: nisi Hymettia, mella Falerno
Ne biberis diluta. Foris est promus, et atrum
Defendens pisces hiemat mare; cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Unde putas, aut
Qui partum? Non in caro nidore voluptas
Summa; sed in te ipso est. Tu pulmentaria quaere
Sudando: pinguem vitiis, albumque, neque ostrea,
Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.
Vix tamen eripiam, posito pavone, velis quin
Hoc potius, quam gallina, tergere palatum:
Corruptus vanis rerum; quia veneat auro
Rara avis et picta pandat spectacula cauda:
Tanquam ad rem attineat quidquam. Num vesceris ista,
Quam laudas, pluma? cocto num adest honor idem?
Carne tamen quamvis distat nil haec magis illa;
Imparibus formis deceptum te patet. Esto.
Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus; an alto
Captus hiet; pontesne inter jactatus; an amnis
Ostia sub Tusci? laudas, insane, trilibrem
Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.
Ducit te species, video: quo pertinet ergo

---

13) Jacta discum in aera, qui cedit corporibus gravioribus. Al. *aget*. 14) Bentl. *expulerit*; al. *extulerit*. 15) Al. *vilem; et nisi*. Hymettus, Atticae mons, nobilis marmore et melle. 19) C 1. *pastum*. 20) Tu epulas pulmento suaviores quaere laborando. 21) Nam pinguem vitiis, i. e. crapula turgidum et pallidum, neque ostrea nec scarus poterit juvare. Al. *nec ostrea*. 22) Lagois est piscis Romae carus et rarus, ab aliqua leporis terrestris similitudine dicta. 23) Vix persuadebo, apposito pavone. 24) Al. *turgere* pro tergere, quod est *permulcere*. 26) Sc. pavo. Al. *pandit*. 29) Al. *distat nihil hac, vel nil hic magis illa; nihil hac distet magis illa*. Sensus est: quamvis haec caro pavonis nihil magis distat s. excellit illa gallinae; patet, te deceptum potius specie, pulchritudine ejusdem pavonis, antequam coqueretur; cui etiam carnis coctae saporem responsurum tibi fingebas. 30) Al. *te patet, esto*. 31) Quomodo scis, an piscis ille sit captus in Tiberi, an in mari? 32) Al. *pontes* sine: *ne*: al. *pontesve*. Hic subintelliguntur pontes Sublicius et Senatorius, inter quos cloaca maxima sordes antiquae Urbis egerebat, ibique attrahebat pisces. 33) An vero circa Ostia inter amnes fluminis Tiberis? 35) Al. *quid* vel *quod pertinet*. *Ducit* pro seducit, decipit vel delectat.

Proceros odisse lupos? quia scilicet illis
Majorem natura modum dedit, his breve pondus,
Jejunus raro stomachus vulgaria temnit.
Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem, ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos
Praesentes, Austri, coquite horum obsonia; quamquam
Putet aper, rhombusque recens, mala copia quando
Aegrum sollicitat stomachum; quum rapula plenus,
Atque acidas mavult inulas. Necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum; nam vilibus ovis,
Nigrisque est oleis hodie locus. Haud ita pridem
Galloni praeconis erat acipensere mensa
Infamis. Quid? tum rhombos minus aequora alebant?
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido;
Donec vos auctor docuit praetorius. Ergo,
Si quis nunc mergos suaves edixerit assos;
Parebit pravi docilis Romana juventus.
Sordidus a tenui victu distabit, Ofello
Judice; nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorseris. Avidienus,
Cui Canis, ex vero ductum, cognomen adhaeret,
Quinquennes oleas est, et silvestria corna;
Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum; et
Cujus odorem olei nequeas perferre, (licebit
Ille repotia, natales, aliosve dierum

---

36) Illis sc. lupis. 37) His sc. mullis. 38) Bentl. damnat hunc versum. Al. *Jejunus stomachus raro, Jejunus rare stomachus vulgaria tempsit*. 39) Magnum sc. mullum, quem Wiel. germanice interpretatur: Rothbart, Schmeerbutte. Al. *Porrectum in magno*. 40) Al. *rapacibus; at vos*. 41) Wiel. *Quamvis*. Humido vestro calore putrefacite. Al. *opsonia*. Praesentes quasi precibus meis faventes. 42) Recens sc. captus. 44) C. 1. *mavolt*; al. *abacta est*. Non quod acida est haec herba, sed quod, cum coquitur, aceto conditur. 45) Victus tenuis. 47) Gallonius praeco primus acipenserem piscem suae mensae apposuit, quare haec etiam a Lucilio taxatur. 48) C. 1. *aequor alebat*. 49) C. 1. *eras*. 50) Ironice. Asinius Sempronius Rufus gulosus, praeturam expetens, tulit repulsam. Al. *Donec nos*. 53) C. 1. *distabat*. 54) Ofello judice, pro me jud. 55) Al. *pravus detorserit*. *Aufidienus*. Avidienus canis est homo sordidae avaritiae. 56) Al *dictum — adhaesit*. 57) Quinque annorum oleas comedit. 58) Nisi acidum, ut acetum. Al. *At nisi — diffundere* vel *perfundere*. 59) Et instillat caulibus oleum, cujus odorem n. p., quamvis licebit. Al. *oleum*.

Festos albatus celebret) cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur? et horum
Utrum imitabitur? Hac urget lupus, hac canis, ajunt.
Mundus erit, qui non offendat sordidus; atque
In neutram partem cultus miser. Hic neque servis,
Albuti senis exemplo, dum munia didit,
Saevus erit: neque sic ut simplex Naevius, unctam
Convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum
Afferat. Inprimis valeas bene: nam variae res
Ut noceant homini, credas; memor illius escae,
Quae simplex olim tibi sederit. At simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis;
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Coena desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una,
Atque affigit humo divinae particulam aurae.
Alter, ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam;
Sive diem festum rediens advexerit annus;
Seu recreare volet tenuatum corpus; ubique
Accedent anni, tractari mollius aetas
Imbecilla volet: tibi quidnam accrescet ad istam,

62) Gesner: *veteris non largus.* Al. *non largus aceti.* Caulibus sc. brassicis. Caulis enim convenit omnibus herbis, cui adnascuntur ramusculi, folia et fructus. 63) Et horum sc. duorum. 64) Al. *Hac urguet.* Hoc proverbio utimur, ubi res duae nobis molestae sunt. 65) Bentl. *quia non off. sordibus.* Al. *offendet, offendit.* *Qua* pro *quatenus*; al. *quae, quis, quid, quod*, sed errore amanuensium scriptorum. 66) C. 1. *nec servis.* Al. *cultu miser.* 67) Al. *adibit.* Al. *Albuci*, qui et avarus et elegans conviviorum apparator saevus est habitus in servos, qui ob cupiditatem nimiam habendi alienam uxorem suam veneno necavit. 68) Simplex, i. e. parum prudens. 69) Vitium sc. prodigalitatis et luxuriae. 72) Q. s. o. t. s., i. e. aliquando tibi placuerit. Al. *credes.* 73) Al. *Ac simul.* 77) Coena dubia est munifica, lauta, ubi tu dubites, quid sumas potissimum. 79) C. 1. *adfligit*, Bentl. Wiel. Wetzel: *affligit.* 80) Al. *ubi citius dicto.* 83) Bentl. Wiel. Wetzel: *adduxerit.* 84) Al. *ubive*; et ubi senectus advenerit. 85) Al. Accedunt, *Accedant.* 86) Al. *volet, tibi quidnam accedet ad istam.* Al. *addatur ad istam.*

Quam puer, et validus praesumis; mollitiem; seu
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant; non quia nasus
Illis nullus erat: sed, credo, hac mente; quod hospes
Tardius adveniens, vitiatum commodius, quam
Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tulisset!
Das aliquid famae, quae, carmine gratior, aurem
Occupat humanam? Grandes rhombi, patinaeque
Grande ferunt una cum damno dedecus: adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum;
Et frustra mortis cupidum, quum deerit egenti
Aes, laquei pretium. *Jure, inquit, Trausius istis
Jurgatur verbis: ego vectigalia magna
Divitiasque habeo tribus amplas regibus.* Ergo,
Quod superat, non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam, te divite? quare
Templa ruunt antiqua Deum? cur, improbe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?
Uni nimirum tibi recte semper erunt res?
O magnus posthac inimicis risus! Uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius? hic, qui
Pluribus assuerit mentem, corpusque superbum;
An qui contentus parvo, metuensque futuri,
In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?
Quo magis his credas: puer hunc ego parvus Ofellum,
Integris opibus novi non latius usum,
Quam nunc accisis. Videas metato in agello

87) Al. *Mollitiam.* 89) Quia carebant odoratu. 92) Integrum et recentem aprum. 95) Al. *Occupet.* 97) Ira tum patruum, cujus sub imperio es, cui non minus, quam patri, est obsequendum, quia est frater patris. 99) Bentl. Wetz.: *inquis.* Trausius junior, quem patruus jurgatur prodigum et pauperem. Al. *As, laquei* —, *Trasius, Trallius, Transius, Traustius, Travius, Traxius, Rausius, Tranlius.* 100) *Jurgatur* est verbum deponens, non passivum. 103) Indignus sc. egestate. 105) C. 1. *Non aliud patriae magno* vel *ex magno emetiris*, vel *e tanto.* 106) Bentl. *eunt.* Al. *recte tibi.* 107) Cum patrimonium omne per luxuriam consumpseris, aut si fortuna commutata fuerit, risui omnibus inimicis eris. 108) Al. *certior.* 109) Assuerit, assuefecerit. 110) Futuri sc. casus et calamitatis. 113) H. Stephanus: *lautius.* 114) Videas in agello demenso, et ab Umbreno, Augusti milite veterano, conducto. Al. *accissis, abscissis, abscisis, succisis.*

Cum pecore, et gnatis, fortem mercede colonum,
Non ego, narrantem, temere edi luce profesta
Quidquam praeter olus, fumosae cum pede pernae.
At mihi seu longum post tempus venerat hospes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus; bene erat, non piscibus urbe petitis;
Sed pullo, atque haedo: tum pensilis uva secundas,
Et nux ornabat mensas, cum duplice ficu.
Post hoc ludus erat, culpa potare magistra:
Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractae seria frontis.
Saeviat, atque novos moveat fortuna tumultus;
Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius, aut vos,
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?
Nam proprie telluris herum natura neque illum,
Nec me, nec quemquam statuit; nos expulit ille;
Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris;
Postremum expellet certe vivacior haeres.
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus erat; nulli proprius: sed cedit in usum
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

---

116) C. 1. *Non ego narrarem temere aedi*, *Gl. narrantem.* Ab hoc versu incipit sermo Offelli. 117) Al. *fumoso.* 118) Al. *Ac mihi post longum tempus seu*, *Ac mihi si longum*, *Ac mihi cum longum*, *Ac mihi seu longo post tempore*, *Ac mihi seu longum tempus post.* 119) Tanquam conviva. 121) Al. *tunc pensilis.* In secunda mensa non editur, sed datur opera poculis. 123) Al. *Post haec — cuppa potare.* 124) *Ita* sc. *ut.* 126) Al. *ita culmo ut surgeret alto; ita culmo surgeret alto ut; uti culmo etc.* 127) C. 1. *Quanto hinc.* Al. *Quantum aut imminuet?* Al. *imminuat.* 128) Al. *O pueri, vixistis.* 129) Bentl. Wiel. Wetz. *propriae.* Al. *proprium;* sed potius *proprie*, privatim. 132) Al. *Postremo.* 133) Umbrenus miles veteranus, homo negotiator, celeber in conjur. Catilinae. 134) Al. *erit — proprius nulli — cedet.* 135) Al. *nunc aliis.* 136) Al. *Martiaque adversis.*

SATIRA III.

Omnes insanire, etiam ipsos Stoicos, dum hoc docent.

DAMASIPPUS.

Sic raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quaeque retexens;
Iratus tibi, quod vini, somnique, benignus
Nil dignum sermone canas. Quid fiet? Ab ipsis
Saturnalibus huc fugisti. Sobrius ergo,
Dic aliquid dignum promissis: incipe. Nil est!
Culpantur frustra calami, immeritusque laborat
Iratis natus paries Dis, atque poëtis.
Atqui vultus erat multa, et praeclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto.
Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?
Eupolin Archilocho, comites adducere tantos?
Invidiam placare paras, virtute relicta?
Contemnere, miser: vitanda est improba Siren,
Desidia; aut quidquid vita meliore parasti,
Ponendum aequo animo.

HORATIUS.

Di te, Damasippe, Deaeque,
Verum ob consilium donent tonsore. Sed unde
Tam bene me nosti?

SATIRA III. 1) Bentl. *Si raro scribes.* 2) Retexens, sc. ut Penelope. Al. *recensens, retentes.* Sensus est: delens et denuo elaborans. 3) Nimium bibens et dormiens. 4) Al. *canis.* Al. *At ipsis.* 5) Bentl. *fugisti sobrius ergo*, al. *sobrius esto.* 7) Al. Frustra culpantur calami; *Culpantur calami frustra.* 9) Cuning. *ac praeclara.* 10) Bentl. *lecto* sc. lucubratorio, quasi Roma lectum tepidum non potuisset praebere. 11) Stipare, i. e. congerere libros Platonis et Menandri. Hic Atheniensis, Theophrasti discipulus, natus a. 413 novae s. tertiae comoediae auctor, quem Afranius expressit, et quem Horatius legere solebat. 12) Al. *Archilochum.* Eupolis, veteris comoediae poeta, celebris circa a. U. C. 325, quem Hor. secum portare solebat. Archilochus, Parius, poeta lyricus, carminis jambici princeps, quem Hor. magni fecit et imitatus est. Al. *et ducere, educere.* 13) Bentl. *Tu invidiam.* Valart: *pares.* 14) Al. *contemnere miser. Vitanda.* 16) Damasippus, primum mercator, deinde philosophus Stoicus. 17) Qui longam et philosophicam tuam barbam radat.

DAMASIPPUS.

Postquam omnis res mea Janum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo,
Excussus propriis. Olim nam quaerere amabam,
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere;
Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset.
Callidus huic signo ponebam millia centum:
Hortos, egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro noram; unde frequentia Mercuriale
Imposuere mihi cognomen compita.

HORATIUS.

Novi,
Et miror morbi purgatum te illius.

DAMASIPPUS.

Atqui
Emovit veterem mire novus: ut solet, in cor
Trajecto lateris miseri, capitisve dolore,
Ut lethargicus hic, quum fit pugil, et medicum urget.

HORATIUS.

Dum ne quid simile huic, esto ut libet.

DAMASIPPUS.

O bone, ne te
Frustrere; insanis et tu, stultique prope omnes;
Si quid Stertinius veri crepat: unde ego mira
Descripsi docilis praecepta haec, tempore, quo me
Solatus jussit sapientem pascere barbam;
Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam, male re gesta, quum vellem mittere operto

---

18) Janum, Deum bifrontem, in foro positum, ubi mercatores et foeneratores conveniebant. 20) Torrent. *habebam, avebam.* 21) In quo vase aereo. Sisyphus, Aeoli filius, damnatus longi laboris. Al. *Quo faber, faver.* 22) Bentl. et Wiel. *scalptum infabre*, i. e. minus artificiose. 23) In eo callidus eram, quod sciebam signatis operibus justum pretium imponere. 25) Mercurius praeest mercaturis. Al. *Mercuriali.* 26) Compita dicuntur viae latae, ad quas ex multis regionibus convenitur. 27) Al. *Et morbi miror.* 28) Al. *Evomit, Evomuit.* *Cor* pro stomachus vel ventriculus. 29) Bentl. et Wiel. *capitisque.* Al. *Transjecto.* 30) Cum sit phreneticus s. pugil. 31) Al. *esto ut lubet.* *O bone, te ne.* 33) C. 1. *verum.* Stertinius 220 libros Stoicorum scripsisse dicitur. 35) Al. *crescere barbam.* 36) A Fabricio Consule condito ponte, de quo in Tiberim me praecipitare volui.

Me capite in flumen, dexter stetit; et, cave faxis
Te quidquam indignum: pudor, inquit, te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primum nam inquiram, quid sit furere: hoc si erit in te
Solo; nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala stultitia, et quemcunque inscitia veri
Caecum agit; insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Haec populos, haec magnos formula reges,
Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes, aeque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut silvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit;
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit: unus utrique
Error; sed variis illudit partibus: hoc te
Crede modo insanum; nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiae, nihilum metuenda timentis; ut ignes,
Ut rupes, fluviosque in campo obstare queratur.
Alterum, et huic varum, et nihilo sapientius, ignes
Per medios, fluviosque ruentis: clamet amica,
Mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor:
Hic fossa est ingens, hic rupes maxima, serva!
Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
Quum Ilionam edormit; Catienis mille ducentis,
Mater, te appello! clamantibus. Huic ego vulgus
Errori similem cunctum insanire docebo.

---

38) Al. *dextra stetit, et Cave faxis. Dexter* pro faustus et propitius. 39) Bentl. *urget* pro *angit.* 41) C. 1. *quid furere*, sine; *sit.* Al. *quid sit furor.* 43) Al. *quaecunque.* Cuning. *cujusque.* 44) Chrysippus, Solensis Cilix, qui porticum s. scholam Stoicorum inprimis fulcire putabatur. Al. *et porticus.* 46) Al. *qua re.* 48) Al. *Insani.* Velut in ignotis sylvis. 49) Al. *de certo tramite.* Palantes, s. vagantes, a castrensibus palis. 50) Al. *utrisque*, *utrimque.* 52) Al. *nihil ut.* 53) Sit stolidus et stultus, cujus tergo cauda animantis per derisionem appendatur. Al. *trahit* pro *contrahit.* 56) Bentl *varium.* 57) Al. *clamat amica Mater* sine interpunctione. 59) *Serva sc. te*, i. e. tibi cave. Al. *hinc rupes.* 60) Bentl. et Wiel. Fusius, actor tragicus, Hecubam agens (quae hic ab Hor. Iliona nominatur) cum somnum simulare deberet, serio dormivit vino obrutus. Al. *Sufius, Furius.* 61) Catienus histrio, qui in Iliona agere solitus personam Polydori haec verba magno clamore loquebatur: Mater, te appello. *Edormit* pro *edormiret.* 62) Wiel. *vulgum.* Al. *inclamantibus.* 63) Similem sc. errorem.

Insanit veteres statuas Damasippus emendo;
Integer est mentis Damasippi creditor? esto.
Accipe quod nunquam reddas mihi, si tibi dicam;
Tune insanus eris, si acceperis? an magis excors,
Rejecta praeda, quam praesens Mercurius fert?
Scribe decem a Nerio: non est satis; adde Cicutae
Nodosi tabulas centum; mille adde catenas:
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.
Quum rapies in jus malis ridentem alienis;
Fiet aper, modo avis, modo saxum, et, quum volet, arbor.
Si male rem gerere insani est; contra bene sani;
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perilli
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Audire atque togam jubeo componere, quisquis
Ambitione mala, aut argenti pallet amore;
Quisquis luxuria tristive superstitione,
Aut alio mentis morbo calet. Huc propius me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est ellebori multo pars maxima avaris:
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Heredes Staberi summam incidere sepulcro:
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arri,
Frumenti quantum metit Africa. *Sive ego prave,*

64) Al. *Damasippus emendo?* 65) Qui Damasippo lucri spe concredidit. 67) C. 1. *exors;* al. excor. 68) Praesens, i. e. propitius. 69) Scribe decem tabulas syngraphas tibi dictatas a Nerio, te ab ipso argentum mutuum accepisse; adde centum tabulas Cicutae nodosi, qui nodos ac laqueos verborum struere possit, ut valida fiat obligatio; adde mille catenas, cautiones et nexus juris. Hinc rescribere, nomen delere, debitum solvere, rependere atque per argentarii scripturam reddere. 70) Al. *centum tabulas.* Ex centum et mille cautionibus intelliguntur innumerabiles et infinitae. 72) C. 1. *rapies jura* pro *in jus.* Al. *Quum rapias in jus malis,* s. maxillis. 74) Al. *insani, contra bene sani est.* 75) Perillius et Cicuta videtur fuisse unus idemque foenerator. Cuning. *mi crede, Perelli.* Al. *Parelli.* 76) Rescribere est debitum solvere, h. e. scriptum debiti liberare. 77) Se ad audiendum parare. 79) Al. *tristive.* 80) Al. *calet, huc.* 81) Al. omnis, vos ordine adite. 84) Staberius fuit homo ditissimus et sordidissimus. 86) Bentl. *Arri et,* qui habebat duos filios prodigiosissimos.

Seu recte; hoc volui: ne sis patruus mihi. Credo
Hoc Staberi prudentem animum vidisse. Quid ergo
Sensit, quum summam patrimoni insculpere saxo
Heredes voluit? Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium; et cavit nihil acrius: ut, si
Forte minus locuples uno quadrante perisset,
Ipse videretur sibi nequior. Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus. Sapiensne? Etiam rex;
Et quidquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnae laudi fore. Quid simile isti
Graecus Aristippus, qui servos projicere aurum
In media jussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes? Uter est insanior horum?
Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Si quis emat citharas, emtas comportet in unum;
Nec studio citharae nec Musae deditus ulli:
Si scalpra, et formas non sutor; nautica vela
Aversus mercaturis: delirus, et amens
Undique dicatur merito. Qui discrepat istis.
Qui nummos, aurumque recondit, nescius uti
Compositis; metuensque velut contingere sacrum?
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste; neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum;
Ac potius foliis parcus vescatur amaris:
Si positis intus Chii, veterisque Falerni
Mille cadis; nihil est: tercentum millibus; acre
Potet acetum: age; si et stramentis incubet, unde-

88) Al. *volui hoc: neu sis* indagator et censor severus rerum mearum. 89) Lambin. *jussisse* pro *vidisse.* 90) Al. *inscalpere.* 91) Al. *quod ad vixit.* 92) Al. *nil acrius.* 93) Al. *periret.* 94) *Videretur* pro *visus esset.* 96) Wiel. *contraxerit.* 97) Al. *sapiensve, sapiensque.* 99) Al. *simile istis* pro isti sc. Staberio. 101) Cum in media Lybia iter faceret. 102) Propter auri pondus segnes. An Staberius, qui construit et congregat acervos nummorum, an vero Aristippus, qui illos projicit. 103) Al. *quod litem lite.* 105) Al. *Nec citharae studio.* 106) Si cultros sutorios, quibus corium raditur, et pedes ligneos, quibus utuntur Sutores ad calceos componendos. 108) C. 1. *isti.* Al. *Quid discrepet iste.* Undique, sc. ab omnibus. 112) Bentl. *projectus,* al. *prorectus.* Al. *nec illinc.* 115) Intus, in apotheca. 116) Cuning. *nil est.* 117) Stramenta dicuntur vilia quaeque, quae substernuntur dormientibus.

Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum, ac tinearum epulae, putrescat in arca:
Nimirum insanus paucis videatur; eo quod
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.
Filius, aut etiam haec libertus ut ebibat heres,
Dis inimice senex, custodis? Ne tibi desit?
Quantulum enim summae curtabit quisque dierum,
Unguere si caules oleo meliore, caputque
Coeperis impexa foedum porrigine? Quare,
Si quidvis satis est, perjuras, surripis, aufers
Undique? tun' sanus? Populum si caedere saxis
Incipias; servosque tuos, quos aere pararis;
Insanum te omnes pueri, clamentque puellae;
Quum laqueo uxorem interimis, matremque veneno,
Incolumi capite es? Quid enim? Neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro, ut demens, genitricem occidis, Orestes.
An tu reris eum occisa insanisse parente,
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris jugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin, ex quo habitus male tutae mentis Orestes,
Nil sane fecit, quod tu reprehendere possis:
Non Pyladen ferro violare, aususve sororem
Electram: tantum maledicit utrique; vocando
Hanc Furiam; hunc aliud, jussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus, et auri,
Qui Vejentanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus; ut heres
Jam circum loculos et claves laetus, ovansque
Curreret. Hunc medicus, multum celer, atque fidelis,
Excitat hoc pacto: mensam poni jubet, atque
Effundi saccos nummorum; accedere plures

118) Natus annos uno minus octoginta, i. e. 79. 125) Al. *si caules.* 126) Al. *prurigine.* Porrigo est morbus capitis, ubi inter pilos surgunt quaedam squamulae. 129) Bentl. et Wiel. *tuo.* Al. *servosque.* 132) Bentl. *Quidni? Neque enim hoc.* 133) Al. *occidit.* 137) Cuning. *tutae male mentis.* 138) Al. *reprendere.* 139) Bentl. *aususque sororem est.* 141) C. 1. *jussit qua.* Al. *quod jussit.* 143) Vinum rubellum pessimum et saporis ingrati. Vejentana civitas est in Campania. 148) Al. *mensam apponi.*

Ad numerandum: hominem sic erigit: addit et illud:
Ni tua custodis, avidus jam haec auferet heres.
Men' vivo? Ut vivas igitur, vigila: hoc age. *Quid vis?*
Deficient inopem venae te, ni cibus, atque
Ingens accedit stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.
Quanti emtae? Parvo. *Quanti ergo?* Octussibus. *Heu, heu!*
Quid refert, morbo, an furtis, pereamve rapinis?
Quisnam igitur sanus? Qui non stultus. Quid avarus?
Stultus et insanus. Quid, si quis non sit avarus;
Continuo sanus? Minime. Cur, Stoice? Dicam.
Non est cardiacus, Craterum dixisse putato,
Hic aeger. Recte est igitur, surgetque? Negabit;
Quod latus, aut renes morbo tententur acuto.
Non est perjurus, neque sordidus. Immolet aequis
Hic porcum Laribus. Verum ambitiosus, et audax.
Naviget Anticyram. Quid enim differt, barathroni
Dones quidquid habes; an nunquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusî duo praedia, dives
Antiquo censu, gnatis divisse duobus
Fertur; et haec moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum: *Postquam te talos, Aule, nucesque*
Ferre sinu laxo; donare, et ludere vidi:
Te, Tiberi, numerare; cavis abscondere tristem:
Extimui, ne vos ageret vesania discors;
Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.

150) Al. *Ad numerandum: aegrum sic erigit.* 151) Heinsius: *jam jam auferet.* 154) Bentl. *Praesens* — Wiel. *Instans accedat*; al. *accedes, accessit.* Markland: Ingesta accedit. 155) Muret. *Quid cessas?* Sume hanc ptisanam ex oryza coctam et confectam. 156) Bentl. *octo ossibus.* Al. *octo assibus. Eheu!* Al. *Quanti emptum. Octussibus* pro *octusse.* 157) Al. *Quid referet — pereamque, pereamne, peream anne rapinis?* 158) Non stultus, i. e. sapiens. Al. *Quis avarus?* 160) In C. 1. versus hic antepositus est v. 59. 161) Craterum medicum. 162) Al. *surgetne?* 163) Al. *latus et renes morbo tententur.* 164) Al. *sordidus, immolet.* 165) Cuning. *Hic porcam.* 166) Bentl. *balatrone*, fors decoctore, qui tua profundas, in barathrum conjicias. Naviget ancyram, i. e. purgetur helleboro, quia insanus est. Al. *baratroni, barathrone.* 168) Servius Oppidius, Canusinus, cujus filii erant Aulus et Tiberius. *Canusium* est oppidum in Apulia. 170) Bentl. *et hoc.* 172) Ferre sinu laxo est nullam curam gerere. Bentl. *et perdere vidi.* Al. *donare, effundere vidi. Sinu laxo* est abundanter. 175) Timui, ne tu Aule Nomentanum prodigum aut avarum foeneratorem sequere.

Quare, per Divos oratus uterque Penates;
Tu cave, ne minuas; tu, ne majus facias id,
Quod satis esse putat pater, et natura coërcet.
Praeterea ne vos titillet gloria, jure-
Jurando obstringam ambo: uter Aedilis, fueritve
Vestrum Praetor, is intestabilis, et sacer esto.
In cicere, atque faba, bona tu perdasque lupinis,
Latus ut in Circo spatiere, et aëneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu;
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem?
Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur?
Rex sum. Nil ultra quaero Plebejus. *Et aequam*
Rem imperito; ac si cui videor non justus, inulto
Dicere, quod sentit, permitto. Maxime regum,
Dî tibi dent capta classem deducere Troja.
Ergo consulere et mox respondere licebit?
Consule. Cur Ajax, heros ab Achille secundus,
Putrescit, toties servatis clarus Achivis,
Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato;
Per quem tot juvenes* patrio caruere sepulcro?
Mille ovium insanus morti dedit; inclytum Ulyssem
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.
Tu, quum pro vitula statuis dulcem Aulide gnatam
Ante aras; spargisque mola caput, improbe, salsa:
Rectum animi servas? Quorsum insanus quid enim Ajax
Fecit, quum stravit ferro pecus? abstinuit vim

177) Ne minuas prodigalitate. 178) Coercet, i. e. finibus suis circumscribit. 180) Al. *fuerit, vel.* 182) Aediles talia munera apud priscos in ludis floralibus populo dabant. 183) Plurimi: *aut aeneus*, Gl. ut aenea statua tibi erigatur. Bentl. *et aeneus ut stes.* Bodon. *aheneus.* Al. *et ut aeneus astes, adstes.* Al. *Laetus.* 185) M. Vipsanius Agrippa, ignobilis genere, bonus militia, victoriae Augusti socius, ab hoc magni aestimatus, et propter multa, quae ipsi praestiterat, officia gener assumtus. 186) Al. *ingenio — leonum.* 187) Ajax, Telamonis, qui Sulaminis insulae rex fuit, filius. Al. Atride, vetas? cur? 188) Bentl. *quaere.* 189) Al. *Rem imperito, at si; aut si.* 190) Al. *quid* vel *quae sentis.* 191) Al. *classem capta reducere, redducere* i. e. domum — Bentl. in Asiam. 194) Al. *putrescit.* 196) Tot Trojani insepulti canibus, feris et volucribus expositi jacuerunt? 197) Al. *Ulyxen, Ulyxem.* 199) Al. *natam.* 201) Al. *Quorsum insanis?* Rectitudinem animo, sanitatem et constantiam servas, et sanae mentis manes.

Uxore, et gnato; mala multa precatus Atridis;
Non ille aut Teucrum, aut ipsum violavit Ulyssem.
Verum ego, ut haerentes adverso littore naves
Eriperem: prudens placavi sanguine Divos.
Nempe tuo, furiose. *Meo; sed non furiosus.*
Qui species alias veri, scelerisque, tumultu
Permixtas, capiet; commotus habebitur; atque
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.
Ajax quum immeritos occidit, desipit, agnos:
Quum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo? et purum est vitio, tibi quum tumidum est cor?
Si quis lectica nitidam gestare amet agnam;
Huic vestem, ut gnatae, paret; ancillas paret, aurum;
Rufam aut Pusillam appellet; fortique marito
Destinet uxorem: interdicto huic omne adimat jus
Praetor; et ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si qui gnatam pro muta devovet agna,
Integer est animi? ne dixeris. Ergo ubi prava
Stultitia, hic summa est insania: qui sceleratus,
Et furiosus erit: quem cepit vitrea fama;
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc age, luxuriam, et Nomentanum arripe mecum:
Vincet enim stultos ratio insanire nepotes.
Hic simul accepit patrimoni mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tusci turba impia vici,

203) Al. *Atridi.* 204) C. 1. *Ulyxem,* ut semper. 205) Al. *litore.* 208) Qui species diversas a vero, opiniones turbatas et a cupiditatibus confusas. Bentl. *alias, veri.* Al. *alias veris.* 209) Furiosus habendus est. 211) C. 1. *immeritos dum.* Al. *dum* vel *cum imm., imm. cum.* 212) Al. *Tu prud. — cum admittis;* al. *committis.* 213) Al. *tumidum cor.* 215) Al. *ancillam.* 216) Bentl. *Rufam et Posillam*, Wiel. *Ruf. et Pusillam*, Wetzel: *R. et Rusillam.* Al. *Rufillam aut Pupam, Ruffam, aut Pupillam.* 217) Jus bona sua administrandi. 218) Transferatur procuratio. 219) Al. *Quod si qui natam.* 220) Al. *ubi parva.* 221) Al. *hic est summa insania: quis sceleratus.* 222) Al. *cepit quem.* 223) Bellona hunc attonitum reddidit. Ipsa est Dea belli, Martis soror, cujus sacerdotes festum ipsius celebrantes, furorem simulando, lacertos humerosque concidebant. 225) Al *Vincit.* 228) Lenones, cupediarii, et id genus hominum perditorum, voluptatum ministri, qui in vico Tusco habitabant.

Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum,
Mane domum veniant. Quid cum venere frequentes,
Verba facit leno. *Quidquid mihi, quidquid et horum*
Cuique domi est, id crede tuum; et vel nunc pete, vel cras.
Accipe, quid contra juvenis responderit aequus.
In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
Coenem ego; tu pisces hiberno ex aequore vellis:
Segnis ego, indignus qui tantum possideam: aufer:
Sume tibi decies: tibi tantundem; tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte vocata.
Filius Aesopi detractam ex aure Metellae,
Scilicet ut decies solidum exsorberet, aceto
Diluit insignem baccam: qui sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen, jaceretve cloacam?
Quincti progenies Arri, par nobile fratrum,
Nequitia, et nugis, pravorum et amore gemellum;
Luscinias soliti impenso prandere coëmptas.
Quorsum abeant? sanin' creta, an carbone notandi?
Aedificare casas, plostello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum; amentia verset.
Si puerilius his ratio esse evincet amare;
Nec quidquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus; an meretricis amore
Sollicitus plores: quaero, faciasne, quod olim

229) *Velabrum* locus erat Romae, in quo habitabant unguentarii aliique vilioris conditionis homines; *macellum* locus publicus obsoniis vendendis accommodatus. 230) Bentl. *Qui cum Venere.* Al. *quid enim, quid tum, quid tunc.* 233) Al. *quid contra hic* vel *haec* vel *hoc.* 234) Bentl. Wiel. Wetz. *Tu nive* etc. Tu, o venator. Markland: *duras ocreatus.* 235) Lambinus: *verris.* 237) Decies i. e. centum millia sestertium. 238) Al. *currat d. n. citata.* 239) *Metella* ceteroquin incognita est, licet Acron dicat: Caeciliae Meteliae Metelli filiae. 240) Al. *absorberet, obsorberet.* 241) Al. *qui insanior.* 242) Al. *in fluvium rapidum.* 244) Al. *Nequitie et nugis.* 245) Al. *impense, immenso* sc. pretio. 246) Al. *sanine creta, sanii creta, abeant sani? creta; sani an — notati.* Lünemann: *sani ut.* 249) Amentia cum agitet, pro insano habeatur. Al. *delectat — versat;* al. *vexet.* 250) Al. *Sed puerilius, Sic puerilius.* 251) Utrum tale nunc opus ludas, quale puer trium annorum ludebas. 252) C. 1. *laudas.* 253) Al. *faciesne.*

Mutatus Polemon? ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri?
Porrigis irato puero quum poma, recusat:
Sume, citelle: negat; si non des, optat. Amator
Exclusus qui distat, agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, et haeret
Invisis foribus? *Ne nunc, quum me vocat ultro,*
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit, revocat: redeam? Non, si obsecret. Ecce
Servus, non paulo sapientior: *O here, quae res*
Nec modum habet neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult. In amore haec sunt mala: bellum,
Pax rursum. Haec si quis tempestatis prope ritu
Mobilia, et caeca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione modoque.
Quid? quum Picenis excerpens semina pomis
Gaudes, si camaram percusti forte, penes te es?
Quid? quum balba feris annoso verba palato,
Aedificante casas qui sanior? Adde cruorem
Stultitiae, atque ignem gladio scrutare modo, inquam.
Hellade percussa, Marius quum praecipitat se,

254) Mutatus Polemon, oratione Xenocratis, cui postea in schola successit, Arcesiliae praeceptor, ex homine dissoluto factus philosophus frugalissimus. 255) C. 1. *Fasciolas, cubitale.* Fasciolae sunt ornamenta quaedam brachiorum, pedum, articulorum vel vittae. 256) Carpsisse flores, rosas, lilia etc., e quibus fiunt coronae. 257) Voce magistri, i. e. oratione Xenocratis sobrii et modesti, qui fuit Aristotelis auditor. Al. *correctus.* 258) Al. *recuset.* 259) Al. *Catelle,* quia *citelle* esset italicum *zitello.* Bentl. *neget — optet.* Al. *Sume citelle, cirelle, catille.* 260 Exclusus a Thaide. Totus hic locus desumitur ex Eunucho Terentii. Al. *quid distat ait ubi secum.* 161) Al. *non accersitus.* 262) C. 1. *Nec nunc, cum me vocet;* al. *ne nunc; nec non me cum.* 263) Al. *ac potius; et potius; aut potius med. fin. labores?* 268) Cuning. *haec si qui.* 270) Al. *nihilo magis.* 272) Grana pomorum ex agro Piceno Italiae praestantissima. Al. *Qui cum.* 273) Gaudes, tanquam felicis amoris omine. Penes te es s. esne mentis compos? 274) Lambinus: *seris.* 275) Adde cruorem, caedem, crudelitatem. 277) Hellade interfecta a Mario, cum ab eo sperneretur. Marius puellam amatam, a qua contemtus fuerat, occidit, et ipse deinde se praecipitavit.

Cerritus fuit? an commotae crimine mentis
Absolves hominem, et sceleris damnabis eundem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat; et, *Unum*,
(Quid tam magnum? addens,) *unum me surpite morti!*
Dîs etenim facile est, orabat: sanus utrisque
Auribus, atque oculis; mentem, nisi litigiosus,
Exciperet dominus, quum venderet. Hoc quoque vulgus
Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.
Jupiter, ingentes qui das adimisque dolores!
(Mater ait pueri menses jam quinque cubantis,)
Frigida si puerum quartana reliquerit; illo
Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi stabit. Casus medicusve levarit
Aegrum ex praecipiti; mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet.
Quone malo mentem concussa? timore Deorum.
Haec mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
Arma dedit; posthac ne compellarer inultus.
Dixerit insanum qui me, totidem audiet; atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.

HORATIUS.

Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris;
Qua me stultitia, (quoniam non est genus unum)
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.

---

278) *Cerritus*, s. Cereris furore vexatus, s. furiosus. 279) Al. *absolvens.* 281) Circum compita siccus s. jejunus. Augustus jusserat, in compitis Deos Penates constitui, ut studiosius colerentur. 282) Al. *Lotis.* 283) Al. *Quiddam*, vel *Quoddam magnum addens*, *Cui tam m.* 285) Al. *litigiosi.* 286) Dominus in vendendo mancipio vitia ejus tacere non debuit, nisi lites amaret. Al. *vulgi, vulgo.* 287) Menenius, homo superstitiosissimus et mente captus, vixit aetate Horatii. Al. *Chrysippi.* 288) Al. *qui dasque adimisque labores!* vel *qui das minuisque dolores!* 291) C. 1. *Magne die* (sc. magne Jupiter) *quando indicis.* 292) C. 1. *lavarit*; al. *medicusque levarat.* 294) C. 1. *febremque reducit.* 296) Horatius sub persona Damasippi Stertinium irridens, quasi magnam ob sapientiam laudem meruerit, octavum ei in sapientibus locum tribuit. 299) Discet sua peccata, quae pendent in mantica a tergo sibi ignoto. Al. *pendentia collo.* 300) Sic post merces amissas quaestuosam mercaturam facias. 301) Bentl. *Quam me stultitiam.*

DAMASIPPUS.

Quid? caput abscissum manibus quum portat Agave
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?

HORATIUS.

Stultum me fateor, (liceat concedere veris)
Atque etiam insanum: tantum hoc edissere, quo me
Aegrotare putes animi vitio.

DAMASIPPUS.

Accipe: primum
Aedificas; hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis; et idem
Corpore majorem rides Turbonis in armis
Spiritum, et incessum: qui ridiculus minus illo?
An quodcunque facit Maecenas, te quoque verum est,
Tanto dissimilem et tanto certare minorem?
Absentis ranae pullis vituli pede pressis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos eliserit. Illa rogare,
Quantane? num tandem, se inflans, sic magna fuisset?
Major dimidio. Num tanto? Quum magis, atque
Se magis inflaret; *Non, si te ruperis*, inquit,
Par eris. Haec a te non multum abludit imago.
Adde poëmata nunc, hoc est, oleum adde camino:
Quae si quis sanus facit; et sanus facies tu?
Non dico horrendam rabiem.

HORATIUS.

Jam desine.

DAMASIPPUS.

Cultum
Majorem censu.

---

303) Wiel. Wetz: *Caput abscissum demens cum portat Agave*, i. e. filia Cadmi. Al. *abscisum — portet.* 304) C. 1. *tunc.* 308) Longos i. e. opulentos et potentes viros. 310) Turbonis, gladiatoris homunculi, sed animosi pugna. 312) Aequum est te idem facere. Maecenas tunc in Esquiliis magnificas aedes et hortos amplos ornabat. 313) Bentl. *Tantum dissimilem.* 315) Al. *uti ingens.* 317) C. 1. *nunc tandem.* Al. *num tantum, sufflans se, magna. Tantum* idem est ac *solum, tantummodo.* 318) C. 1. *Num tanto? Cum.* Al. *Major pernimio.* 320) Abludit, discrepat. 322) Al. *fecit, sanus facis et tu?* vel *facit, et sanus facias tu?* 323) Al. *Non dicam.* 324) Tuis sc. vitiis, i. e. cura te ipsum vel res tuas; aut teneas te inter tuos et tui similes.

HORATIUS.

Teneas, Damasippe, tuis te.

DAMASIPPUS.

Mille puellarum, puerorum mille furores.

HORATIUS.

O major tandem parcas, insane, minori.

SATIRA IV.

Catii Epicurei philosophi fatuitatem irridet, qui summam hominis felicitatem in arte culinaria poneret.

HORATIUS.

Unde, et quo Catius?

CATIUS.

Non est mihi tempus aventi
Ponere signa novis praeceptis; qualia vincunt
Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona.

HORATIUS.

Peccatum fateor, quum te sic tempore laevo
Interpellarim: sed, des veniam bonus, oro.
Quod si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox;
Sive est naturae hoc, sive artis; mirus utroque.

CATIUS.

Quin id erat curae, quo pacto cuncta tenerem;
Utpote res tenues, tenui sermone peractas.

HORATIUS.

Ede hominis nomen: simul et, Romanus, an hospes.

CATIUS.

Ipsa memor praecepta canam; celabitur auctor.
Longa quibus facies ovis erit; illa memento

SATIRA IV. Al. *Leves Catilones Epicureae sectae deridet.* 1) Catius, Epicureus, hic solum est nomen fictum. Scripsit autem 4. libros de rerum natura et de summo bono, quod cum Epicurei in gulae et corporis libidine ponerent, contra Stoicos rogat Catium Hor., ut sibi dicat praecepta coenae parandae. 2) Al. *vincant*, al. *vincent.* Praeceptis nunquam a quoquam traditis nomina imponere, quae sunt rerum signa, quorum usum docet Mnemonica. 6) Al. *Quin si.* 7) Al. *munus utroque.* Memoria aut est naturalis aut artificiosa. 10) Al. *simul an.* 11) C. 1. *Ipse memor.* Al. *Ipse canam praecepta memor.* 12) Bene Hor. ab ovis, i. e. ab initio coenae, incipit.

Ut succi melioris et ut magis alba rotundis
Ponere: namque marem cohibent callosa vitellum.
Caule suburbano, qui siccis crevit in agris,
Dulcior: irriguo nihil est elutius horto.
Si vespertinus subito te oppresserit hospes;
Ne gallina malum responset dura palato,
Doctus eris vivam musto mersare Falerno:
Hoc teneram faciet. Pratensibus optima fungis
Natura est: aliis male creditur. Ille salubres
Aestates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quae legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella Falerno,
Mendose: quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet: leni praecordia mulso
Prolueris melius. Si dura morabitur alvus;
Mitulus, et viles pellent obstantia conchae;
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.
Lubrica nascentes implent conchylia lunae:
Sed non omne mare est generosae fertile testae.
Murice Bajano melior Lucrina peloris:
Ostrea Circaeis, Miseno oriuntur echini;
Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum.
Nec sibi coenarum quivis temere adroget artem,
Non prius exacta tenui ratione saporum.
Nec satis est cara pisces avertere mensa
Ignarum, quibus est jus aptius; et quibus assis
Languidus in cubitum jam se conviva reponet.

13) Bentl. *alma.* 14) Mensae apponere. Nam ova dura veluti callo obducta semen masculi, s. marem vitellum, continent. Rotunditas ovorum strictior callosa dicitur. 15) Al. *Cole — siccis quicrevit in arvis.* 16) Nihil est insipidius caule hortensi multis aquis irrigato. 18) C. 1. *respondet.* 19) Al. *misto, mixto.* Doctus eris, i. e. nosse debes. 22) C. 1. *peragit — nigris qui.* 27) Si venter sese non exoneret. 28) Al. *Mitilus, Mytilus, Mutulus, Mugilis, Petulus et dulces.* 29) Cos, insula maris Aegaei. 30) Luna accrescente conchylia implentur. Al. *complent.* Lubrica sunt lenia, quae deducunt et solvunt ventrem. 32) Peloris in sinu Lucrino capta, qui est vicinus Bajis. 33) Al. *Messano;* al. *Circeis* s. civitatis et promontorii ad lacus Pomptinos. Misenum est promontorium et urbs Campaniae. 34) Al. *se jactat.* 35) Al. *Ne sibi — arroget.* 36) Al. *Ni prius, Nec prius exausta.* 37) Wieland: *averrere.* Pisces averruntur, qui celeriter et cupide de mensa cetarii emuntur. 38) Al. *Ignaro.* 39) Crapula satiatus insurget iterum ad edendum, quasi ad novas delicias excitatus. Al. *se jam conviva reponit.*

Umber, et iligna nutritus glande, rotundas
Curvat aper lances carnem vitantis inertem:
Nam Laurens malus est, ulvis, et arundine pinguis.
Vinea submittit capreas non semper edules.
Fecundi leporis sapiens sectabitur armos.
Piscibus, atque avibus quae natura, et foret aetas,
Ante meum nulli patuit quaesita palatum.
Sunt, quorum ingenium nova tantum crustula promit.
Nec quemquam satis in re una consumere curam:
Ut si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret;
Quali perfundat pisces securus olivo.
Massica si coelo supponas vina sereno;
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura;
Et decedet odor nervis inimicus: at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet faece Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo,
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Tostis marcentem squillis recreabis, et Afra
Potorem cochlea; nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho: perna magis, ac magis hillis
Flagitat immorsus refici; quin omnia malit,
Quaecunque immundis fervent allata popinis.
Est operae pretium, duplicis pernoscere juris
Naturam: simplex e dulci constat olivo;
Quod pingui miscere mero, muriaque decebit;
Non alia, quam qua Byzantia putuit orca.

---

40) Aper in Umbria natus et captus. 41) C. 1. *inhertem.* Al. *Curvet.* 43) Vinea suppeditat et nutrit. Al. *submittat, summittit.* 44) Al. *foecundae.* 46) Al. *patuit nulli quaesita palato.* 48) Al. *una est*, vel *curam est.* Cuning. et Bodin. *Nequaquam satis est re una.* 49) Al. *solum haec.* 50) Securus, i. e. non curans. 51) Al. *suppones.* Wakefield: *Massica subpones coelo si vina sereno.* 53) Nocet enim nervis, si immatura sumantur. 54) Lineo sacculo percolata. 56) Limum s. faecem. 57) Quoniam in fundum decidit vitellus deducens aliena a natura vini, i. e. faeces. Al. *Quatinus ima petat.* 59) Al. *innatet* 60) Al. *ac magis illis.* 61) Al. *in morsus — mavult.* Bentl. *immorsis*; commanducatis. Al. *mavolt, malet.* 62) Wiel. *illata*; al. *adlata* 64) Simplex jus igitur constat olivo cum mero et muria commixto. 65) Bentl. *Quinquenni* pro *Quod pingui.* Al. *At pingui.* 66) Al. *quam quae* vel *qua B. putruit.* Putuit derivatur a *putescere.*

Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis,
Corycioque croco sparsum stetit; insuper addes
Pressa Venafranae quod bacca remisit olivae.
Picenis cedunt pomis Tiburtia succo:
Nam facie praestant. Venucula convenit ollis:
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
Hanc ego cum malis; ego faecem primus, et halec;
Primus et invenior piper album, cum sale nigro
Incretum, puris circumposuisse catillis.
Immane est vitium, dare millia terna macello;
Angustoque vagos pisces urgere catino.
Magna movet stomacho fastidia; seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit:
Sive gravis veteri craterae limus adhaesit.
Vilibus in scopis, in mappis, in scobe, quantus
Consistit sumtus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' lapides varios lutulenta radere palma,
Et Tyrias dare circum illota toralia vestes;
Oblitum, quanto curam, sumptumque minorem
Haec habeant; tanto reprehendi justius illis,
Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis?

HORATIUS.

Docte Cati, per amicitiam Divosque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocunque, memento.
Nam, quamvis memori referas mihi pectore cuncta;
Non tamen interpres tantundem juveris: adde
Vultum, habitumque hominis; quem tu vidisse beatus
Non magni pendis, quia contigit: at mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos,
Atque haurire queam vitae praecepta beatae.

---

69) Hic describitur *jus mixtum*: oleo enim, vino et muriae, quibus simplex jus constat, admiscentur herbae et crocus. 71) Uva venucula melius in ollis conditur. Al. *Venacula, venecula, venuncula, vernucula, vennuncula.* 72) Duraveris, servaveris. Al. *Albinam induraveris.* 73) Bodin. *alec.* 74) C. 1. *inveni.* 75) Incretum, in pulverem redactum, non permixtum puris, aut mundis, aut tersis aut nil aliud habentibus. 76) Tria millia sestertium insumere piscibus in macello venalibus. 78) C. 1. *movent.* 79) Bodin. *dum furta.* 80) Craterae, vasi. 81) Al. *in mattis.* 82) Al. *Consistat.* 83) Te ne decet, o Horati, pavimenta marmorea, versicolaria, scopa ex palma mundare? 84) C. 1. *inluta*, al. *illuta, inlota.* Et purpureas vestes substernere toralibus ignotis? 86) Al. *reprendi.* 87) Al. *nequeunt.* 90) Al. *referas memori.* 92) Al. *quae tu.* Habitumque i. e. gestum et pronunciationem. 93) Al. *ac mihi.*

SATIRA V.

Haereditatum captatores, quibus artibus uterentur, faceto Ulyssem inter et Tiresiam dialogo exponit.

ULYSSES.

Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata petenti
Responde: quibus amissas reparare queam res
Artibus, atque modis. Quid rides?

TIRESIAS.

Jamne doloso
Non satis est Ithacam revehi, patriosque penates
Adspicere?

ULYSSES.

O nulli quidquam mentite! vides ut
Nudus, inopsque domum redeam, te vate; neque illic
Aut apotheca procis intacta est, aut pecus: atqui
Et genus, et virtus, nisi cum re, vilior alga est.

TIRESIAS.

Quando pauperiem, missis ambagibus, horres;
Accipe, qua ratione queas ditescere. Turdus,
Sive aliud privum dabitur tibi; devolet illuc,
Res ubi magna nitet, domino sene: dulcia poma,
Et quoscunque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives:
Qui quamvis perjurus erit, sine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus; ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.

ULYSSES.

Utne tegam spurco Damae latus? haud ita Trojae
Me gessi, certans semper melioribus.

SATIRA V. Al. IN CAPTATORES ET HAEREDIPETAS. 1) C. 1. *Teresia.* 3) Heinsius: *dolose*, ut illi alteri v. 5. *mentite* respondeat. 4) Al. *Num satis est* — patriosve. 5) Al. *O quicquam nulli.* 6) Te vaticinante. Cuning. *redeo — nec illic.* 8) Nisi cum divitiis. Al. *alga sine est.* 9) Omissis multis verbis accipe, quomodo divitias compares. 11) Al. *aliquid primum*, sed inepte. 13) Ager bene aratus, a *fundendo* dictus, quod quotannis multa fundat. 14) Antequam fructuum primitias Laribus offeras. 16) Fugitivus, i. e. servus. Al. *non tamen illi.* 17) Tu comes inferior a parte sinistra incedens. 18) C. 1. *Troja.* Dama sumitur pro quovis servo. Al. *Visne tegam.*

TIRESIAS.

Ergo
Pauper eris.

ULYSSES.

Fortem hoc animum tolerare jubebo;
Et quondam majora tuli. Tu protinus, unde
Divitias, aerisque ruam, dic, augur, acervos.

TIRESIAS.

Dixi equidem, et dico: captes astutus ubique
Testamentum senum, neu, si vafer unus, et alter
Insidiatorem praeroso fugerit hamo;
Aut spem deponas, aut artem illusus omittas.
Magna, minorve foro si res certabitur olim;
Vivet uter locuples sine gnatis, improbus, ultro
Qui meliorem audax vocet in jus, illius esto
Defensor: fama civem, caussaque priorem
Sperne; domi si gnatus erit, fecundave conjux.
Quincte, puta, aut Publi (gaudent praenomine molles
Auriculae) *tibi me virtus tua fecit amicum:*
Jus anceps novi, causas defendere possum;
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemptum quassa nuce pauperet: haec mea cura est,
Ne quid tu perdas, neu sis jocus. Ire domum, atque
Pelliculam curare jube: fi cognitor ipse;
Persta, atque obdura, seu rubra Canicula findet
Infantes statuas; seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes.
Nonne vides, (aliquis, cubito stantem prope tangens,
Inquiet) *ut patiens! ut amicis aptus! ut acer!*

---

22) Al. *aerisque eruam.* 23) Al. *et dicam. Captes.* 24) C. 1. *ne, si vafer*, urbanus, astutus. 25) C. 1. *amo*, sed melius *hamo* sc. praegustato, i. e. a piscibus. 26) Al. *Haud spem.* 28) Al. *natis.* 29) Al. *in jus vocet.* 30) Al. *causa.* 31) Al. *foecundaque.* 32) Tiresias captatorem docet formulam senis aucupandi. 33) Molles auriculae sunt forsan, mobilitatis causa, auriculae asini. 36) Al. *cassa nuce.* 37) Al. *Ne sis jocus*, i. e. ne sis cuiquam ludibrio. 38) Bentl. *fi cognitor: ipse Persta atque obdura.* Al. *sis, fis;* al. *si cognitor ipse?* 39) Al. *Prosta, Presta, Insta.* 40) Sub verbo *infantes* alii mutas, quae fari non possunt, al. nuper factas, quasi nuper natas, intelligunt. 41) Furius Bibaculus poeta jambicus, qui cum brumam describeret, utebatur hoc versu: Juppiter hibernas cana, etc. Al. *Spurius. — conspuit.* 42) Al. *aliquem.*

Plures adnabunt thunni, et cetaria crescent.
Si cui praeterea validus male filius in re
Praeclara sublatus aletur; ne manifestum
Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem
Adrepe officiosus; ut et scribare secundus
Heres; et, si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias: perraro haec alea fallit.
Qui testamentum tradet tibi cunque legendum;
Abnuere, et tabulas a te removere memento:
Sic tamen ut limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu; solus, multisne coheres,
Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus
Scriba ex Quinqueviro corvum deludit hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.

ULYSSES.

Num furis? an prudens ludis me, obscura canendo?

TIRESIAS.

O Laërtiade, quidquid dicam, aut erit, aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.

ULYSSES.

Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.

TIRESIAS.

Tempore, quo juvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Aenea, tellure, marique
Magnus erit: forti nubet procera Corano
Filia Nasicae, metuentis reddere soldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit, atque

---

44) C. 1. *tynni.* Plures senes sine liberis accedent, qui tuae fidei causam suam committent. Al. *thinni, tinni, thynni. cetaria crescant.* Al. *annatabant.* 47) Al. *ludat* vel *ludet te lenius.* Caelebs pro orbo capitur. 48) Al. *et ut.* Al. *Arrepe.* 49) Cuning. *et, si qui.* Al. *arroget orco.* 50) Al. *fallet* vel *ludit.* 53) Prima cera, i. e. prima testamenti pagina. In primo versu nomen testatoris, in secundo haeredis nomen, in imo substitutionis scribebantur. Rapias, i. e. obliquis oculis raptim legas. 54) Al. *multisve.* 56) Lünemann, Bentl. Wiel. Wetz. *deludet*, sed inepte, utpote ad *plerumque* referenda, ut sit *quia plerumque*, quod praesens tempus requirit. Quinquevir fuit magistratus humillimus. 57) Coranus, scriba ex quinqueviro factus deludit captatorem testamenti. 59) C. 1. *Lertiude*, i. e. Ulysses, Laertae filius. Aut verum dicam, aut mentior. 60) Al. *mihi donat magnus.* 61) Al. *si licet, edam.* 66) Gener Coranus sc. Al. *Tunc* vel *Cum gener haec* vel *huic faciet.*

Ut legat, orabit. Multum Nasica negatas
Accipiet tandem, et tacitus leget; invenietque
Nil sibi legatum, praeter plorare, suisque.
Illud ad haec jubeo: mulier si forte dolosa,
Libertusve senem delirum temperet; illis
Accedas socius: laudes, lauderis ut absens.
Adjuvat hoc quoque; sed vincit longe, prius ipsum
Expugnare caput. Scribit mala carmina vecors?
Laudato; scortator erit? cave te roget: ultro
Penelopam facilis potiori trade.

ULYSSES.

Putasne,
Perduci poterit tam frugi, tamque pudica;
Quam nequiere proci recto depellere cursu?

TIRESIAS.

Venit enim, magnum donandi parca, juventus;
Nec tantum Veneris, quantum studiosa culinae.
Sic tibi Penelope frugi est: quae, si semel uno
De sene gustarit, tecum partita lucellum;
Ut canis, a corio numquam absterrebitur uncto.
Me sene, quod dicam, factum est. Anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata: cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit heres:
Scilicet, elabi si posset mortua; credo,
Quod nimium institerat viventi. Cautus adito;
Neu desis operae, neve immoderatus abundes:
Difficilem, et morosum offendet garrulus; ultra

---

67) C. 1. *Nassica.* Fugientis vel nolentis reddere universum debitum. Fors dotem cum filia intelligit. Al. *Nasica rogatas* 68) Al. *tandem, tacitus.* 70) Al. *Illud ad hoc* vel *adhuc.* Mulier dolosa est viri moribus non obtemperans. 71) Al. *Libertusne — istis.* 73) Adjuvat ad habendas divitias. Al. *vincet.* 74) Al. *scribet.* 75) Al. *caveas roget; cave non roget; cave ne roget; caveto roget.* 76) Wiel. Wetz. *Penelopen.* 77) Perducere, i. e. inductare ad stuprum vel adulterium. 78) Al. *nequivere.* 79) Bentl. *Venit enim indignum;* al. *v. e. magno.* 80) Al. *Veneri.* 82) Al. *gustaret.* 84) Al. *quid dicam.* 85) Elata, portata ad sepulchrum. Ea lege institutus est haeres, si corpus testatricis oleo copioso inunctum nudis humeris ad sepulchrum portaret, ut, si excideret cadaver lubricum, ipse haeres etiam haereditate excideret. 87) Al. *sic posset.* 88) Quia nimio officio eam vivam prosecutus fuerat. 89) Operae, i. e. officio tuo. Al. *Non* vel *Ne desis.* 90) Bentl. *offendes*, sed ex ingenio. Al. *ultro.*

Non etiam sileas. Davus sis comicus; atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.
Obsequio grassare: mone, si increpuit aura,
Cautus uti velet carum caput: extrahe turba
Oppositis humeris: aurem substringe loquaci.
Importunus amat laudari? donec, hoe! jam!
Ad coelum manibus sublatis, dixerit, urge; et
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
Quum te servitio longo, curaque levarit;
Et certum vigilans, *Quartae esto partis Ulysses,*
Audieris, *heres: Ergo nunc Dama sodalis*
Nusquam est? unde mihi tam fortem, tamque fidelem?
Sparge subinde; et, si paulum potes, illacrimare: est
Gaudia prodentem vultum celare. Sepulcrum
Permissum arbitrio sine sordibus exstrue: funus
Egregie factum laudet vicinia. Si quis
Forte coheredum senior male tussiet; huic tu
Dic, ex parte tua, seu fundi, sive domus sit
Emtor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
Imperiosa trahit Proserpina: vive, valeque.

SATIRA VI.

Otii, et vitae rusticae, prae curis urbanis, laudes.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, et tecto vicinus jugis aquae fons;
Et paulum silvae super his foret. Auctius, atque
Dì melius fecere: bene est: nil amplius oro,
Maja nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.

91) Indue personam Davi, timide cum domino suo loquentis. 93) Quovis genere obsequii divitem capta, eique insidiare. Al. *increbuit*, *increbruit*, *increverit*, *si crepuit.* 94) Al. *Catus uti.* 95) Aurem accommoda garrulo seni Al. *distringe.* 96) Donec dixerit, *ohe!* jam satis est. Al. *he ho.* Importunus pro Importune. 97) C. 1. *urge*, sine: *et.* 100) C. 1. *Quartae sit.* 101) Wiel. *haeres.* Al *ergo tunc.* 102) Al. *Nunquam.* 103) Al. *illacrymare* sine *est*, quod significat *licet.* 104) Al. *celato.* 105) Al. *Commissum arb.* 106) C. 1. *laudat.* 109) Dic te, malentem nummum quam fundum, addicere ei fundum pecunia.

SATIRA VI. Al. HORATII VOTUM. 3) Al. *Aptius atque.* 4) C. 1. *nihil amplius opto.* 5) Maja, Atlantis filia, Mercurii mater ex Jove.

Si neque majorem feci ratione mala rem,
Nec sum facturus vitio culpave minorem:
Si veneror stultus horum nihil; *O si angulus ille*
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
O si urnam argenti Fors qua mihi monstret, ut illi,
Thesauro invento, qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule! Si, quod adest, gratum juvat; hac prece te oro,
Pingue pecus domino facias, et cetera, praeter
Ingenium: utque soles, custos mihi maximus adsis.
Ergo ubi me in montes, et in arcem ex Urbe removi,
Quid prius illustrem Satiris, Musaque pedestri?
Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster,
Auctumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.
Matutine pater, seu Jane libentius audis,
Unde homines primos operum, vitaeque labores
Instituunt, (sic Dìs placitum,) tu carminis esto
Principium. Romae sponsorem me rapis. *Eja,*
Ne prior officio quisquam respondeat, urge.
Sive Aquilo radit terras; seu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
Postmodo, quod mi obsit, clare, certumque loquuto,
Luctandum in turba; et facienda injuria tardis.
Quid vis, insane? et quas res agis improbus? urget

7) Al. *Neu sum — culpaque.* 8) Si nihil horum a Diis precor, quae proxime dicam. Al. *heu si angulus.* 9) Al. *deformat.* 10) *Qua* sc. aliqua. Al. *fors quae.* 12) Dives factus favente Hercule, qui thesauris recludendis praeesse creditur. Al. *Ipsum illum.* 13) Al. *si quid adest.* 15) Al. *mihi custos.* 16) In montes sc. Sabinos. 18) Auster insalubris, efficiens corpora gravia et pigra. 19) Quam multi in autumno intereunt. Libitina est Dea funeribus praeposita. Al. *gravis mortis me quaestus.* 21) Aratur et seritur, ut tu sis auctor incipiendarum rerum. Al. *operum primos.* 22) Al. *si Dîs placitum est.* 23) Cum Romae sum, Jane, cogis me esse fidejussorem. 24) Al. *urges, urgue.* Respondeat, satisfaciat 25) Cuning. *terras radit.* 26) Seu bruma breviore ambitu diem contrahit. 27) Postea laborandum est mihi in turba, id clare et aperte locuto, quod mihi damnum afferat, *nimirum* scondendo. Al. *quod noceat clare — locuto*, vel *locutum.* 28) Wiel. Wetz. *turba facienda*, sine: *et.* 29) Bentl. *Quam rem vis;* al. *quidquid vis.* Bentl. et Wiel *agis? improbus urget Iratis precibus.* Heinsius vero: *iratus.* Al. (*Quid tibi vis, insane, et*) *quam rem agis?* Bodin. *quae agis rerum?*

Iratis precibus: *tu pulses omne, quod obstat,*
Ad Maecenatem memori si mente recurras.
Hoc juvat, et melli est; non mentiar: at simul atras
Ventum est Exquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa saliunt latus. Ante secundam
Roscius orabat, sibi adesses ad Puteal cras.
De re communi scribae magna, atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quincte, reverti.
Imprimat his, cura, Maecenas signa tabellis.
Dixeris, experiar: Si vis, potes, addit; et instat.
Septimus octavo propior jam fugerit annus,
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero; dumtaxat ad hoc, quem tollere rheda
Vellet, iter faciens; et cui concredere nugas
Hoc genus: hora quota est? Thrax est Gallina Syro par?
Matutina parum cautos jam frigora mordent?
Et, quae rimosa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus subjectior in diem, et horam
Invidiae: noster ludos spectaverit una,
Luserat in Campo; Fortunae filius! omnes.
Frigidus a Rostris manat per compita rumor;
Quicunque obvius est, me consulit: O bone, (nam te
Scire, Deos quoniam propius contingis, oportet)
Num quid de Dacis audisti? Nil equidem. Ut tu
Semper eris derisor! At omnes Di exagitent me,
Si quidquam. Quid? militibus promissa Triquetra
Praedia Caesar, an est Itala tellure daturus?

---

30) Tu pulses, i. e. licet tu pulses, s. quamvis ego pulsem. Al. *pulsas — obstet*. 32) Respondet Horatius, hoc, nempe in turba luctari et male audire, esse sibi voluptati instar mellis. Al. *non mentior: ac simul*. 35) Ut tu, Horati, sibi esses advocatus ad puteal, sc. ad locum, ubi praetor jus dicebat. Al. *Rosius*. 36) Hoc loco Hor. significat se decuriam habuisse. 37) Al. *Orabunt*. 39) Si dixeris, tentabo, an velit subscribere. 42) Al. *duntaxat ad haec*. 43) Al. *et cui est credere; cui concedere*. 44) Hujus generis. *Threx*, quem ignaviae causa Gallinam nominat, et Syrus, duo erant gladiatores. Al. *Trex*. 46) Al. *rimosam — aurem*; al. *disponuntur, deponentur*. 48) Bentl. *spectaverit — luserit*. Al. *Invidiae. — Noster* (sc. ego), dicunt omnes invidi, Fortunae filius, homo felicissimus, una cum Maecenate versatus est in theatro et in campo Martio. 50) Si quis rumor vanus vagatur. 51) Bentl. *me convenit*. 52) Al. *propior; quando propius*. 54) C. 1. *derisor ad omnes*. 55) Triquetra dicta est Sicilia a tribus promontoriis. 56) Al. *Caesarne est*.

Jurantem me scire nihil, mirantur; ut unum
Scilicet egregii mortalem, altique silenti.
Perditur haec inter misero lux, non sine votis:
O rus! quando ego te adspiciam? quandoque licebit,
Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitae jucunda oblivia vitae?
O quando faba, Pythagorae cognata, simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
O noctes coenaeque Deûm! quibus ipse, meique,
Ante larem proprium vescor; vernasque procaces
Pasco libatis dapibus: prout cuique libido est,
Siccat inaequales calices conviva, solutus
Legibus insanis; seu quis capit acria fortis
Pocula, seu modicis uvescit laetius. Ergo
Sermo oritur, non de villis, domibusve alienis;
Nec, male, necne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos
Pertinet, et nescire malum est, agitamus: utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati;
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos:
Et, quae sit natura boni; summumque quid ejus.
Cervius haec inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. Si quis nam laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes; sic incipit. Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo; veterem vetus hospes amicum:
Asper, et attentus quaesitis; ut tamen artum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque ille
Sepositi ciceris, nec longae invidit avenae:
Aridum et ore ferens acinum, semesaque lardi
Frusta dedit; cupiens varia fastidia coena

---

57) Bentl. *miratur*. C. 1. *et unum*. 60) C. 1. *ego aspiciam*, sine: *te*. 63) A faba Pythagoras abstinuit, quasi sibi cum ea cognatio aliqua esset, veritus, ne in fabam aliquam animus paternus immigrasset. 66) Al. *proprium fungor*. 67) Bentl. *dapibus, ut cuique libido est*. Al. *dapibus. Prout*. 69) Al. *quis cupit*. 70) Al. *tumescit*, *vivescit*, *humescit*. 72) C. 1. *necne nepos*, sed *Lepos* fuit saltator quidam insignis. 75) Usus s. utilitas an honestas. Al. *rectumve*. 76) Al. *quod ejus*. 77) C. 1. *uti vicinos*. Al. *Servius*, *Curvius*, *Gerrius — vicinos*. 78) Al. *Si qui nam*, num quid nam. *Arellius* fuit dives foenerator avarus. Ex re i. e. pro commodo, non sine causa. 82) Al. *intentus — arctum*; Asper, parcus et severus. 83) Al. *illi*. *Hospitiis* pro *hospitibus*. 84) Casus hic genetivus est Hellenismus. 85) Uvas desiccatas et suillam corrosam ac semesam.

Vincere tangentis male singula dente superbo:
Quum pater ipse domus palea porrectus in horna,
Esset ador, loliumque; dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc: Quid te juvat, inquit, amice,
Praerupti nemoris patientem vivere dorso?
Vis tu homines, urbemque feris praeponere silvis?
Carpe viam, mihi crede, comes: terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita; neque ulla est
Aut magno, aut parvo leti fuga. Quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus;
Vive memor, quam sis aevi brevis. Haec ubi dicta
Agrestem pepulere; domo levis exsilit: inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Moenia nocturni subrepere. Jamque tenebat
Nox medium Caeli spatium, quum ponit uterque
In locuplete domo vestigia; rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos;
Multaque de magna superessent fercula coena,
Quae procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo, ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem; veluti succinctus cursitat hospes;
Continuatque dapes: nec non verniliter ipsis
Fungitur officiis, praelibans omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutata sorte; bonisque
Rebus agit laetum convivam: quum subito ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave; magisque
Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
Personuit canibus. Tum rusticus: haud mihi vita
Est opus hac, ait; et valeas: me silva, cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.

---

89) Ederet ador, farris genus. 90) Al. *qui te iuvat.* 91) Patientem, obdurantem, contentum angustiis praesentibus. 92) Al. *Vin' tu.* 94) Al. *nec ulla est.* 95) Al. *Quo bene circa.* 97) Al. *hesterna catinis.* 98) Instar servi ad ministrandum expediti. 100) Subrepere, subire rependo. 103) Super lectos discubitorios splenderet. 108) Al. *vernaliter.* 109) Al. *praelambens, praelabens — quod adflat, quod offert.* 110) Al. *subat gaudens.* 111) Ob res jucundas. Al. *tunc subito.* 114) Cuning. *Exanimi trepidare, domus simul.* 115) Canibus epiroticis, a Molossa, civitate Epiri, ubi canes robusti gignuntur. 116) Al. *Est opus haec,* ait. 117) Esurientem sustentabit et sublevabit lolio aliisque vilibus leguminibus.

SATIRA VII.

Inducitur servus, pro libertate Saturnalium, heri vitia taxans, et carpens.

DAVUS.

Jamdudum ausculto; et cupiens tibi dicere servus
Pauca reformido.

HORATIUS.

Davusne?

DAVUS.

Ita, Davus, amicum
Mancipium domino, et frugi: quod sit satis, hoc est,
Ut vitale putes.

HORATIUS.

Age; libertate Decembri,
Quando ita majores voluerunt, utere: narra.

DAVUS.

Pars hominum vitiis gaudet constanter, et urget
Propositum: pars multa natat; modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Saepe notatus
Cum tribus anellis, modo laeva Priscus inani;
Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas;
Aedibus ex magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeste:
Jam moechus Romae, jam mallet doctus Athenis
Vivere; Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, postquam illi justa cheragra
Contudit articulos; qui pro se tolleret, atque
Mitteret in phimum talos, mercede diurna

SATIRA VII. Al. *Lepide se ipse carpit ex persona servi, et ostendit, liberum solum esse sapientem.* 3) Servus, inquam, tanta frugalitate praeditus, ut me meo merito judicare possis vitalem, i. e. meliore vita dignum, sc. libertate. 4) Bestius: *Ut tu id tale putes.* Cannegiet. *Ut vitare putes.* Al. *decembris.* 9) Priscus, homo plane inconstans. 10) Clavum aut latum aut angustum. 11) Al. *Aedibus et* vel *in magnis.* 13) Al. *Doctus,* philosophiae operam dans, philosophus sc. esse. 14) Vertumnus deus est annum vertens, ad omnes figuras et formas opportunus, unde multiformis et mutabilis apparet. Hinc, qui inconstantes sunt et mobili ingenio, dicuntur nati iratis vertumnis. 15) Wieland: *chiragra.* Volanerius fuit aleator. Al. *Volenarius — chiragra* vel *cyragra.* 17) Al. *in pyrgum.*

Conductum pavit: quanto constantior isdem
In vitiis; tanto levius miser; ac prior illo,
Qui jam contento, jam laxo fune laborat.

HORATIUS.

Non dices hodie, quorsum haec tam putida tendant,
Furcifer?

DAVUS.

Ad te inquam.

HORATIUS.

Quo pacto pessime?

DAVUS.

Laudas
Fortunam, et mores antiquae plebis; et idem,
Si quis ad illa Deus subito te agat, usque recuses:
Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse;
Aut quia non firmus rectum defendis, et haeres;
Nequidquam coeno cupiens evellere plantam.
Romae rus optas; absentem rusticus Urbem
Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus
Ad coenam, laudas securum olus; ac, velut usquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis, amasque;
Quod nusquam tibi sit potandum. Jusserit ad se
Maecenas serum sub lumina prima venire
Convivam; nemon' oleum fert ocius? ecquis
Audit? cum magno blateras clamore, fugisque.
Mulvius, et scurrae, tibi non referenda precati,
Discedunt. Etenim, fateor me, dixerit ille,
Duci ventre levem; nasum nidore supinor:

---

18) Al. *Inductum — idem.* 19) Al. *tanto melius miser; ac prior ille*, vel *acrior ille*, vel *illo, illo est.* 20) Qui modo ita contendit funem, ut periculum sit, ne rumpatur, modo nimis laxat, i. e. in omni vitiorum genere volutatur. Al. *Qui tam contento, quam laxo.* 21) Al. *Non dicis, Num dices, Non hodie dices — tendent.* 22) Al. *pessume?* laudes. 26) Al. *Aut quia tu infirmus.* 27) Al. *Nequaquam cupiens ceno convellere.* 29 — 35) Reprehendit servus dominum ob id ipsum, propter quod Aristippum Cynicus Diogenes. 30) Laudas victum domesticum. *Usquam* pro *semper* epulandum. 31) Al. *Victus eas.* 32) Al. *Jusserat.* 34) *Fert* pro *feret.* Al. *en quis, haec quis, et quis.* Haec sunt verba heri ad Maecenatem properantis. Coenaturi oleo ungebantur. 35) Al. *furisque.* 36) Al, *Milvius et scurrae*, parasiti, qui erant apud te coenaturi. Al. *Milinus.* 37) Ille, i. e. aliquis, vel Mulvius, nisi malis eundem Davum intelligere, qui se describit a v. 42. 38) Nasum habeo supinum ad svavem odorem obsonii percipiendum. Al. *supino.*

Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino.
Tu, quum sis quod ego, et fortassis nequior, ultro
Insectere, velut melior? verbisque decoris
Obvolvas vitium? Quid, si me stultior ipso
Quingentis emto drachmis deprehenderis? Aufer
Me vultu terrere; manum stomachumque teneto;
Dum, quae Crispini docuit me janitor, edo.
Te conjux aliena capit; meretricula Davum:
Peccat uter nostrum cruce dignius? Acris ubi me
Natura incendit, sub clara nuda lucerna
Quaecunque excepit turgentis verbera caudae;
Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum;
Dimittit neque famosum; neque sollicitum, ne
Ditior, aut formae melioris mejat eodem.
Tu, quum projectis insignibus, annulo equestri
Romanoque habitu, prodis ex judice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna;
Non es quod simulas? Metuens induceris, atque
Altercante libidinibus tremis ossa pavore.
Quid refert, uri, virgis ferroque necari
Auctoratus eas; an turpi clausus in arca,
Quo te demisit peccati conscia herilis,
Contractum genibus tangas caput? Estne marito
Matronae peccantis in ambo justa potestas?
In corruptorem vel justior. Illa tamen se
Non habitu, mutatve loco, peccatve superne;
Quum te formidet mulier, neque credat amanti.
Ibis sub furcam prudens; dominoque furenti

---

39) *Imbecillus* (libidini obnoxius), *iners, et, si vis, adde, popino.* Al. *Imbecillis, iners, et quid vis.* 40) Tu autem, Horati, non minus Maecenatis parasitum et scurram agis, quam ego tuum. 42) Al. *Obvolvis — stultior ipse; astutior ipso.* 43) Aufer, i. e. noli. Al. *deprenderis.* 44) Manum st. t., i. e. iram comprime. 45) Al. *Dum quod Crysippi — edam.* Crispinus fuit Stoicus sapientissimus. 47) Al. *dignior.* 48) Bodin. *incendit.* Al. *lacerna*, sub linea sc. veste tam tenui, ut meretrix quasi nuda videretur. 49) Al. *accepit.* 50) Aut super incubando me lasciva clunibus suis agitavit, tanquam equo insidens. 51) Al. *Dimittat — sollicitum me.* 54) Prodis ex Judice (ergo Hor. fuit in decuria judicum electorum) Dama turpis; i. e. servus vili vestitu. 56) Al. *educeris.* 58) Al. *virgis uri.* 59) Auctoratus se vendidit ludo gladiatorio. 60) Al. *dimisit, demittat.* 61) Al. *ut genibus.* 62) Al. *ambos.* 63) Al. *In corruptorem est vel justior?* 64) Al. *peccatque.* 65) Al. *non credit.*

Committes rem omnem, et vitam, et cum corpore famam.
Evasti? credo, metuens; doctusque cavebis.
Quaeres, quando iterum paveas iterumque perire
Possis. O toties servus! Quae bellua ruptis,
Quum semel effugit, reddit se prava catenis?
Non sum moechus, ais. Neque ego, hercule, fur, ubi vasa
Praetereo sapiens argentea. Tolle periclum;
Jam vaga prosiliet frenis natura remotis.
Tune mihi dominus: rerum imperiis, hominumque,
Tot, tantisque minor? quem ter vindicta, quaterque
Imposita haud umquam misera formidine privet?
Adde super, dictis quod non levius valeat: nam,
Sive vicarius est, qui servo paret, uti mos
Vester ait; seu conservus: tibi quid sum ego? nempe
Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser; atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? Sapiens: sibi qui imperiosus:
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent:
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis; et in se ipso totus: teres, atque rotundus;
Externi ne quid valeat per leve morari:
In quem manca ruit semper Fortuna. Potesne,
Ex his, ut proprium, quid noscere? Quinque talenta

---

67) Al. *Committis — vitam, cum* sine *et*. 68) Al. *Evasisti, credo, metues*; vel *metues, credo*. 69) Al. *Quaeris* vel *Dic mihi quando*. 71) Al. *se reddit* vel *reddet se*. *Cum semel effugerit*. 75) Periclum, i. e. metum poenae. 76) Vindicta, i. e. virga, qua praetor servum liberare possit, sc. qui animo es tam servili, ut et manumissus non abjicias animum servilem. 77) Al. *privat* pro *liberat*. 78) Al. *Adde supra dictis, quod non valeat levius*. 79) Al. *ut est mos*. 80) Al. *quod sum ego* vel *qui sum ego* vel *qui sim ego*. 83) Bentl. *signum* pro *lignum*. Traheris alia potestate, velut imagunculae, quae ex ligno factae certis nervis sua sponte moventur. Al. *Duceris in nervis alienis mobile signum*. 83) Al. *sibique*. 84) Al. *nec mors, nec vincula terrent*. 85) Fortis ad resistendum cupidinibus. Al. *contendere honores, contemnere honorem*. 86) *In se ipso totus* s. omnis, i. e. totus a se dependet, omnia in se uno habet posita, nil extra se. Teres atque rotundus, i. e. levis et minime scaber, adeo ut nihil vitii aut labis adhaerere ei possit extrinsecus. 87) Al. *Externi quid ne valeat per leve*. 89) Al. *proprium cognoscere*.

Poscit te mulier; vexat, foribusque repulsum
Perfundit gelida; rursus vocat: eripe turpi
Colla jugo. Liber, liber sum, dic age. Non quis:
Urget enim dominus mentem non lenis; et acres
Subjectat lasso stimulos, versatque negantem.
Vel quum Pansiaca torpes, insane, tabella;
Qui peccas minus atque ego, quum Fulvi Rutubaeque
Aut Placidiani contento poplite miror
Proelia, rubrica picta, aut carbone; velut si
Re vera pugnent, feriant, vitentque moventes
Arma viri? Nequam et cessator Davus; at ipse
Subtilis veterum judex, et callidus audis.
Nil ego, si ducor libo fumante; tibi ingens
Virtus atque animus coenis responsat opimis?
Obsequium ventris mihi perniciosius est cur?
Tergo plector enim. Qui tu impunitior, illa,
Quae parvo sumi nequeunt, obsonia captas?
Nempe inamarescunt epulae sine fine petitae;
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat strigili? qui praedia vendit,
Nil servile, gulae parens, habet? Adde, quod idem
Non horam tecum esse potes; non otia recte
Ponere: teque ipsum vitas fugitivus, et erras;
Jam vino quaerens, jam somno fallere curam:

---

91) Perfusum aqua gelida repellit a foribus. 92) Non potes dicere te esse liberum, qui servis libidini. Al. *Num quis*. 93) Al. *mentem dominus — et acris*. 94) Al. *Subnectit*. 95) Pausias, Sicyonius, pictor nobilis circa a. 370 ante Christum. Al. *qui pecces*. 96) Cum gladiatorum proelia contemplor picta in pariete. 97) Al. *Placidi iani, Placideiani, Placide iani, Placide hiani, Placideani, Pacidiani*. Placidianus fuit celebris gladiator. 99) Al. *vitent, feriantque* vel *feriant, vibrentque* vel *pugnent, feriantque*. 100) Dicor a te servus nequam et piger. Al. *Nequam, cessator* sine *et*. 101) Audis s. diceris. 102) Si libi vel placentae vapore delector, me hominem nullius pretii dicis esse. Al. *libo ductor*. 103) Tu sapiens et magnanimus haberis, si coenas opiparas contemnis. Hoc est ironia. Nam herus suus tam imbecillus et nullius virtutis fuit, ut coenas opimas contemnere non potuit. Al. *responset*. 105) Al. *quid tu*. 106) Al. *nequeunt, cum obsonia*. 107) Al. *immarcescunt*. 108) Al. *Illisi* pro Illusi, qui, cum stare se posse credunt et volunt, vacillant. 109) Al. *sub curam qui*. 110) Al. *Furtivam mutat strigilem*. 112) Non es sanus. 113) Al. *et erro* vel *ut erro*. 114) Al. *curas*.

Frustra: nam comes atra premit, sequiturque fugacem.

HORATIUS.

Unde mihi lapidem?

DAVUS.

Quorsum est opus?

HORATIUS.

Unde sagittas?

DAVUS.

Aut insanit homo, aut versus facit.

HORATIUS.

Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

SATIRA VIII.

Nasidieni coenam magno in luxu minime lautam, cui Fundanius amicus suus interfuerat, lepide describit, ac deridet.

HORATIUS.

Nasidieni quî juvit te coena beati?
Nam mihi quaerenti convivam, dictus here illic
De medio potare die.

FUNDANIUS.

Sic, ut mihi numquam
In vita fuerit melius.

HORATIUS.

Da, si grave non est,
Quae prima iratum ventrem placaverit esca.

FUNDANIUS.

In primis Lucanus aper leni fuit Austro
Captus, ut ajebat coenae pater: acria circum

---

115) Al. *iam comes*. 116) Al. *lapides*. Unde sumam sagittas? 118) Accedes nonus ad octo servos operarios, quos misi in agrum Sabinum. Al. *agro nova*.

SATIRA VIII. C. 1. *Ad Fundanium*. Al. *In Nasidienum Rufum convivatorem vapide garrulum*. 1) Nasidienus Rufus ridetur ob convivium, quo Maecenatem exceperat. Al. *Ut Nasidieni iuvet te c. b.* 2) Bentl. *convivam quaerenti*. Al. *dictus heri illuc*. 3) Al. *nusquam*. 4) Al. *melius fuerit. Dic*. 6) In Lucania captus. 7) Al. *Coctus*, sed inepte. Coenae *pater* pro *auctor*.

Rapula, lactucae, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum; siser, halec, faecula Coa.
His ubi sublatis puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit; et alter
Sublegit quodcunque jaceret inutile, quodque
Posset coenantes offendere: ut Attica virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes,
Caecuba vina ferens; Alcon, Chium, maris expers.
Hic herus: Albanum, Maecenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat; habemus utrumque.

HORATIUS.

Divitias miseras! Sed queis coenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.

FUNDANIUS.

Summus ego, et prope me Viscus Thurinus, et infra,
Si memini, Varius; cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Maecenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipum, Porcius infra;
Ridiculus totas simul obsorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,
Indice monstraret digito: nam cetera turba,
Nos, inquam, coenamus aves, conchylia, pisces,
Longe dissimilem noto celantia succum:
Ut vel continuo patuit, quum passeris, atque

---

8) Al. *lapsum* vel *fessum*. 9) Al. *Propellent, Propellunt, Provellent — hallec, alec, allec*. Pervellunt, s. cum quadam delectatione pungunt, suscitant. Faecula Coa est condimentum profluens ex crassiori sedimento vini Coi. 10) Al. *His ut*. 14) Hydaspes servus Indus. Al. *praecedit*. 15) Alcon, alter servus, vinum ferens Chium, non ex Chio insula advectum, sed in Italia factum. Al. *Alchon*. 17) Al. *appositum — delectant*. 18) Bentl. Divitias miseras, quod nactae fuerint dominum fatuum, indignum, qui eas possideret. 19) C. Fundanius, scriptor comoediarum, Ciceronis amicus, Varronis socer. 20) *Viscus Thur.*, conviva Nasidieni. Al. *Viscas Thurrinus, Turranus, Turinus*, poeta de Thurio. 21) *Servilius Balatro*, quem Maecenas secum adduxerat ad convivium Nasidieni. 22) *Umbras* appellat convivas a convivatore non invitatos. Vibidius fuit scurra et commensalis Maecenatis. Al. *quos*. 23) Ipsum sc. Nasidienum. Porcius Nasidieni parasitus. 24) Al. *semel exsorbere*. 25) Nomentanus hic sumitur pro quovis prodigo in epulis dandis. Al. *Ad haec*. 28) Intra se continentia succum meliorem succo noto s. usitato. 29) Al. *passeris, assi et*. Passer est piscis marinus.

Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.
Post hoc me docuit, melimela rubere, minorem
Ad lunam delecta: quid hoc intersit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius Balatroni:
Nos, nisi damnose bibimus, moriemur inulti;
Et calices poscit majores: vertere pallor
Tum parochi faciem; nil sic metuentis, ut acres
Potores: vel, quod maledicunt liberius; vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque, secutis omnibus: imi
Convivae lecti nihilum nocuere lagenis.
Affertur squillas inter muraena natantes
In patina porrecta. Sub hoc herus, *Haec gravida,* inquit,
Capta est; deterior post partum carne futura.
His mixtum jus est: oleo, quod prima Venafri
Pressit cella; garo de succis piscis Iberi;
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur; (cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud) pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam.
Erucas virides, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere; illotos Curtillus echinos,
Ut melius, muria, quam testa marina remittit.
Interea suspensa graves aulaea ruinas

30) Al. *porrexerit,* Wiel. *porrexit* fors errore impressoris. 31) Al. *Post haec.* Melimela sunt suavissima mala. 32) Crescente luna. 34) Damnose, i. e. large cum damno convivatoris; moriemur necati istius loquacitate. Al. *moriamur.* 35) Al. *poscunt, poscit meliores.* 37) Al. *maledicant.* 39) Allifani, aliphani calices majoris formae fabricati apud Samnitas, in Aliphe, oppido Samnii. Al. *Allphianis, Aliphanis,* i. e. calicibus et poculis majoribus. 40) Al. *sequutis omnibus imis.* 41) Convivae in medio aut summo lecto discumbentes, i. e. honoratiores ut Maecenas, Viscus, Turinus, Varius etc. modeste biberunt. 44) Deterior futura, si capta esset, postquam peperisset. 45) Venafrum, Campaniae oppidum, oleis nobile. 46) Al. *de sucis, de fucis, — Iberi.* 47) Dum coquitur vinum, admisce Italum; cum autem coctum est, Chium optime huic convenit. 50) Methymna, urbs Lesbi. Al. *mutaverat.* 52) Curtillus, unus ex hoc genere Epicureorum, docuit incoquere echinos non maceratos, i. e. non muriam ex eis factam, sed echinos integros. Al. *inlotos, illotos, inlutos — Catillus, Cotillus, Curcillus.* 53) Al. *quam — remittet, quo — remittat, quod — remisit.* 54) Al. *suspansa.*

In patinam fecere, trahentia pulveris atri,
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos majus veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur. Rufus, posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere. Quis esset
Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret: Heu, Fortuna! quis est crudelior in nos
Te Deus! ut semper gaudes illudere rebus
Humanis! Varius mappa compescere risum
Vix poterat. Balatro, suspendens omnia naso,
Haec est conditio vivendi, ajebat, *eoque*
Responsura tuo nunquam est par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum? ne panis adustus,
Ne male conditum jus apponatur? ut omnes
Praecincti recte pueri comtique ministrent?
Adde hos praeterea casus, aulaea ruant si,
Ut modo; si patinam pede lapsus frangat agaso.
Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adversae nudare solent; celare secundae.
Nasidienus ad haec: *Tibi Di, quaecunque preceris,*
Commoda dent: ita vir bonus es, convivaque comis.
Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres,
Stridere secreta divisos aure susurros.

HORATIUS.

Nullos his mallem ludos spectasse: sed illa
Redde, age, quae deinceps risisti.

FUNDANIUS.

Vibidius dum
Quaerit de pueris; num sit quoque fracta lagena;
Quod sibi poscenti non dentur pocula; dumque

55) Tantum pulv. atri. Al. *In patinas, In mensam.* 56) In agris sc. Campaniae. 57) Al. *nil esse.* 58) Erigimur, i. e. liberamur a metu. Rufus Nasidienus. Al. *Ruffus, Rustus.* 59) *Esset* pro *fuisset.* 61) Tolleret, moestum solaretur, pro *sustulisset.* 64) Suspendens naso, deridens. 68) Al. *obstrictum, destrictum* 71) Al. *ruunt.* 72) Al. *lapsus pede.* Agaso proprie est servus, qui jumenta curat. Hic autem Hor. satirice escarum ministrum agasonem appellavit, quem vulgo dicunt insertorem. 73) *Agaso,* quo Hor. quasi praetereundo notat sordes hominis, qui agasonem faciat servum in mensa ministrantem. 75) Al. *precaris.* Nasidienus Balatroni respondens ad haec. 77) Soleas veterum more deposuerat, antequam accumberet. Al. *quemque, quosque, quodque* videres. 79) Al. *ludos mallem.* 82) Al. *non dantur.*

Ridetur fictis rerum, Balatrone secundo;
Nasidiene, redis mutatae frontis, ut arte
Emendaturus fortunam: deinde sequuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo, non sine farre;
Pinguibus et ficis pastum jecur anseris albi;
Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
Quam si cum lumbis quis edit. Tum pectore adusto
Vidimus et merulas poni, et sine clune palumbes;
Suaves res, si non causas narraret earum, et
Naturas Dominus: quem nos sic fugimus ulti,
Ut nihil omnino gustaremus, velut illis
Canidia afflasset, pejor serpentibus Afris.

---

83) Secundo s. applaudente. Al. *ab Balathrone.* 86) Mazonomus est genus lancis, in qua portantur escae, veluti grande salare. Al. *discreta.* 88) Al. *pasti — albae; anseris albae.* 89) Al. *leporum vulsos*, sc. a reliquo corpore separatos. 90) Al. *edat.* 91) Al. *palumbos, columbas.* 94) Al. *veluti si, veluti illis.* 95) Bentl. *atris.* Serpentes ubique locorum sunt quidem atri; ast hic venenum Canidiae comparatur Afris serpentibus, utpote qui propter calorem regionis, et aquae inopiam saevissime nocent, s. sunt venenatissimae.

Q. HORATII FLACCI
EPISTOLARUM
LIBER PRIMUS.

EPISTOLA I.
AD CAJUM CILNIUM MAECENATEM.

Omissa re ludicra, totum se tradit Philosophiae perdiscendae, quae frenare cupiditates, et omnia virtuti posthabere docet.

Prima dicte mihi, summa dicende Camena,
Spectatum satis, et donatum jam rude, quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo?
Non eadem est aetas, non mens. Vejanius, armis
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro;
Ne populum extrema toties exoret arena.
Est mihi purgatam crebro qui personet aurem:
Solve senescentem mature sanus equum; ne
Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat.
Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono:
Quid verum atque decens, curo, et rogo, et omnis in hoc sum:

EPISTOLA I. 2) Satis a populo cognitum. Donatum, quem aetas a scribendi munere liberavit. Rudis virga est, qua gladiatores donati a gladiatura cessabant. 3) Al. *antiquo iterum me reddere ludo?* 4) C. 4. *Vejanius*, gladiator eximius, armis Herculi dedicatis, et in ejus templo posti affixis. Al. *Non eadem aetas est; non aetas eadem, non mens.* 5) C. 6. *fixus.* Al. *ad postes — latet additus.* 6) Ne a pari suo victus, et jam jam enecandus, a populo in theatro sedente supplex salutem petat. Al. *exornet.* 7) Purgatam s. docilem et attentam. 9) C. 1. *externam.* 11) Al. *Quod verum.*

Condo, et compono, quae mox depromere possim.
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.
Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis;
Virtutis verae custos rigidusque satelles:
Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor;
Et mihi res, non me rebus, subjungere conor.
Ut nox longa, quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus; ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum;
Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora, quae spem
Consiliumque morantur agendi gnaviter id, quod
Aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque;
Aeque neglectum pueris, senibusque nocebit.
Restat, ut his ego me ipse regam solerque elementis:
Non possis oculos quantum contendere Lynceus;
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi:
Nec, quia desperes invicti membra Glyconis;
Nodosa corpus nolis prohibere cheragra.
Est quoddam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritia, miseroque cupidine pectus?
Sunt verba, et voces, quibus hunc lenire dolorem
Possis; et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes? sunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.

---

12) C. 6. *possum.* Al. *Cudo et compono — possum.* 13) Quo duce, quo philosopho auctore, et qua familia philosophica me tutum praestem. C. 5, 6. *At, Ast ne.* 14) C. 6. *in verba jurarem.* Al. *adductus.* 16) Nunc agilis, i. e. practicus aliquando fio, ut Peripateticus. Al. *versor.* 17) Aliquando fio Stoicus, summum bonum in virtute ponens. Al. *custos verua.* 18) A Cyreneo Aristippo, qui omne bonum in voluptate posuit, Cyrenaica manavit disciplina. Al. *Aristippi.* 19) C. 4. *submittere.* Al. *Nunc mihi res.* 20) Al. *Lenta.* 21) C. 1. *Lenta.* 24) C. 1. *naviter.* C. 5. *concilium.* Al. *morentur.* 26) C. 5. *Etque.* 27) C. 5. caret voce: *ipse.* C. 6. *solerque tebentis,* Gl. elementis. 28) Veteres: *oculos, oculis.* 29) C. 1. *contempnas lyppus.* Al. *inungui.* 30) C. 4. *desperas.* Al. *Et quia, Non quia, Neu quia desperas — Milonis,* sed hoc ex glossa. 31) C. 1. *chyragra,* C. 4. *chiragra.* 32) C. 1. *Est quondam;* C. 5. 6. *quodam;* al. *quondam.* 33) C. 4. *miseraque.* Cuning. *fervit — miseraque.* 34) C. 5. *Sunt verbaque et voces.* Al. *laborem.* 35) Al. *morbi magnam depellere.* 36) Sunt sacrificia vel medicamenta purgantia, i. e. philosophica praecepta.

Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator;
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit:
Si modo culturae patientem commodet aurem.
Virtus est, vitium fugere; et sapientia prima,
Stultitia caruisse. Vides, quae maxima credis
Esse mala, exiguum censum, turpemque repulsam;
Quanto devites animi, capitisque labore.
Impiger extremos curris mercator ad Indos;
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes:
Ne cures ea, quae stulte miraris, et optas,
Discere, et audire, et meliori credere non vis?
Quis circum pagos, et circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
Cui sit conditio dulcis sine pulvere palmae?
Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.
O cives, cives, quaerenda pecunia primum est,
Virtus post nummos. Haec Janus summus ab imo
Prodocet; haec recinunt juvenes dictata, senesque,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.
Est animus tibi, sunt mores, est lingua, fidesque;
Si quadringentis sex septem millia desint:
Plebs eris. At pueri ludentes, *Rex eris,* ajunt,
Si recte facies. Hic murus aëneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum est

---

38) C. 6. *viciosus am.* 39) C. 5. *qui non.* 40) C. 5. *accommodat,* C. 6. *praebeat aurem.* Al. accommodet. 41) Al. *Est virtus.* 43) C. 1. *laborem* pro *repulsam.* 44) C. 1. *captasque.* C. 5. *capitisque dolore.* Al. *animo — capitisque periclo.* 45) C. 5. *per ignem.* 47) C. 6. *currit.* Al. *Nec cures, Non cures.* 48) Al. *et audere.* 49) Quis homo fortis in vilioribus certaminibus pugnabit, et contemnat coronari in ludis olympicis? 50) C. 5. *contemnet.* 52) C. 5. *Vil. est arg.* Al. *Vil. est auro arg.* 53) Al. *prima est, primum* sine *est.* 54) Omnes foeneratores, qui habitabant in foro Romano, ubi templum est Jani, haec publice docent. Al. *hoc Janus* 56) C. 4. *Laevo suspensit oculos (?) tabulasque lacerto.* Gl. Habentes loculos suspensos ad foenus reponendum. 57) C. 5. *tabulasque.* C. 1. *et lingua.* Est animus etc. dicunt alii avari. Al. est *lingua fidesque.* 58) C. 1, 6. *desunt.* In eodem Cod. et 5, 6. versus 58: Si quadr. praecedit v. 57: Est animus etc. In C. 4. vers. 58 deest. Al. *Sed.* Gl. Si sex aut septem millia desunt ad censum equestrem. 59) Al. *Et* vel *Ut pueri.* 60) Murus aheneus s. magna fiducia. 62) C. 4, 5. *puerorum* sine: *est.* Al. *Rosia.*

Naenia, quae regnum recte facientibus offert,
Et maribus Curiis, et decantata Camillis?
Isne tibi melius suadet, qui, rem facias, rem,
Si possis, recte; si non, quocunque modo rem;
Ut propius spectes lacrimosa poëmata Pupi:
An qui, Fortunae te responsare superbae
Liberum, et erectum, praesens hortatur, et aptat?
Quod si me populus Romanus forte roget, cur
Non, ut porticibus, sic judiciis fruar isdem,
Nec sequar, et fugiam, quae diligit ipse, vel odit:
Olim quod vulpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: *Quia me vestigia terrent*
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum,
Bellua multorum es capitum. Nam quid sequar? aut quem?
Pars hominum gestit conducere publica: sunt, qui
Crustis, et pomis viduas venentur avaras;
Excipiantque senes, quos in vivaria mittant:
Multis occulto crescit res foenore. Verum,
Esto, aliis alios rebus, studiisque teneri:
Iidem eadem possunt horam durare probantes?
Nullus in orbe sinus Bajis praelucet amoenis,
Si dixit dives; lacus, et mare sentit amorem
Festinantis heri; cui si vitiosa libido
Fecerit auspicium, cras ferramenta Teanum

63) C. 1. *Nenia.* Al. *recte regnum.* 64) C. 5. *Ne curiis maribus.* 65) Al. *qui ut rem.* 66) C. 5. *seu non.* 67) Ut inter equites Romanos sedeas in theatro. Al. *Puppi,* qui poeta tragicus motus spectantium ita excitavit, ut eos flere compelleret. 68) Responsare, i. e. obsistere. Al. *respondere.* 69) C. 4. *ereptum.* C. 1. *optat.* C. 6. *et rectum.* 70) C. 5. *rogaret* sine *cur.* Al. *At si Romanus populus me.* 71) Al. fruor. 72) Al. *ac fug., aut fug.* 76) Al. *est,* Gl. non tantum bellua es, ut ille leo, periculosa, sed multorum capitum, quam quis sequi, ne si velit quidem, possit. C. 5. *capitum es.* Al. *sequar, aut quae.* 77) Conducere publica populi vectigalia. 78) Crustis et pomis, i. e. donis nullius pretii. C. 4. *Frustris — venantur.* Al. *Frustis aut pomis.* 79) Quos in vivaria mittant, quos tandem devorent velut pisces aut feras in vivariis detentos. C. 5. *mittunt.* Al. *Excipiuntque.* 80) Occulto i. e. illicito. Al. *fenore.* 81) C. 6. *Esto alios aliis.* 82) Al. *possint.* 83) Al. *praecedet.* 85) C. 1. *eri* pro *heri* eo festinantis ad aedificandum. Markland. *ventosa libido,* ex ingenio. 86) C. 1. *te anum* pro Teanum, Sidicinum (hodie Teano), Campaniae oppidum, haud procul Calibus, distinguendum a Teano Apuliae oppido. Al. *Fecerat.*

Tolletis, fabri. Lectus genialis in aula est?
Nil ait esse prius, melius nil caelibe vita:
Si non est, jurat, bene solis esse maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?
Quid pauper? ride: mutat coenacula, lectos,
Balnea, tonsores; conducto navigio aeque
Nauseat, ac locuples, quem ducit priva triremis.
Si curatus inaequali tonsore capillos
Occurro; rides: si forte subucula pexae
Trita subest tunicae, vel si toga dissidet impar;
Rides: quid? mea quum pugnat sententia secum;
Quod petiit, spernit; repetit quod nuper omisit;
Aestuat, et vitae disconvenit ordine toto;
Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis?
Insanire putas solennia me, neque rides;
Nec medici credis, nec curatoris egere
A praetore dati; rerum tutela mearum
Quum sis, et prave sectum stomacheris ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici?
Ad summam, sapiens uno minor est Jove; dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum;
Praecipue sanus, nisi quum pituita molesta est.

87) Tolletis, transportabitis. Al. Lectus genialis in aula est? i. e. uxorem habet? 90) C. 6. *vultum.* Al. *ten. nodo — vultus.* 91) Al: *rides.* Cuning. *viden' ut mutat.* 93) C. 5. *Naus. ut locuples, ducit quem.* 94) Al. *curtatus.* Gl. Si occurri capillos curtatos habens a tonsore, qui inaequaliter tondet, rides. Revocavit vero Bentl. *curatus,* i. e. tonsus, sectus. Non enim ridiculum erat, curto capillo incedere, quod erat severiorum hominum, sed sola inaequalitas, cum tonsoris imperitia vel incuria crinis hinc quam inde promissior esset, risu excipiebatur. 95) Al. *Occurri.* 96) C. 6. *dissipet.* 97) C. 5. *Rides. Sed quid m. c. pugnet sent. mecum.* 98) Repetit, eligit. 99) C. 6. *et toto d o vitae?* C. 5. *ordine tanto?* 101) Solemnia, i. e. solemniter, more omnium hominum. 104) Al. *stomacharis.* 105) Bentl. *suspicientis,* i. e. colentis, admirantis. Zach. Pearce legit hunc versum ut v. 97, per interrogationem. Conf. Seebode Bibl. cr. 1820. II. 4, 561). 108) Hor. Stoicos irridet, qui dicunt sapientem esse sanum, etiamsi aegrotet.

EPISTOLA II.

AD LOLLIUM.

Homerum Philosophis anteponit; sapientiamque mature excolendam esse monet.

Trojani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romae, Praeneste relegi;
Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius ac melius Chrysippo, et Crantore dicit.
Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.
Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia barbariae lento collisa duello,
Stultorum regum et populorum continet aestus.
Antenor censet belli praecidere causam.
Quid Paris? ut salvus regnet, vivatque beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat, et inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, scelere, atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur, et extra.
Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem:
Qui domitor Trojae, multorum providus urbes,
Et mores hominum inspexit; latumque per aequor,

EPISTOLA II. 2) Dum tu de virtute, tanquam orator, exercitii causa disputas. 3) C. 5. *quod non.* 4) C. 1, 4. 5. *Plenius ac — Cantore* C. 6. *Plen. — et Crantore.* 5) C. 4. *destinet.* Al. *ni quid te distinet, destinat.* 6) Al. *qua propter Paridis.* 7) C. 6. *lecto.* Al. *barbarico lente.* 8) C. 4. 6. *aestum.* C. 6. *sustinet.* 9) Belli praecidere causam, i. e. Helenam Graecis reddere. Al. *belli censet.* 10) C. 5. *ut regnet salvus.* Al. *Quod Paris.* 11) Cogi posse ad reddendam Helenam. Zach. Pearce ait: negat se posse cogi, ut belli praecidat causam. Al. *ut regnet salvus* vel *solus regnet.* 12) C. 4, 5. *Atridem.* 13) C. 1. *Nunc Amor.* Z. Pearce: *Illum amor.* Pelidem enim vult, non Atridem, quem ultimum nominaverat. 14) C. 4. *discordant reges, plectuntur,* Gl. nocet stultitia civibus. 15) Al. *dolis, caede atque lib.* 16) C. 4. *peccantur.* Gl. Intra a Trojanis, extra a Graecis. Al. *inter muros, muros intra.* 17) Al. *Rursum.* 19) C. 5. *Troiae et mult.*

Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit; adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces, et Circae pocula nosti;
Quae si cum sociis stultus, cupidusque bibisset;
Sub domina meretrice fuisset turpis, et excors;
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.
Nos numerus sumus, et fruges consumere nati,
Sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus aequo operata juventus;
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et
Ad strepitum citharae cessatum ducere curam.
Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones:
Ut te ipsum serves, non expergisceris? atqui
Si nolis sanus, curres hydropicus: et, ni
Posces ante diem librum cum lumine; si non
Intendes animum studiis, et rebus honestis;
Invidia, vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quae laedunt oculum, festinas demere; si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui coepit, habet: sapere aude;
Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus exspectat, dum defluat amnis; at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis aevum.
Quaeritur argentum, puerisque beata creandis
Uxor, et incultae pacantur vomere silvae:
Quod satis est, cui contingit, nil amplius optet.

---

21) C. 5. *tum soc.* C. 6. *aspera bella*, manus secunda scripsit: *aspp. multa.* 22) C. 4, 5, 6. *rerum et inmersabilis.* 23) C. 4. *Circes pocula novit.* C. 5. *Circena carmina nosti.* 25) Markland: *et exsors.* 26) C. 5. *Vixisses.* 27) Nos turba sumus sine virtute, numerum explentes. 28) C. 4. *Sponsi Penelopes*, proci luxuriosi. C. 6. *et nebulone.* 30) C. 5. *diesque.* 31) Bentl. *cessantem d. somnum.* Gl. cessatum, i. e. cessaturum, abjicere curas. C. 5. *coenatum d. c.* Scaliger: *cessatam ducere curam.* Al. *ducere somnum.* 32) Al. *hominem, surgent; vigilant de nocte.* 33) Al. *Ut serves te ipsum — atquin.* 34) Bentl. et C. 5. 6. *nolis s., cures* sc. expergisci. Gl. vero curres ad medicum. Hydropicus, vitiosus. Al. *nole.* 35) Al. *Poscas, Poscis — si ne.* 36) C. 4. *honestum.* Al. *Intendas.* 37) Al. *Cur nam?* 38) C. 4, 5, 6. *oculos — si quod.* 39) Si quid consumit et corrumpit animum. 40) Al. *Dim., qui coepit, habet facti.* 41) C. 1, 6. *Incipe! vivendi qui recte proroget horam.* 42) Rustice, vel tanquam rusticus, volens flumen transire, exspectat. C. 5. *dum festinat.* Al. *defluit.* 45) C. 5. *sulce* pro *silvae.* Al. *placantur,* inepte. 46) C. 5. *optat.* Al. *cui contigit, hic nihil.*

EPISTOLA II.

AD LOLLIUM.

Homerum Philosophis anteponit; sapientiamque mature excolendam esse monet.

Trojani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romae, Praeneste relegi;
Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Planius ac melius Chrysippo, et Crantore dicit.
Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.
Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
Graecia barbariae lento collisa duello,
Stultorum regum et populorum continet aestus.
Antenor censet belli praecidere causam.
Quid Paris? ut salvus regnet, vivatque beatus,
Cogi posse negat. Nestor componere lites
Inter Peliden festinat, et inter Atriden:
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, scelere, atque libidine et ira
Iliacos intra muros peccatur, et extra.
Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem:
Qui domitor Trojae, multorum providus urbes,
Et mores hominum inspexit; latumque per aequor,

EPISTOLA II. 2) Dum tu de virtute, tanquam orator, exercitii causa disputas. 3) C. 5. *quod non.* 4) C. 1, 4, 5. *Plenius* ac — *Cantore* C. 6. *Plen. — et Crantore.* 5) C. 4. *destinet.* Al. *ni quid te distinet, destinat.* 6) Al. *quae propter Paridis.* 7) C. 6. *lecto.* Al. *barbarico lente.* 8) C. 4. 6. *aestum.* C. 6. *sustinet.* 9) Belli praecidere causam, i. e. Helenam Graecis reddere. Al. *belli censet.* 10) C. 5. *ut regnet salvus.* Al. *Quod Paris.* 11) Cogi posse ad reddendam Helenam. Zach. Pearce ait: negat se posse cogi, ut belli praecidat causam. Al. *ut regnet salvus* vel *solus regnet.* 12) C. 4, 5. *Atridem.* 13) C. 1. *Nunc Amor.* Z. Pearce: *Illum amor.* Pelidem enim vult, non Atridem, quem ultimum nominaverat. 14) C. 4. *discordant reges, plectuntur,* Gl. nocet stultitia civibus. 15) Al. *dolis, caede atque lib.* 16) C. 4. *peccantur.* Gl. Intra a Trojanis, extra a Graecis. Al. *inter muros, muros intra.* 17) Al. *Rursum.* 19) C. 5. *Troiae et mult.*

Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
Pertulit; adversis rerum immersabilis undis.
Sirenum voces, et Circae pocula nosti;
Quae si cum sociis stultus, cupidusque bibisset;
Sub domina meretrice fuisset turpis, et excors;
Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.
Nos numerus sumus, et fruges consumere nati,
Sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus aequo operata juventus;
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, et
Ad strepitum citharae cessatum ducere curam.
Ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones:
Ut te ipsum serves, non expergisceris? atqui
Si nolis sanus, curres hydropicus: et, ni
Posces ante diem librum cum lumine; si non
Intendes animum studiis, et rebus honestis;
Invidia, vel amore vigil torquebere. Nam cur,
Quae laedunt oculum, festinas demere; si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum?
Dimidium facti, qui coepit, habet: sapere aude;
Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam,
Rusticus exspectat, dum defluat amnis; at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis aevum.
Quaeritur argentum, puerisque beata creandis
Uxor, et incultae pacantur vomere silvae:
Quod satis est, cui contingit, nil amplius optet.

21) C. 5. *tum soc.* C. 6. *aspera bella*, manus secunda scripsit: *aspp. multa.* 22) C. 4, 5, 6. *rerum et inmersabilis.* 23) C. 4. *Circes pocula novit.* C. 5. *Circena carmina nosti.* 25) Markland: *et exsors.* 26) C. 5. *Vixisses.* 27) Nos turba sumus sine virtute, numerum explentes. 28) C. 4. *Sponsi Penelopes*, proci luxuriosi. C. 6. *et nebulone.* 30) C. 6. *diesque.* 31) Bentl. *cessantem d. somnum.* Gl. cessatum, i. e. cessaturum, abjicere curas. C. 5. *coenatum d. c.* Scaliger: *cessatam ducere curam.* Al. *ducere somnum.* 32) Al. *hominem, surgent; vigilant de nocte.* 33) Al. *Ut serves te ipsum — atquin.* 34) Bentl. et C. 5. 6. *nolis s., cures* sc. expergisci. Gl. vero curres ad medicum. Hydropicus, vitiosus. Al. *nole.* 35) Al. *Poscas, Poscis — si ne.* 36) C. 4. *honestum.* Al. *Intendas.* 37) Al. *Cur nam?* 38) C. 4, 5, 6. *oculos — si quod.* 39) Si quid consumit et corrumpit animum. 40) Al. *Dim., qui coepit, habet facti.* 41) C. 1, 6. *Incipe! vivendi qui recte proroget horam.* 42) Rustice, vel tanquam rusticus, volens flumen transire, exspectat. C. 5. *dum festinat.* Al. *defluit.* 45) C. 5. *sulce* pro *silvae.* Al. *placantur,* inepte. 46) C. 5. *optat.* Al. *cui contigit, hic nihil.*

Non domus, et fundus, non aeris acervus, et auri
Aegroto domini deduxit corpore febres,
Non animo curas. Valeat possessor oportet,
Si comportatis rebus bene cogitat uti.
Qui cupit ac metuit; juvat illum sic domus, et res;
Ut lippum pictae tabulae, fomenta podagram,
Auriculas citharae collecta sorde dolentes.
Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.
Sperne voluptates; nocet emta dolore voluptas.
Semper avarus eget: certum voto pete finem.
Invidus alterius macrescit rebus opimis:
Invidia Siculi non invenere tyranni
Majus tormentum. Qui non moderabitur irae,
Infectum volet esse, dolor quod suaserit, et mens,
Dum poenas odio per vim festinat inulto.
Ira furor brevis est: animum rege; qui, nisi paret,
Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.
Fingit equum tenera docilem cervice magister
Ire, viam qua monstret eques. Venaticus, ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silvis catulus. Nunc adbibe puro
Pectore verba puer; nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu. Quod si cessas, aut strenuus anteis;
Nec tardum opperior, nec praecedentibus insto.

---

48) C. 4. *domini deducunt — febrem.* 50) Al. *Si comparatis.* 51) C. 1, 3 Al. *et, aut metuit.* C. 6. *iuvant.* Al. *aut res.* 52) Al. *tomenta podagrum.* 54) C 5, 6. *Sinc. nisi sine est.* C. 6. *infundet* Al. *Vas nisi sincerum est — acescet.* 57) C. 5. *rebus marcescit.* 58) C. 5. *Invidia sceleri n. i. tyrannis.* 59) C. 6. *Tormentum maius — iram.* 60) *Volet.* Gl. multa parantur stimulante ira. C. 5. *dolor et suaserit exmens.* 61) Inulto, Gl. insatiabili. 62) Animum, Gl. impetum Furor iram minuit paulisper. C. 5. *I. f. br. est,* reliqua desunt. 63) C. 4, 5. *catenis.* Al. *Impera et hunc.* 64) Fingit, format. Al. *docilem tenera* 65) Al. *quam.* Venaticus catulus. C. 5. *quo.* C. 5, 6. *monstrat.* 66) C. 4. *pellere* pro *pellem.* Al. *laceravit.* 67) Al. *imbibe, combibe.* 68) Puer, dum puer es. Cuning. *te nunc.* 70) C. 4. *strenuus annis.* 71) Nec te exspecto, qui me persequi non potes, nec conor eos antevertere, qui me praecedunt. Al. *operiar.*

EPISTOLA III.

AD JULIUM FLORUM.

De Tiberio, deque litteratis quibusdam comitibus eum interrogat; deinde ad studium sapientiae, et ad fraternam concordiam hortatur.

Juli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius Augusti privignus, scire laboro.
Thracane vos, Hebrusque nivali compede vinctus;
An freta vicinas inter currentia turres;
An pingues Asiae campi, collesque morantur?
Quid studiosa cohors operum struit? hoc quoque curo.
Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
Bella quis, et paces longum diffundit in aevum?
Quid Titius, Romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus, et rivos ausus apertos?
Ut valet? ut meminit nostri? fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet, auspice Musa?
An tragica desaevit, et ampullatur in arte?
Quid mihi Celsus agit, monitus multumque monendus,
Privatas ut quaerat opes, et tangere vitet
Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo:

EPISTOLA III. 1) C. 4. *aurum* pro *oris.* Al. *militat.* 2) Augusti sc. Caesaris. Claudius sc. Nero. C. 6. *scisse.* 3) Niv. compede i. e glacie. Hebrus est fluvius Thraciae. 4) Al. *urbes* sc. munitas; al. *terras* 5) C. 5. *morentur.* 6) Al. *operum instruit? haec quoque.* 7) Al. *sumat.* 8) C. 4. *quis fundit.* Al. *diffudit, diffundat.* 9) C. 4, 6. *Quis Titius.* C. 1. *Quid Ennius.* Gl. Titius poeta, qui brevi ob sua scripta celebrabitur. 12) Num studet Latinis versibus lyricis Pindaricos versus modulari? 13) C. 1. *aspice Musa?* Thebanos modos Pindari Thebani. 14) Al. *in arce?* 15) Al *Celsus agat? mon., multumque movendus.* 16) Ut suam inventionem, non alienam quaerat. 17) Apollinis templo adjunctam bibliothecam Augustus exstruxerat in monte Palatino.

Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas; moveat cornicula risum,
Furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes?
Quae circumvolitas agilis thyma? non tibi parvum
Ingenium, non incultum est, nec turpiter hirtum.
Seu linguam caussis acuis, seu civica jura
Respondere paras, seu condis amabile carmen;
Prima feres ederae victricis praemia. Quod si
Frigida curarum fomenta relinquere posses;
Quo te coelestis sapientia duceret, ires.
Hoc opus, hoc studium parvi properemus, et ampli;
Si patriae volumus, si nobis vivere cari.
Debes hoc etiam rescribere; si tibi curae,
Quantae conveniat, Munatius: an male sarta
Gratia nequidquam coit, et rescinditur? At vos
Seu calidus sanguis, seu rerum inscitia vexat,
Indomita cervice feros; ubicunque locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere foedus;
Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

---

18) Monet eum, ne libros Sibyllinos legat. Al. *venerit hospes.* 19) Grex s. cohors poetarum. C. 5. *risus.* 22) Al. *nec* vel *ac turpiter.* 23) C. 4. *Seu linguas c. a., ceu civ. i.* C. 5. *Seu causis acuis linguam, seu civica bella,* Gl. iura. 26) Curarum nutrimenta sc. divitias, ambitionem et similia, quae, ut frigus, gravant et tardant festinantem. Gl. vero oratoriam et juris scientiam dicit *frigida.* 29) C. 5. *Si p. cupimus.* 30) C. 4, 5. *sit tibi,* i. e. an sit tibi. Bentl. Wetz. *si tibi curae est.* Gl. An Munatius frater tuus sit tibi tantae curae, quantae conveniat, necne? 31) C. 4. *Numantius.* Al. *Quam te conveniat, Quam tecum veniat, Numatius, Numacius, Numantius, Nummatius, Minatius.* 32) C. 1. *Ac vos.* C. 5. *Aut vos.* Al. *et res scinditur, ac rescinditur?* 33) C. 1, 4, 5, 6. *Heu c. s. heu r. i. versat.* 34) Bodin. *feros. Ubicunque.*

EPISTOLA IV.

AD ALBIUM TIBULLUM.

Ad laborem honestum, moxque ad voluptatem eum hortatur.

Albi, nostrorum sermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere, quod Cassî Parmensis opuscula vincat?
An tacitum silvas inter reptare salubres,
Curantem quidquid dignum sapiente bonoque est?
Non tu corpus eras sine pectore: Di tibi formam,
Di tibi divitias dederunt, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Qui sapere, et fari possit, quae sentiat; et cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde;
Et mundus victus, non deficiente crumena?
Inter spem, curamque, timores inter, et iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Grata superveniet, quae non sperabitur, hora.
Me pinguem, et nitidum, bene curata cute, vises,
Quum ridere voles Epicuri de grege porcum.

EPISTOLA IV. C. 1. *Ad Albium Tibullum Elegiarum Scriptorem.* 1) Satirarum nostrarum candide judex. 3) An dicam te scribere etc.? Al. *Cassî Partensis.* 4) C. 4, 5. *Aut tacitum.* Reptare, Gl. versare, et sylvas appellavit philosophorum libros. 5) C. 4. *bonoque* sine: *est.* Al. *bonumque.* 7) C. 1. *dederant,* C. 6. *dedere.* Al. *dederint.* 8) C. 5. *Quid veniat.* Al. *Quid foveat dulci* matricula. 9) Al. *Quam sapere et fari possit, quae sentiat, et ei;* al. *utque* pro *et cui.* Al. *Quin sapere—quid sentiat.* 10) C. 6. *valitudo contingit.* 11) C. 1. *crumina.* Al. *Et modus, et victus.* Bentl. *Et domus, et victus.* 12) Al. *iram.* 13) C. 4, 6. *deluxisse, dilusisse.* 14) C. 6. *quae sper.* sine *non.* 15) C. 6. *cute vises* a manu secunda in litura adpositum fuit. Al. *ac nitidum.* 16) Al. *parcum.*

EPISTOLA V.

AD TORQUATUM.

Ad coenam frugalem invitat, et hilaritatem; ebrietatis commoda recensens.

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis,
Nec modica coenare times olus omne patella;
Supremo te sole domi, Torquate, manebo.
Vina bibes, iterum Tauro diffusa palustres
Inter Minturnas, Sinuessanumque Petrinum:
Jamdudum splendet focus, et tibi munda supellex.
Sin melius quid habes, arcesse; vel imperium fer.
Mitte leves spes, et certamina divitiarum,
Et caussam Moschi. Cras, nato Caesare, festus
Dat veniam, somnumque dies: impune licebit
Aestivam sermone benigno tendere noctem.
Quo mihi fortunae, si non conceditur uti?
Parcus ob heredis curam, nimiumque severus,
Adsidet insano: potare et spargere flores
Incipiam; patiarque vel inconsultus haberi.
Quid non ebrietas designat? operta recludit;

EPISTOLA V. 1) Al. *Archaicis.* C. 4. *recondere.* Si potes lectis ligneis et parum elegantibus, antiquo more fabricatis. 2) C. 1. *holus.* 3) Manebo, Gl. exspectabo. C. 6. *tocate*, sed notatum a manu secunda. 4) Bibes vina e torculari in cados fusa, Statilio Tauro iterum consule. 5) C. 4. *Micturnas.* C. 6. *Sinuesanum Petrinumque.* 6) C. 4, 5, 6. *Si.* Versus 7. v. 6. saepe postponitur. Gl. Jube tecum afferri ad me, vel sine me regem esse convivii, et tibi imperare. C. 6. *accerse* pro *arcesse.* Al. *quod habes.* 7) Al. *Si melius.* 8) C. 6. *lenes.* 9) Moschus, rhetor Pergamenus, quem veneficii reum cum multis oratoribus etiam Torquatus defendit. C. 5. *causas.* 10) C. 6. *suppremum* pro *somnumque.* 11) C. 4. *extendere.* 12) C. 1, 4, 5, 6. *fortuna*; al. *fortunam*, *fortuna est*, *fortunas.* 14) Sedet proximus insano, eique similis est. Al. *portare.* 15) Inconsultus, stultus. 16) C. 1. *dissignat.* Al. *resignat.*

Spes jubet esse ratas, ad proelia trudit inertem;
Sollicitis animis onus eximit; addocet artes:
Fecundi calices quem non fecere disertum?
Contracta quem non in paupertate solutum?
Haec ego procurare et idoneus imperor, et non
Invitus: ne turpe toral, ne sordida mappa
Corruget nares: ne non et cantharus, et lanx
Ostendat tibi te; ne fidos inter amicos
Sit, qui dicta foras eliminet; ut coëat par
Jungaturque pari. Butram tibi, Septiciumque;
Et, nisi coena prior, potiorque puella Sabinum
Detinet, adsumam. Locus est et pluribus umbris:
Sed nimis arta premunt olidae convivia caprae.
Tu, quotus esse velis, rescribe; et rebus omissis,
Atria servantem postico falle clientem.

---

17) Bodin. *in proelia.* C. 6. *inermem.* 18) C. 6. *honus.* 20) Solutum sc. a curis. 21) A ratione jubeor, tanquam idoneus ad hanc procurationem, ne etc. C. 6. *egoque*, sed *que* a manu secunda. C. 5. *imperare.* 22) C. 5. *non turpe.* 23) C. 4, 6. *nec non*, Gl. nisi. Hic versus codici 4 serius ad marginem insertus fuit. C. 4. *luns.* 24) C. 6. *ostendat*, Gl. *ostendet.* Al. Ostendant. 25) Al. *foris eliminat.* 26) Bentl. *Butram Septiciumque.* C. 6. *Brutam tibi Sepicium*, pro quo manus eadem correxit *Septimiumque.* Al. *Bitram*, *Butrum*, *Brutram*, vulgatius *Brutum.* 27) Al. *At nisi*, *Et ni.* 28) C. 4. *est pluralibus umbris*, convivis non invitatis. Al. *ad summam*, *ad summum.* 29) Foetor ab axillis. Al. *Sed minus.*

EPISTOLA VI.

AD NUMICIUM.

Eum esse beatum docet, qui nihil optet, nihil metuat; ac in sola virtute felicitatem positam ostendit.

Nil admirari, prope res est una, Numici,
Solaque, quae possit facere et servare beatum.
Hunc solem, et stellas, et decedentia certis
Tempora momentis, sunt, qui formidine nulla
Imbuti spectent. Quid censes munera terrae?
Quid maris extremos Arabas ditantis, et Indos?
Ludicra quid, plausus, et amici dona Quiritis?
Quo spectanda modo, quo sensu credis, et ore?
Qui timet his adversa, fere miratur eodem,
Quo cupiens, pacto: pavor est utrobique molestus:
Improvisa simul species exterret utrumque.
Gaudeat, an doleat; cupiat, metuatne; quid ad rem,
Si, quidquid vidit melius, pejusve sua spe,
Defixis oculis, animoque, et corpore torpet?
Insani nomen sapiens ferat, aequus iniqui,
Ultra, quam satis est, virtutem si petat ipsam.
I nunc; argentum, et marmor vetus, aeraque, et artes
Suspice; cum gemmis Tyrios mirare colores:
Gaude, quod spectant oculi te mille loquentem:
Gnavus mane Forum, et vespertinus pete tectum;

EPISTOLA VI. C. 1. *Ad Numicum.* 3) C. 4, 6. *descendentia certis.* Al. *Nunc solem — decidentia.* 6) C. 6. *Arabes.* 8) Al. *spectata.* 9) C. 4. *mutatur eodem.* Qui timet pauperiem, contemptum, sibilos, ignominiam et quae his bonis adversantur. Al. *fere is miratur.* 10) Al. *utrique, in utroque.* 11) Al. *exercet utrumque*, sed inepte. 12) C. 1. *metuat nequid ad rem.* Al. metuatve, vel *metuat, cupiatne.* 13) C. 5. *Quidquid si.* C. 6. caret voce *quidquid.* 15) Al. *Insani sapiens nomen feret.* 16) C. 4. *Ultra quod.* C. 5. *petit.* 17) Al. *argentum marmor vetus, aeraque* i. e. vasa aerea antiqui artificii. 18) C. 5. *Suscipe.* 19) Al. *spectent.* 20) C. 4, 5. *forum, vespertinus* sine: *et.* C. 1. *Navus* pro *Gnavus.*

Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
Mutus; et, indignum, quod sit pejoribus ortus,
Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi.
Quidquid sub terra est, in apricum proferet aetas;
Defodiet, condetque nitentia. Quum bene notum
Porticus Agrippae, et via te conspexerit Appi,
Ire tamen restat, Numa quo devenit, et Ancus.
Si latus aut renes morbo tentantur acuto,
Quaere fugam morbi. Vis recte vivere? quis non?
Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis
Hoc age deliciis. Virtutem verba putas, et
Lucum ligna? Cave ne portus occupet alter;
Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas:
Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro et
Tertia succedant, et quae pars quadrat acervum.
Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos,
Et genus, et formam, regina pecunia donat;
Ac bene nummatum decorat Suadela, Venusque.
Mancipiis locuples, eget aeris Cappadocum rex:
Ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, ut ajunt,
Si posset centum scaenae praebere rogatus;
Qui possum tot? ait; *tamen et quaeram, et quot habebo,*
Mittam. Post paulo scribit, sibi millia quinque
Esse domi chlamydum; partem, vel tolleret omnes.

21) Al. *nec plus.* 22) Al. *Mutius* vel *Mutius, et indignum, qui.* Al. *Mutus et, Mutius indignum, Mutius et indign. — quid sit.* 23) C. 5. *miserabilis.* 24) C. 1. *in apertum.* C. 4. *conferet aetas.* C. 5. *proferat.* 25) Nitentia sc. vasa. 26) C. 4, 5. *Agrippae, via* sine: *et — conspexerat.* 28) C. 4. *Si latus et renes.* C. 1. *temptantur acuto.* 30) C. 5. *dare potest, et* sine *una.* 31) Al. *putas ut, putasne, et.* Num putas virtutem in verbis, non in actione consistere? C. 6. *delitus.* 32) Lucus non ex solis arboribus constat ut silva, sed alicui numini sacer est. Si in ea es sententia, cave mercator, ne etc. C. 6. *lingua.* 34) Rotundentur, cumulentur. C. 4, 5. *porro* sine: *et.* 35) Al. *succedent, et pars quae quadret.* 38) Al. *Nam bene, At bene, Et bene.* 39) Cappadoces abundare mancipiis dicunt egere pecunia. 40) Nolo ego ut tu sis talis, qualis fuit rex Cappadociae, qui una re abundans caeteris egebat, sed philosophiam sequere, cui nihil deesse potest, et talis esto, qualis fuit Lucullus. C. 6. *Nec fuerit.* Al. *Non fueris — Chlamydas.* 41) C. 1. *Si possit centum.* 42) C. 5. *Qui posset*, al. *Qui possim tot? attamen et quaeram, et quod.* 43) C. 5. *Paullo post.* Al. *scripsit.*

Exilis domus est, ubi non et multa supersunt,
Et dominum fallunt, et prosunt furibus. Ergo
Si res sola potest facere, et servare beatum;
Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
Si fortunatum species, et gratia praestat;
Mercemur servum, qui dictet nomina; laevum
Qui fodicet latus; et cogat trans pondera dextram
Porrigere. Hic multum in Fabia valet, ille Velina:
Cui libet, is fasces dabit; eripietque curule
Cui volet, importunus ebur: Frater, Pater, adde;
Ut cuique est aetas, ita quemque facetus adopta.
Si, bene qui coenat, bene vivit; lucet, eamus
Quo ducit gula; piscemur, venemur; ut olim
Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos,
Differtum transire Forum populumque jubebat;
Unus ut e multis, populo spectante, referret
Emtum mulus aprum. Crudi, tumidique lavemur,
Quid deceat, quid non, obliti: Caerite cera
Digni; remigium vitiosum Ithacensis Ulyssei,
Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
Si, Mimnermus uti censet, sine amore, jocisque,
Nil est jucundum; vivas in amore, jocisque.
Vive, vale: si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

---

45) Domus est inanis et bonis non referta, ubi etc. Al. *supersint.* 48) C. 1, 4. *Hoc primum.* 49) Species, i. e. decus externum, gratia et magistratus. Al. *praestant*, *praestet.* 50) C. 1, 4, 5. *saevum*; C. 6. *servum.* Gl. Qui domino astans, laevo ipsius latere extrema manu impulso, admoneat, ut illum et illum salutet. Al. *qui dictat, qui dicet nomina; saevum.* 51) C. 4, 5, 6. *Qua fodiat*, et cogat herum trans saxa, aut trabes magni ponderis dexteram porrigere, vel benevolentiae ineundae, vel auxilii causa. 52) Hic multum in tribu Fabia valet. 53) C. 1, 4, 5. *Cui libet, hic*, Gl. *is.* Al. *Cui volet*, *is.* 55) C. 6. *Ut cuicunque.* Al. *facetus adapta.* 57) C. 4. *et olim.* Bodin. *Quo ducit.* 58) C. 4. *cervos.* Al. *Gragilius.* 59) Bentl. *campumque jubebat.* C. 4. *Dissertum.* Bibl. crit. 1820. II. 1, 581.: *potumque.* Al. *transferre Forum, Pontemque* vel *Campumque*; sed melius *Forum, Populumque*, i. e. Forum differtum Populo. 60) Al. *ex multis.* 61) Crudi t. l., saturitate inflati descendamus in balneus. 62) Tabula Caeritum digni, i. e. sine lege viventes. 63) C. 5, 4, 6. *Ulixis.* Cum simus quasi remiges, et socii Ulyssis, vitiis et libidinibus addicti. 64) C. 1. *patriae* Cuning. *Cui patria potior.* 65) C. 1. *locisque* pro *jocisque.* 68) C. 4. *inperti.* C. 5. *si nil.* Al. *imparti: si nil.*

EPISTOLA VII.

AD CAJUM CILNIUM MAECENATEM.

Maecenatis in se beneficia commemorans, libertatem, et otium opibus praefert.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem totum mendax desideror. Atqui
Si me vivere vis, recteque videre valentem;
Quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
Maecenas, veniam: dum ficus prima, calorque
Designatorem decorat lictoribus atris;
Dum pueris omnis pater, et matercula pallet;
Officiosaque sedulitas, et opella forensis
Adducit febres et testamenta resignat.
Quod si bruma nives Albanis illinet agris;
Ad mare descendet vates tuus, et sibi parcet;
Contractusque leget: te, dulcis amice, reviset
Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
Non, quo more pyris vesci Calaber jubet hospes,
Tu me fecisti locupletem. *Vescere sodes.*
Jam satis est. At tu, quantumvis, tolle. Benigne.
Non invisa feres pueris munuscula parvis.
Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.

EPISTOLA VII. 2) C. 1. *Atque*, al. *Atquin.* Totum mensem Augustum absum. C. 5. *desideror mendax.* 3) C. 1, 4, 5, 6. *Si me v. v. sanum, recteque valentem.* Bentl. *vigere val.* 6) C. 1. *Dissignatorem.* Designator est, qui constituendae funebri pompae praeest. Lict. a. i. e. ministris libitinariis pullatis. 9) C. 1. *Adducet.* 10) C. 4. *allinet agris*, i. e. asperget: nam in montibus Albanis nix alta valde rara est. 11) Ad mare sc. ad civitatem maritimam. C. 5. *descendat.* 12) Contr. l. parcus erit in legendo. C. 5. *reseget* (?). 13) C. 2. *concedis.* Al. *concedas.* 14) C. 4. *piris.* Calabri ea humanitate hospites excipiunt, ut ad vilia et supervacua hortentur. Al. *Calaber vesci jubet.* 15) Vescere etc., sunt verba Calabri. 16) At tu, inquit Calaber. 17) C. 6. *Non injussa.* 18) Z. Pearce: Prodigus et stultus, quae donat, spernit et odit. (Seebode Bibl. cr. 1820. II. 4. 862.)

Ut libet: haec porcis hodie comedenda relinquis.
Prodigus, et stultus donat, quae spernit, et odit.
Haec seges ingratos tulit, et feret omnibus annis.
Vir bonus, et sapiens dignis ait esse paratus;
Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis.
Dignum praestabo me etiam pro laude merentis.
Quod si me noles usquam discedere: reddes
Forte latus, nigros angusta fronte capillos;
Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum, et
Inter vina fugam Cinarae moerere protervae.
Forte per angustam tenuis nitedula rimam
Repserat in cumeram frumenti; pas'aque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.
Cui mustela procul, si vis, ait, effugere istinc,
Macra cavum repetes artum, quem macra subisti.
Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno:
Nec somnum plebis laudo, satur altilium; nec
Otia divitiis Arabum liberrima muto.
Saepe verecundum laudasti; rexque, paterque
Audisti coram; nec verbo parcius absens.
Inspice, si possum donata reponere laetus.
Haud male Telemachus, proles patientis Ulyssei;
Non est aptus equis Ithace locus; ut neque planis
Porrectus spatiis, neque multae prodigus herbae:

19) C. 1, 6. *relinques.* Al. *relinquas.* 20) Al. *Prodigus ac stultus.* 21) C. 1. *ingrato, s* deletum est a Gl. Haec inconsiderata rerum vilium et superfluarum donatio semper parit ingratos. 22) C. :. 4, 5. 6. *paratum*, i. e. se. C. 3. *Vir bonus et prudens.* Al. *Vir bonus, ac sapiens dignis agit.* 23) Z. Pearce: *quid distent Erva lupinis.* Al. *qui distant.* 25) Al. *Nolles usquam, unquam; nolis nunquam, nusquam.* 27) C. 4, 5. *decorum* sine: *et.* C 6. *Reddere posse.* Al. *Dulce loqui reddes.* 28) C. 1. *merere.* 29) C. 1, 4, 5. 6. *vulpecula.* 30) C. 5. *in cameram — rursum.* 32) C. 1. *fugere.* 33) C. 1, *artum*, C. 4. *arcum.* Al. *repetas arctum.* 34) Omnia, quae mihi dedisti, restituo. C. 5. *compellar.* 35) Satur avium domi saginatarum. C. 5. *altilium, ut.* 36) Al. *mitto.* 37) Saepe me paucis contentum. 38) C. 1. *partius.* Appellatus es a me rex, propter munificentiam, pater vero propter tuum erga me amorem, sive praesens tecum sum sive absens. Al. *neque verbo* 39) C. 5, 6. *si possim.* 40) C. 4, 5, 6. *Ulixis.* Al. *sapientis* Ulyssei. 41) C. 1. *Ithacae.* Haec sunt verba Telemachi ad Menelaum. C. 5. *locus Ithace.* 42) C. 1, 4, 5, 6. *nec multae.*

Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.
Parvum parva decent: mihi jam non regia Roma;
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.
Strenuus, et fortis, caussisque Philippus agendis
Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit; atque Foro nimium distare Carinas
Jam grandis natu queritur; conspexit, ut ajunt,
Abrasum quendam vacua tonsoris in umbra,
Cultello proprios purgantem leniter ungues.
Demetri, (puer hic non laeve jussa Philippi
Accipiebat,) *abi, quaere et refer: unde domo, quis;*
Cujus fortunae, quo sit patre quove patrono.
It, redit, et narrat; Vultejum nomine Menam,
Praeconem, tenui censu, sine crimine notum;
Et properare loco, et cessare, et quaerere, et uti,
Gaudentem parvisque sodalibus, et lare certo,
Et ludis; et, post decisa negotia, Campo.
Scitari libet ex ipso quaecunque refers: dic
Ad coenam veniat. Non sane credere Mena:
Mirari secum tacitus. Quid multa? Benigne,
Respondet. *Negat ille mihi? Negat improbus; et te*
Negligit, aut horret. Vultejum mane Philippus
Vilia vendentem tunicato scruta popello
Occupat; et salvere jubet prior. Ille Philippo
Excusare laborem, et mercenaria vincla;
Quod non mane domum venisset: denique, quod non

43) C. 5. *relinquo.* 44) Al. *Parva decent parvum.* 45) Hic versus non est in omnibus codicibus. 46) Al. *ac fortis.* 47) Ab officiis forensibus. 48) Carinas, i. e. viam Romae, in qua erat domus Philippi. 50) C. 1. *Arrcasum.* In umbra i. e. tonstrina. Al. *Arrasum Adrasum.* Abrasi dicebantur liberti, quibus caput abradebatur, cum manumittebantur 44) Vanderbourg: *gantem proprios cultello leniter ungues.* Al. *droprio resecantem leniter.* 52) C. 1. *levi jussa Phylippi.* Al. *laevus.* 53) Al. *quaere, refer; quaere, et referes.* 54) C. 4 *patriae* pro *patre.* 55) Al. *It, redit, enarrat — Maenam.* 56) Bentl. *natum.* 57) Et lucri causa viatorem vel mercatorem agere, interdum otiari, divitias acquirere, iisque uti. Al. *locum.* 58) Bentl. *lare curto*, quod aptius convenire videatur *parvis sodalibus.* 59) Campo sc. Martio. Decisa, i. e. finita. 60) C. 1, 4, 6. *quodcunque.* Al. *licet ex ipso quaecunque.* 63) Al. *Respondit.* *Neget — aut te.* 64) C. 1, 4, 6. *Neglegit aut oret.* 65) C. 1. *tonicato scruta popello*, merces viles. Al. *tunicatum.* 66) C. 6. *prior jubet.* 67) C. 1. *mercennaria.*

Providisset eum. *Sic ignovisse putato*
Me tibi, si coenas hodie mecum. Ut libet. Ergo
Post nonam venies; nunc i, rem strenuus auge.
Ut ventum ad coenam est, dicenda tacenda loquutus,
Tandem dormitum dimittitur. Hic, ubi saepe
Occultum visus decurrere piscis ad hamum;
Mane cliens, et jam certus conviva, jubetur
Rura suburbana indictis comes ire Latinis.
Impositus mannis, arvum, Coelumque Sabinum
Non cessat laudare. Videt ridetque Philippus:
Et, sibi dum requiem, dum risus undique quaerit,
Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit; persuadet uti mercetur agellum.
Mercatur. Ne te longis ambagibus ultra,
Quam satis est, morer; ex nitido fit rusticus; atque
Sulcos, et vineta crepat mera; praeparat ulmos;
Immoritur studiis, et amore senescit habendi.
Verum, ubi oves furto, morbo periere capellae,
Spem mentita seges, bos est enectus arando:
Offensus damnis, media de nocte caballum
Arripit; iratusque Philippi tendit ad aedes.
Quem simul adspexit scabrum, intonsumque Philippus:
Durus, ait, *Vultei, nimis attentusque videris*
Esse mihi. Pol! me miserum, patrone, vocares;
Si velles, inquit, *verum mihi ponere nomen.*
Quod te, per Genium, dextramque Deosque Penates
Obsecro et obtestor, vitae me redde priori.
Qui semel adspexit, quantum dimissa petitis
Praestent; mature redeat, repetatque relicta.
Metiri se quemque suo modulo, ac pede, verum est.

69) C. 4. *Praevidisset*, i. e. antea vidisset. Lambin. *Provisisset*, ex ingenio. 71) C. 4, 5. *venias*, C. 1. *strenuus age.* 72) Al. *Ut ventum est ad coenam; Ut coenam adventum est.* Al. *locutus.* 73) Al. *Ergo ubi*, *Hinc ubi.* 74) C. 5. *visus est currere.* 75) C. 1. *etiam* pro *et jam.* Certus i. e. quotidianus conviva. 76) Indictis Latinis feriis a Consule. 81) C. 6. *vel suadet.* 82) C. 5. *Ne longis te.* 87) Al. *Spes.* 89) C. 5. *aedem.* 91) Nimis attentus i. e. avarus. 93) C. 1. *dicere nomen;* al. *rectum mihi ponere.* 94) C. 4 *Quod te per genitum* 96) C. 1, 4, 5, 6. *Qui simul a., q. demissa.* 97) Al. *Praestant.* 98) Ac pede verum est, i. e. aequum.

EPISTOLA VIII.

AD CELSUM ALBINOVANUM.

Queritur, se melancholia laborare; et nonnulla amici vitia oblique vellicat.

Celso gaudere, et bene rem gerere, Albinovano,
Musa rogata, refer, comiti, scribaeque Neronis.
Si quaeret, quid agam; dic, multa et pulchra minantem
Vivere nec recte, nec suaviter: haud, quia grando
Contuderit vites, oleamve momorderit aestus;
Nec, quia longinquis armentum aegrotet in agris:
Sed, quia mente minus validus, quam corpore toto,
Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum;
Fidis offendar medicis, irascar amicis;
Cur me funesto properent arcere veterno?
Quae nocuere, sequar; fugiam, quae profore credam:
Romae Tibur amem, ventosus Tibure Romam.
Post haec, ut valeat; quo pacto rem gerat, et se:
Ut placeat Juveni, percontare, utque cohorti.
Si dicet, recte; primum gaudere; subinde
Praeceptum auriculis hoc instillare memento:
Ut tu fortunam; sic nos te, Celse, feremus.

EPIST. VIII. C. 1. *Ad Celsum Albinovanum Comitem Neronis.* 1) O Musa a me rogata, renuntia Celso Albinovano, ut gaudeat et bene rem gerat. 3) C. 4, 6. *Si quaerit — pulchra minantem* i. e. superbe promittentem. C. 5. *Quaerit si quid.* Al. *multa ac.* 5) C. 1, 4. *vitas, oleumque.* 6) Al. *in arvis.* 7) C. 5. *pectore.* 10) Cur propterea quod etc. Z. Pearce ait: Ausim dicere Horatium scripsisse: *Cum me*, et qui de loci sensu bene cogitat, mihi, ut opinor, assentietur. Al. *properant.* 11) Quia sequar, quae nocuere. 12) C. 1. *venturus.* Al. *amo*, *ventosum.* 14) Al. *atque coh.* 17) C. 4. *Celse ferentis.*

EPISTOLA IX.
AD CLAUDIUM NERONEM

Septimium illi commendat, rigidumque Principem demulcet.

Septimius, Claudi, nimirum intelligit unus,
Quanti me facias. Nam quum rogat, et prece cogit,
Scilicet, ut tibi se laudare, et tradere coner,
Dignum mente, domoque legentis honesta Neronis.
Munere quum fungi propioris censet amici;
Quid possim videt, ac novit me valdius ipso.
Multa quidem dixi, cur excusatus abirem:
Sed timui, mea ne finxisse minora putarer,
Dissimulator opis propriae, mihi commodus uni.
Sic ego, majoris fugiens opprobria culpae,
Frontis ad urbanae descendi praemia. Quod si
Depositum laudas ob amici jussa pudorem;
Scribe tui gregis hunc; et fortem crede, bonumque.

EPISTOLA X.
AD FUSCUM ARISTIUM.

Vitam rusticam prae urbana laudibus effert.

Urbis amatorem Fuscum salvere jubemus
Ruris amatores; hac in re scilicet una
Multum dissimiles; ad cetera paene gemelli:
Fraternis animis, quidquid negat alter, et alter;

EPIST. IX. 2) C. 5. *regat.* Al. *nam cum rogat.* 4) Dignum amicitia et contubernio Neronis legentis, i. e. eligentis res honestas et viros honestos. 5) C. 6. *Munere confungi* C. 5. *censet propioris.* 6) C. 1. *agnovit* pro *ac novit.* C. 6. *Quid possum.* Al. *et novit.* 10) C 4. *fugiens et proprius.* 11) Descende ad impudentiam seu inverecundiam, quae frontis perfrictae est praemium. Urbani enim perfrictioris oris esse solent quam rustici. 13) Scribe de uno grege esse et amicorum numero.

EPISTOLA X. C. 1. *Ad Fuscum Aristium Grammaticum.* 1) C. 5. *salvare.* 2) Amatores, sc. nos qui sumus. 3) Al. *at caetera pene gemelli*, i. e. simillimi.

Annuimus pariter vetuli, notique columbi.
Tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni
Rivos, et musco circumlita saxa, nemusque.
Quid quaeris? vivo, et regno, simul ista reliqui,
Quae vos ad coelum fertis rumore secundo:
Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso;
Pane egeo jam mellitis potiore placentis.
Vivere naturae si convenienter oportet,
Ponendaeque domo quaerenda est area primum;
Novistine locum potiorem rure beato?
Est, ubi plus tepeant hiemes? ubi gratior aura
Leniat et rabiem Canis, et momenta Leonis,
Quum semel accepit solem furibundus acutum?
Est, ubi depellat somnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet, aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quae per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur silva columnas;
Laudaturque domus, longos quae prospicit agros:
Naturam expellas furca; tamen usque recurret;
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.
Non, qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum propiusve medullis;

---

6) Al. *noti vetulique.* Lambin. *vetulis, notisque.* 6) Nidum, Gl. civitatem, qua natus es. 7) Musco, Gl. genus herbae, quae in aqua nascitur. 9) Al. *in coelum effertis.* 10) Ut improbus sacerdotis servus, qui liba edere consuevit, tandem desiderat panem. 11) C. 5. *meliore.* 13) C. 4. *Quaerendaque sine est.* Al. *Ponendaque domo*, *Ponendaque domus.* 15) Estne locus ullus, ubi etc. C. 5. *umbra* pro *aura.* 16) Leonis, cum sol ad Leonem venerit. 18) Al. divellat. 19) Bentl. *tapetis* pro *lapillis.* Numquid herba deterius aut olet aut nitet, quam lapilli, i. e. marmora ex Numidia advecta, ex quibus Romae fiunt pavimenta? 22) Apparet enim vitam rusticam suaviorem esse, quam urbanam, quia divites, quasi natura duce, in suis aedificiis urbem ruri similem reddere student. Nam arbores in hortis spatiosis conserunt etc. 23) Longos, i. e longe remotos. 24) Bentl. *expelles.* 25) C. 1. *vestigia*, Gl. *fastigia* ut C. 6. Al. *prorumpet.* 26) Is non, qui cum purpura Sidonia comparare lanas succo Aquinati tinctas etc. 27) Aquinates purpurae similes sunt, multum ergo imperiti falluntur. C. 5. *potentia fuccum, succum, sucum.* 28) C. 4, 5, 6. *propiusque.* Al. *propriusve.*

Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavere secundae;
Mutatae quatient. Si quid mirabere; pones
Invitus: fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat; donec, minor in certamine longo,
Imploravit opes hominis; frenumque recepit:
Sed, postquam victor violens discessit ab hoste;
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.
Sic, qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret; dominum vehet improbus, atque
Serviet aeternum; quia parvo nesciet uti.
Cui non conveniet sua res; ut calceus olim,
Si pede major erit, subvertet; si minor, uret.
Laetus sorte tua vives sapienter, Aristi;
Nec me dimittes incastigatum, ubi plura
Cogere, quam satis est, ac non cessare videbor.
Imperat, aut servit collecta pecunia cuique;
Tortum digna sequi potius, quam ducere funem.
Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae;
Excepto, quod non simul esses, cetera laetus.

29) Al. *potuit verum distinguere falso.* 30) C. 4. *nimium.* 31) C. 1. *potes.* 33) Al *praecedere, praecellere.* 37) Bentl. *violens victo*; al. *violens victor.* 38) C. 5. *nec.* Al. *pellit ab ore.* 39) Al. *metallo.* 40) Bentl. *vehit.* 41) C. 5. *qui.* Al. *aeterno — nesciat.* 42) C. 1. *celceus.* 43) C. 4, 5, 6. *urget* pro *uret*, i. e. pedem laedet. 44) C. 4. *vivas.* C. 5. *sua.* 45) C. 1, 5. *dimittas.* 47) C. 5. *cuiquam.* 48) Qui debet potius servire, quam imperare. 49) Haec dictabam puero meo scribenti, ut ad te mitterem. Al. *templum putre*; Cuning. *fanum post putre. Vacuna* fuit Dea Sabinorum, Romanis *Victoria*, cujus templum putre aevo Horatii restitutum fuit.

EPISTOLA XI.

AD BULLATIUM.

Ad vitam beatam parum, aut nihil referre, quo quisque loco habitet.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos?
Quid concinna Samos? quid Croesi regia Sardis?
Smyrna quid, et Colophon? majora minorave fama?
Cunctane prae Campo, et Tiberino flumine sordent?
An venit in votum Attalicis ex urbibus una?
An Lebedum laudas, odio maris, atque viarum?
Scis, Lebedus quid sit; Gabiis desertior, atque
Fidenis vicus: tamen illic vivere vellem,
Oblitusque meorum, obliviscendus et illis,
Neptunum procul e terra spectare furentem.
Sed neque, qui Capua Romam petit, imbre, lutoque
Adspersus, volet in caupona vivere: nec, qui
Frigus collegit, furnos et balnea laudat,
Ut fortunatam plene praestantia vitam.
Nec, si te validus jactaverit Auster in alto;
Idcirco navem trans Aegaeum mare vendas.
Incolumi Rhodos et Mitylene pulchra facit, quod
Paenula solstitio, campestre nivalibus auris,
Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.
Dum licet, ac vultum servat Fortuna benignum;
Romae laudetur Samos, et Chios, et Rhodos absens.

EPISTOLA XI. 2) C. 4. *Croesi quid.* 3) C. 4. *minoraque.* Al. *minorave.* 4) An cuncta illa videntur vitia, comparatione facta cum campo Martio et Roma. C. 5. *sordet.* Al. *prae campo.* 6) C. 5. *Lebadon.* 7) Al. *quam sit.* Gabiorum ruinae detectae fuerunt a. 1792 ad lacum di Castiglione, ubi statuae et inscriptiones multae repertae sunt. 8) C. 4, 5. *mallem.* C. 6. *ficis.* Al. vicis. 10) C. 4. *ex terra.* 15) Al. *Nec te si.* 16) C. 5. *navim.* Al. *trans Aegaeum navem.* 17) Incolumi homini sanae mentis. 18) Vestis densa solstitio aestivo, i. e. aestate inutilis; vestis tenuis vero, qua juvenes in campo Martio se exercentes utebantur. Al. *immanibus auris, nivalibus austris.* 19) Quod facit natatio in Tiberi per hiemem. Quis enim tunc nataret? C. 5. *Tiburis.* 20) C. 6. *et vultum.* 21) C. 6. *laudatur.*

Tu, quamcunque Deus tibi fortunaverit horam,
Grata sume manu: neu dulcia differ in annum,
Ut, quocunque loco fueris, vixisse libenter
Te dicas. Nam si ratio, et prudentia curas,
Non locus effusi late maris arbiter, aufert;
Coelum, non animum, mutant, qui trans mare currunt.
Strenua nos exercet inertia: navibus, atque
Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic est:
Est Ulubris; animus si te non deficit aequus.

EPISTOLA XII.

A D I C C I U M.

Divitem non esse, qui rebus non utatur, demonstrat; amicum amico commendat; deque rebus Romanis verba facit.

Fructibus Agrippae Siculis, quos colligis, Icci,
Si recte frueris; non est, ut copia major
Ab Jove donari possit tibi. Tolle querelas;
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis: nil
Divitiae poterunt regales addere majus.
Si forte, in medio positorum abstemius, herbis
Vivis, et urtica; sic vives protinus, ut te
Confestim liquidus Fortunae rivus inauret;
Vel, quia naturam mutare pecunia nescit;

22) Al. *Deus, seu fors donaverit.* 23) Al. *neu* vel *nec dulcia.* 24) Al. *Tu, quocumque.* 26) Non urbs neque tota terra. quae suo situ et arbitrio maris undas arcet, sed sola animi tranquillitas beatum efficit. 23) C. 6. *ineptia.* 29) Scil. spectaculis in Circo cum *quadrigis* et cum *navibus* in Naumachia.

EPISTOLA XII. C. 1. *Ad Hiccium.* Al. *Ad Ictium.* 1) C. 1. *Hicci.* 2) Al. *fueris.* 3) C. 6. *A Jove.* 4) Non est, cui nihil ad vitam deest. 5) C. 1, 5. *lateri pedibusque* sine *est.* 7) C. 6. *Aristemius.* 8) Al *protenus*, deinceps. Urtica est genus herbae. Al. *sic vivis; sic vives proximus.* 9) Inauret, divitem faciat. Z. Pearce: vives uno eodemque tenore, quamvis ditescas.

Vel, quia cuncta putas una virtute minora.
Miramur, si Democriti pecus edit agellos,
Cultaque; dum peregre est animus sine corpore velox?
Quum tu inter scabiem tantam, et contagia lucri,
Nil parvum sapias, et adhuc sublimia cures:
Quae mare compescant caussae; quid temperet annum;
Stellae sponte sua, jussaene vagentur, et errent:
Quid premat obscurum Lunae, quid proferat orbem;
Quid velit, et possit rerum concordia discors;
Empedocles, an Stertinium deliret acumen?
Verum, seu pisces, seu porrum, et caepe trucidas;
Utere Pompejo Grospho; et, si quid petet, ultro
Defer; nil Grosphus, nisi verum, orabit, et aequum.
Vilis amicorum est annona, bonis ubi quid deest.
Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res:
Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit; jus, imperiumque Phraates
Caesaris accepit genibus minor; aurea fruges
Italiae pleno defundit Copia cornu.

11) Hic versus a manu secunda insertus est Cod. 6. 12) Democritus, philosophus, Abderae natus, hortorum amator, studio discendi patrimonium neglexit. 13) Dum in rerum magnarum contemplatione occupatus. 14) Al. *inter tantam; tanta et cont.* Cuning. *tantam inter scabiem.* 15) Al. *Nil pravum.* 16) C. 4. *temperat.* 17) Al. *an errent.* 20) C. 5. *Stertinii.* Al. *Stertinum — delirat.* 21) C. 4. *porrum saepe trucidas.* Seu nihil aliud occidis in coenam nisi porrum et caepe, ironice. Al. *Verum ubi seu.* 22) C. 4. *Grospho; si quid petet* sine *et.* Al. *petat.* 23) Al. *nec Grosphus, nisi vera, orabit, et aequa.* 24) Al. *quid de'st.* Parvo constant amici, cum viris bonis aliquid deest. 25) Al. *Nec tamen.* 26) C. 4, 5. *Cantabis.* C. 1, 6. *Claudii.* 27) C. 1. *Phraphates*; Bentl. *Tigranes.* Phraates (C. 5. Pharates) rex Persarum fuit, cui depulso a civibus regna reddidit Caesar. 28) Supplex, et ad genua Caesaris devolutus. 29) Al. *diffundit, diffudit, defudit.*

EPISTOLA XIII.

AD VINIUM ASELLAM.

Docet, qua ratione velit, libellos suos Augusto tradi.

Ut proficiscentem docui te saepe, diuque;
Augusto reddes signata volumina, Vini,
Si validus, si laetus erit, si denique poscet:
Ne studio nostri pecces; odiumque libellis
Sedulus importes, opera vehemente minister.
Si te forte meae gravis uret sarcina chartae;
Objicito potius, quam, quo perferre juberis,
Clitellas ferus impingas; Asinaeque paternum
Cognomen vertas in risum, et fabula fias.
Viribus uteris per clivos, flumina, lamas.
Victor propositi, simul ac perveneris illuc;
Sic positum servabis onus, ne forte sub ala
Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum:
Ut vinosa glomus furtivae Pyrrhia lanae;
Ut cum pileolo soleas conviva tribulis.
Nec vulgo narres te sudavisse ferendo
Carmina, quae possint oculos, auresque morari
Caesaris: oratus multa prece, nitere porro.
Vade, vale, cave ne titubes, mandataque frangas.

EPISTOLA XIII. Al. *Ad Vinnium*; Bentl. *Ad Vinium.* 1) Ut, quemadmodum. 2) Al. *reddas.* 3) Al. *poscit.* 4) Al. *Nec studio.* 5) Al. *ministri.* 6) Al. *urget.* 7) C. 4. *proferre.* C. 5. *portare.* Al. *Abjicito — juberes.* 8) C. 1. *impinguas.* Ne tanquam stupidus sub onere meorum librorum corruas, clitellas asini more in terram impingendo, idque in Augusti oculis, cum ei libros trades. 9) C. 4. *in risum*, *fabula* sine: *et.* Al. *ut fabula.* 10) Lamas, Gl. aqua in via stans ex pluvia. Al. *utaris.* 11) Al. *illac.* 12) Al. *Sepositum.* 13) Al. *Fasciculos.* 14) Al. *glomos, globos.* 15) C. 1. *pilleolo tribulis*, vicinus ex eadem tribu. 16) Al. *Ne* vel *Neu vulgo.* 17) Al. *possunt aures oculosque; oculosque auresque.* 18) Nitere porro, i. e. da omnem operam.

EPISTOLA XIV.

AD VILLICUM SUUM.

Illum carpit, quod urbanam vitam sibi exoptet.

Villice silvarum, et mihi me reddentis agelli,
Quem tu fastidis, habitatum quinque focis, et
Quinque bonos solitum Variam dimittere patres;
Certemus, spinas animone ego fortius, an tu
Evellas agro; et melior sit Horatius, an res.
Me quamvis Lamiae pietas, et cura moratur,
Fratrem moerentis, rapto de fratre dolentis
Insolabiliter: tamen istuc mens, animusque
Fert, et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum:
Cui placet alterius, sua nimirum est odio sors.
Stultus uterque locum immeritum causatur inique;
In culpa est animus, qui se non effugit unquam.
Tu mediastinus tacita prece rura petebas;
Nunc Urbem, et ludos et balnea villicus optas.
Me constare mihi scis; et discedere tristem,
Quandocunque trahunt invisa negotia Romam.
Non eadem miramur: eo disconvenit inter
Meque, et te: nam, quae deserta, et inhospita tesqua
Credis; amoena vocat, mecum qui sentit; et odit
Quae tu pulchra putas. Fornix tibi, et uncta popina

EPISTOLA XIV. 1) C. 1. Gl. Quoties in aliquo perturbor, aspiciens meum agrum, statim proprio sensu meo reddor. Barth. *me redimentis.* 3) Romanos senatores, vel homines grandes natu ad lites in Varia discernendas. Quinque sc. domibus vel dominis. Al. *Bariam*, *Barium.* 4) C. 5. *fortior.* 5) C. 1. *Evelles.* Bentl. et Heinsius: *an jus.* Al. *an rus.* 6) Al. *moretur.* 7) C. 1. *merentis.* 8) C. 4, 5. *tamen illuc.* 9) Bentl. *avet.* Claustra alio nomine carceres vocantur in Circo. *Spatium* dicitur intervallum illud inter primam metam et sedilia, quo tendebant bigae, vel quadrigae e claustris prorumpentes. 11) Al. *odio res.* 14) Mediastinus, Gl. in civitate et media urbe. 15) Al. *Urbem, ludos.* 17) Al *vesana negotia.* 19) *Inhospita tesqua*, Gl. loca deserta et difficilia Sabinorum sic dicuntur. Al. *tesca.* 21) Al. *vocas.*

Incutiunt urbis desiderium; video: et quod
Angulus iste feret piper, et thus, ocius uva;
Nec vicina subest vinum praebere taberna
Quae possit tibi, nec meretrix tibicina, cujus
Ad strepitum salias terrae gravis: et tamen urges
Jampridem non tacta ligonibus arva; bovemque
Disjunctum curas, et strictis frondibus exples.
Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato.
Nunc, age, quid nostrum concentum dividat, audi.
Quem tenues decuere togae nitidique capilli;
Quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci;
Quem bibulum liquidi media de luce Falerni,
Coena brevis juvat; et prope rivum somnus in herba:
Nec lusisse pudet; sed non incidere ludum.
Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat; non odio obscuro, morsuque venenat:
Rident vicini glebas, et saxa moventem.
Cum servis urbana diaria rodere mavis;
Horum tu in numerum voto ruis; invidet usum
Lignorum, et pecoris tibi calo argutus, et horti.
Optat ephippia bos piger; optat arare caballus:
Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

---

22) C. 4. *ut video* sine *et.* 23) *Angulus*, Gl. semper enim abundat. Sensus est: adisti rus, quod male colis. Nam piper, quod in Italia non nascitur, feret non vinum, quod abundare consuevit. C. 5. *Anulus.* Al. *ferat.* 24) Al. *Ne vicina.* 25) Al. *posset.* 26) C. 1. *et tamen ungues.* Ad cujus strepitum in cithara vel tibia, tu saltes inscienter, quasi terrae inutile pondus. 28) C. 4. *imples.* Al. *Dejunctum curas, strictis et.* Disjunctum ab altero et otiosum pascis, ac collectis frondibus saturas. 29) C. 4. *decidet.* 30) Al. *Multa male.* Multis molibus, sc. saxis, fossis, aggeribus avertendus, ut prato parcat, i. e. ut prato non noceat. Al. *parcere campo.* 31) Quid nostram concordiam dissolvat. Al. *consensum.* 32) C. 1. *docuere.* 33) C. 4. *inmunem Cynerae* pl. *capaci.* 34) Al. *media de nocte.* 36) Nec pudet genio indulsisse, sed pudet non abrumpere vitam intemperatam et libidinosam. 37) Maligno oculo atterit. 40) Rodere diaria est tenuiter vivere. Bentl. *Cum servis tu urbana.* Al. urb. cibaria *reddere mavis.* 41) C. 4. *usus.* 43) Al. *Optat epithia* bos.

EPISTOLA XV.
AD NUMONIUM VALAM.

Quae sit hiems Veliae, quod coelum, Vala, Salerni,
Quorum hominum regio, et qualis via; (nam mihi Bajas
Musa supervacuas Antonius, et tamen illis
Me facit invisum, gelida quum perluor unda
Per medium frigus. Sane myrteta relinqui,
Dictaque cessantem nervis elidere morbum
Sulfura contemni, vicus gemit, invidus aegris,
Qui caput et stomachum supponere fontibus audent
Clusinis, Gabiosque petunt et frigida rura.
Mutandus locus est, et deversoria nota
Praeteragendus equus. *Quo tendis? non mihi Cumas
Est iter aut Bajas*, laeva stomachosus habena
Dicet eques: sed equi frenato est auris in ore;)
Major utrum populum frumenti copia pascat;
Collectosne bibant imbres, puteosne perennes
Dulcis aquae; (nam vina nihil moror illius orae.)
Rure meo possum quidvis perferre patique:
Ad mare quum veni, generosum et lene requiro,
Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
In venas animumque meum, quod verba ministret,
Quod me Lucanae juvenem commendet amicae;

EPISTOLA XV. C. 1. *Ad Numodeum Valam.* 1) Ordo usque ad v. 24 est: Par est te scribere nobis ac nos tibi credere, quae hiems sit Veliae, i. e. quae aeris qualitas in hieme etc. 3) Antonius Musa, Augusti medicus clarissimus, dicit aquas calidas Baianas ad valetudinem meam non esse utiles. 5) Al. *murteta.* C. 4, 5, 6. *reliqui.* 7) Al. *Sulphura*, aquas sulphuratas. 9) Clusinis, aquis frigidis in Etruria, sic nominatis a Clusio Etruriae oppido. 10) C. 1, 4, 5, 6. *diversoria nota.* 11) Quo tendis etc. verba sunt Horatii aut cujusvis ad equum suum. 12) C. 1. *stomachatus.* 13) Bentl. *equis*, sed constructio est: *auris equi est in ore frenato.* C. 4. *dicit.* 14) Utrum populum, in Velia vel Salerno. 15) C. 4. *puteosque*, C. 1. *perennis.* Collectos imbres, Gl. cisternas. 16) C. 4, 6. *Dulcis aquae* — C. 1. *illius ore.* Vina aquosa, quae in Velia et Salerno nascuntur, non desidero. C. 6. *iam vina.* 17) C. 5. *possem — pative* 18) C. 4, 5. *Cum venio.* 21) C. 1. *commendat.*

Tractus uter plures lepores, uter educet apros;
Utra magis pisces et echinos aequora celent,
Pinguis ut inde domum possim Phaeaxque reverti:
Scribere te nobis, tibi nos accredere, par est.
Maenius, ut rebus maternis atque paternis
Fortiter absumtis urbanus coepit haberi,
Scurra vagus, non qui certum praesepe teneret,
Impransus non qui civem dignosceret hoste;
Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus;
Pernicies et tempestas barathrumque macelli,
Quidquid quaesierat, ventri donaret avaro.
Hic, ubi nequitiae fautoribus et timidis nil
Aut paulum abstulerat, patinas coenabat omasi,
Vilis et agninae, tribus ursis quod satis esset;
Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
Diceret urendos, corrector Bestius. Idem
Quidquid erat nactus praedae majoris, ubi omne
Verterat in fumum et cinerem, *Non hercule miror*,
Ajebat, *si qui comedunt bona, quum sit obeso*
Nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla.
Nimirum hic ego sum: nam tuta et parvula laudo,
Quum res deficiunt, satis inter vilia fortis;
Verum, ubi quid melius contingit et unctius, idem
Vos sapere et solos ajo bene vivere, quorum
Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

22) C. 4. *Tractus uter lepores plures.* 23) C. 5. *pubes et ech.* 24) Nitidus splendidusque, quales erant Phaeaces, populi luxuriosi et voluptuarii. 25) C. 4. *parem* pro *par est.* 26) C. 1. Gl. Maenius hic Pantalabus dicebatur, quia, quidquid offerebatur, accipiebat. Erat urbanus et mordax; itaque dabant illi, qui urbanitate delectabantur, et qui mordacitatem timebant 28) C. 4. *civem* pro *certum* praesepe teneret, i. e. domum statam aut mensam. 29) C. 1. *dinosceret.* 30) Al. *quamvis.* 31) Barathrum est profunda vorago. 32) C. 1. *donabat*; al *donurat.* 33) Hic, Maenius, cum a luxuriosis et avaris nihil auferret 34) C. 5. *patenas.* 35) C. 5, 6. *agnini.* 36) C. 6. *cadente.* 37) C. 1, 5. *correctus*, C. 4, 5. *correptus*, tanquam alter quidam Bestius, nequitiae aliorum corrector et castigator. Alii vero: scil. ut inopia et egestate correctus diceret etc. C. 5. *Dic ut modos.* 38) Bentl. *Siquid* pro *quidquid.* 46) In Cod. 6. quatuor ultimi versus positi sunt ante 4. priores.

EPISTOLA XVI.

AD QUINCTIUM.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quincti,
Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivae,
Pomisne, an pratis, an amicta vitibus ulmo:
Scribetur tibi formā loquaciter, et situs agri.
Continui montes, nisi dissocientur opaca
Valle; sed ut veniens dextrum latus adspiciat Sol,
Laevum decedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. Quid, si rubicunda benigni
Corna vepres et pruna ferunt? si quercus et ilex
Multa fruge pecus, multa dominum juvat umbra?
Dicas adductum propius frondere Tarentum.
Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
Frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus,
Infirmo capiti fluit aptus, et utilis alvo.
Hae latebrae dulces, et jam, si credis, amoenae,
Incolumem tibi me praestant Septembribus horis.
Tu recte vivis, si curas esse quod audis;
Jactamus jampridem omnis te Roma beatum.
Sed vereor, ne cui de te plus, quam tibi credas;
Neve putes alium sapiente bonoque beatum;
Neu, si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.
Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
Si quis bella tibi terra pugnata marique
Dicat, et his verbis vacuas permulceat aures:

EPIST. XVI. 2) C. 1. *bacis.* 3) C. 1. 4, 5, 6. *Pomisne, et*; al. *Pomisve.* 5) C. 1, 5, 6. *montes, ni* 7) C. 1, 6. *discedens*; C 4. *descedens*; al. *descendens.* C. 4. *vaporat.* C. 5. *pudoret* 8) Al. *benigne.* 9) C. 1, 4. 5, 6. *ferant.* 10) C. 1, 4, 5. *juvet* 11) Dicas agrum meum tam esse amoenum, quam est Tarentum. 12) Est etiam in agro meo fons tam uber, ut dignus sit appellari fluvius. 13) C. 5. *ambiet* 14) C. 1, 4, 5. *fluit aptus et utilis*; al. *utilis, utilis*, i. e. salubris. 16) C. 5. *praestent.* 17) Si talis sis, qualem te fama testatur. 18) C. 5. *Jactantur.* 21) C. 5. *populum.* 22) C. 1. *pectus edendi.* 23) C. 1, 5. *Dissimiles.* C. 4. *indicat unctis*, sc. cibo. 25) Bella sc. a te gesta.

Tene magis salvum populus velit, an populum tu,
Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi,
Jupiter: Augusti laudes agnoscere possis.
Quum pateris sapiens emendatusque vocari,
Respondesne tuo, dic sodes, nomine? *Nempe*
Vir bonus et prudens dici delector ego ac tu.
Qui dedit hoc hodie, cras, si volet, auferet; ut si
Detulerit fasces indigno, detrahet idem.
Pone, meum est, inquit; pono, tristisque recedo.
Idem si clamet furem, neget esse pudicum,
Contendat laqueo collum pressisse paternum:
Mordear opprobriis falsis, mutemque colorem?
Falsus honor juvat, et mendax infamia terret,
Quem, nisi mendosum et medicandum? Vir bonus est quis?
Qui consulta patrum, qui leges juraque servat;
Quo multae magnaeque secantur judice lites;
Quo res sponsore, et quo causae teste tenentur.
Sed videt hunc omnis domus et vicinia tota
Introrsus turpem, speciosum pelle decora.
Nec furtum feci, nec fugi, si mihi dicat
Servus: *Habes pretium, loris non ureris,* ajo.
Non hominem occidi. Non pasces in cruce corvos.
Sum bonus et frugi. Renuit negitatque Sabellus.
Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suspectos laqueos, et opertum milvus hamum.
Oderunt peccare boni virtutis amore:

---

27) C. 4. *Tene magis sanum.* 29) C. 1. *posses.* 30) C. 6. *Cum cupias s. e. videri.* 31) Itane respondes, quasi nominatim sis appellatus? 32) C. 4. *V. b. et sapiens.* 33) Sed populus inconstans, qui etc. 34) C. 4. *detrahat.* 35) Depone honorem, inquit populus. C. 5, 6. *meum* sine *est.* 38) Al. *mutemve colores?* C. 1. *coloris?* Commovearne his falsis criminationibus. 39) Al. *Fassus.* 40) C. 4, 5, 6. *mendacem* pro *medicandum*, potius non sanum medicina egentem. Z. Pearce: *medicandum.* 42) C. 6. *finiuntur.* 43) C. 4. *responsore, quo causae* sine: *et.* 45) C. 5, 6. *Introrsum.* 46) C. 1. *dicit.* 47) C. 4. *uteris* pro *ureris.* 49) C. 1, 4, 5, 6. *negat atque* Horatius in agro suo Sabino existens. Sum bonus et frugi, si servus meus dicat. 50) C. 4. *Captus nam.* 51) Occultum hamum: non desinunt tamen hae ferae rapaces esse. Sic tu. 52) C. 4. contrahit hunc et seq. versum ita: *Oderunt peccare mali formidine poenae.*

Tu nihil admittes in te formidine poenae.
Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.
Nam de mille fabae modiis quum surripis unum,
Damnum est, non facinus mihi pacto lenius isto.
Vir bonus, omne forum quem spectat et omne tribunal,
Quandocunque Deos vel porco vel bove placat,
Jane pater, clare, clare quum dixit, Apollo:
Labra movet metuens audiri: *Pulchra Laverna,*
Da mihi fallere, da justo sanctoque videri;
Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem.
Qui melior servo, qui liberior sit avarus,
In triviis fixum quum se demittit ob assem,
Non video. Nam qui cupiet, metuet quoque; porro
Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam.
Perdidit arma, locum virtutis deseruit, qui
Semper in augenda festinat et obruitur re.
Vendere quum possis captivum, occidere noli;
Serviet utiliter; sine pascat durus, aretque;
Naviget ac mediis hiemet mercator in undis;
Annonae prosit; portet frumenta penusque.
Vir bonus et sapiens audebit dicere: *Pentheu,*
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum; tollas licet. In manicis et
Compedibus saevo te sub custode tenebo.
Ipse Deus, simul atque volam, me solvet. Opinor,
Hoc sentit: Moriar; mors ultima linea rerum est.

---

53) C. 5. *vitae, form.* 55) C. 1. *subripis unum.* 56) C. 4, 5. *levius.* 57) Vir (non vere, sed opinione vulgi) bonus. 60) Summissa voce loquitur, nolens ea audiri ab assistentibus, quae secum precatur. Sic o pulchra Laverna, Dea furum. 61) C. 1, 4, 5, 6. *da justum sanctumque videri.* 63) C. 5, 6. *Quo melior servo,* Gl. Hor. per syllogismum probat, servum esse cupidum et avarum. 64) C. 4. *dimittit.* 66) C. 4, 5. *vivit.* 69) C. 5. *possit.* 70) C. 5. *Sic.* 72) C. 5. *penumque.* 73) Vir revera bonus. 76) C. 5. *In manicis sis.* 78) C. 5. *volem.*

EPISTOLA XVII.

AD SCAEVAM.

Quamvis, Scaeva, satis per te tibi consulis, et scis
Quo tandem pacto deceat majoribus uti,
Disce, docendus adhuc quae censet amiculus; ut si
Caecus iter monstrare velit: tamen adspice, si quid
Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.
Si te grata quies et primam somnus in horam
Delectat; si te pulvis strepitusque rotarum,
Si laedit caupona: Ferentinum ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia solis,
Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit.
Si prodesse tuis pauloque benignius ipsum
Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.
Si pranderet olus patienter, regibus uti
Nollet Aristippus. — *Si sciret regibus uti,*
Fastidiret olus, qui me notat. — Utrius horum
Verba probes et facta, doce, vel junior audi,
Cur sit Aristippi potior sententia. Namque
Mordacem Cynicum sic eludebat, ut ajunt:
Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc et
Splendidius multo est. Equus ut me portet, alat rex,
Officium facio: tu poscis vilia rerum
Dante minor, quamvis fers te nullius egentem.

EPISTOLA XVII. C. 1. ***Ad Sceuam.*** Gl. Initio hujus epist. hortatur Scaevam, quomodo amicitiae majorum obsequi debeat, et si taedet eum morari in civitate propter strepitum et clamores tabernarum, transeat in Ferentinum oppidum desertum et per hoc quietum. 2) Cum majoribus vivere et versari, i. e. uti ipsis. C. 5. *doceat.* 3) Censet, ego Horatius, tuus amicus. 5) C. 4. *Et nos, si cures.* Quod ejusmodi sit, ut velis in rem tuam vertere. 8) C. 4. *laedet.* C. 5 *Tarentum.* 10) Fefellit, adeo obscure vixit, ut ab hominibus ignoraretur. 12) Siccus ad unctum, inops ad opulentum. 13) Hoc est dictum Diogenis in Aristippum. 14) Hoc est Aristippi responsum. 15) C. 1. *holus.* 16) C. 5. *et verba doce.* 18) Cynicum Diogenem his verbis irridebat. 19) Rectius hoc sibi scurrari per Aristippum. C. 5. *ego mihimet.* 21) Tu Cynice poscis viles res C. 6. *possis.* 22) C. 4. *ullius egentem.*

Omnis Aristippum decuit color et status et res,
Tentantem majora, fere praesentibus aequum.
Contra, quem duplici panno patientia velat,
Mirabor, vitae via si conversa decebit.
Alter purpureum non exspectabit amictum,
Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,
Personamque feret non inconcinnus utramque:
Alter Mileti textam cane pejus et angue
Vitabit chlamydem; morietur frigore, si non
Retuleris pannum: refer, et sine vivat ineptus.
Res gerere et captos ostendere civibus hostes
Attingit solium Jovis et coelestia tentat.
Principibus placuisse viris non ultima laus est.
Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
Sedit, qui timuit ne non succederet: esto:
Quid, qui pervenit, fecitne viriliter? Atqui
Hic est aut nusquam, quod quaerimus: hic onus horret,
Ut parvis animis et parvo corpore majus;
Hic subit et perfert. Aut virtus nomen inane est,
Aut decus et pretium recte petit experiens vir.
Coram rege sua de paupertate tacentes
Plus poscente ferent. Distat, sumasne pudenter,
An rapias: atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
Indotata mihi soror est, paupercula mater,
Et fundus nec vendibilis nec pascere firmus,

---

23) Color, Gl. genus vitae. 24) C. 1. ***Temptantem.*** Fere praesentibus contentum. 25) C. 4. *Quam, quem* sc. Diogenem. C. 5, 6. *Verum est* pro *Contra.* 27) Alter, Aristippus sc. C. 5. *exspectabat.* 28) C. 4, 5. *vadit.* Gl. ajunt Aristippum invitato Diogene ad balnea dedisse operam, ut omnes prius egrederentur, ipsumque pallium purpureum illi reliquisse, quod Diogenes egressus cum induere noluisset suum repetens, tunc Aristippus increpavit cynicum famae servientem, quia egere mallet, quam conspici in veste purpurea. C. 6. *inductus.* 29) C. 4, 5. *utramque.* 30) Bentl. *angui.* Alter, Diogenes sc., vestem pretiosam rejiciet, ex optima lana factam in Mileto, Asiae insula. 31) C. 1. *Vitabat.* C. 5. *vitabis* 32) C. 6. *Rettulerit.* 34) C. 1. *temptat.* 36) Non cuivis, ut Aristippo. Per allegoriam ait, amicitias non adeundas aut perferendas, ut non cuivis homini contingit, amicitiae summum bonum tueri, quod, cum impossibile sit, melius est, eas non adire. C. 5. *continget.* 42) C. 6. *aut pret.* 43) C. 1, 4, 5, 6. *suo*, i. e. coram amico suo potentiore. 44) C. 6. *sumantne* (?). 45) C. 6. *erit.*

Qui dicit, clamat: *Victum date.* Succinit alter,
Et mihi dividuo findetur munere quadra.
Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis et rixae multo minus invidiaeque.
Brundusium comes aut Surrentum ductus amoenum,
Qui queritur salebras et acerbum frigus et imbres,
Aut cistam effractam aut subducta viatica plorat,
Nota refert meretricis acumina, saepe catellam,
Saepe periscelidem raptam sibi flentis; uti mox
Nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
Nec semel irrisus triviis attollere curat
Fracto crure planum; licet illi plurima manet
Lacrima; per sanctum juratus dicat Osirin,
Credite, non ludo; crudeles tollite claudum! —
Quaere peregrinum, vicinia rauca reclamat.

---

48) C. 4, 5. *Qui clamat, dicit:* 49) Communicetur inter nos quarta pars panis, munere diviso. C. 5. *dimidio.* C. 6. *findentur.* 54) C. 1. *Et cistam*, C. 4. *fractam et.* Catella est diminutivum a catena, monile muliebre. C. 2, 5, 6. *et subd.* 55) Al. *Mota refert*; sed potius imitatur astutias meretricis. 58) C. 1. *inrisus.* 59) Impostorem, qui in trivio sibi crus fractum esse mentiebatur; quamvis ille planus affatim lacrymetur. 60) C. 5, 6. *Osirim.* 62) Vicini multo clamore rauci reclamant illi plano: quaere peregrinum aliquem, qui fraudes tuas non norit.

EPISTOLA XVIII.

A D L O L L I U M.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
Scurrantis speciem praebere, professus amicum.
Ut matrona meretrici dispar erit atque
Discolor, infido scurrae distabit amicus.
Est huic diversum vitio vitium prope majus,
Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
Quae se commendat tonsa cute, dentibus atris;
Dum vult libertas dici mera, veraque virtus.
Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum.
Alter in obsequium plus aequo pronus, et imi
Derisor lecti, sic nutum divitis horret,
Sic iterat voces, et verba cadentia tollit,
Ut puerum saevo credas dictata magistro
Reddere, vel partes mimum tractare secundas:
Alter rixatur de lana saepe caprina, et
Propugnat nugis armatus, *scilicet ut non*
Sit mihi prima fides, et vere quod placet ut non
Acriter elatrem, pretium aetas altera sordet.
Ambigitur quid enim? Castor sciat an Dolichos plus;
Brundusium Minuci melius via ducat, an Appi.
Quem damnosa Venus, quem praeceps alea nudat,
Gloria quem supra vires et vestit et ungit,

EPISTOLA XVIII. 2) C. 4. *profectus.* Scurrantis, i. e. turpiter adulantis hominis pabuli causa. 4) C. 5. *scurra distabis.* 7) C. 4. *Quae tonsa se commendat.* 9) Utrimque, i. e. ab excessu et defectu remotum. C. 2. *utrumque.* 11) Qui deridet homines in infima parte lecti accumbentis. 12) Sic repetit voces divitis, quasi admirans. 14) C. 4. *vel mimum partes.* Ut credas histrionem secundas partes comoediae agere cum voce submissiore vultuque humiliore, quam qui agit primas. 15) C. 1. *caprina,* sine: *et.* Alter sc. agrestis reprehensor. 16) C. 5. *Obpugnat.* 17-18) Si pretii loco altera vita vel aetas longior mihi detur, ut n. a. cl., certe contemnam. 19) C. 1, 4, 5, 6. *Docilis plus.* Utrum Castor gladiator, an Dolichos sit scientior. 20) C. 6. *Brundusium Numici.* 21) C. 1. *damposa.* Ordo est: Dives amicus multo vitiosior quam amicus minor odit eum, quem damnosa libido; etc. C. 5. *nudet.* 22) C. 5. *quam.*

Quem tenet argenti sitis importuna famesque,
Quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus,
Saepe decem vitiis instructior, odit et horret:
Aut, si non odit, regit; ac, veluti pia mater,
Plus quam se sapere et virtutibus esse priorem
Vult: et ait prope vera: *Meae (contendere noli)*
Stultitiam patiuntur opes; tibi parvula res est:
Arcta decet sanum comitem toga; desine mecum
Certare. Eutrapelus, cuicunque nocere volebat,
Vestimenta dabat pretiosa: beatus enim jam
Cum pulchris tunicis sumet nova consilia et spes;
Dormiet in lucem; scorto postponet honestum
Officium; nummos alienos pascet; ad imum
Threx erit, aut olitoris aget mercede caballum.
Arcanum neque tu scrutaberis illius unquam;
Commissumque teges, et vino tortus et ira.
Nec tua laudabis studia, aut aliena reprendes;
Nec, quum venari volet ille, poëmata panges.
Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi, dissiluit, donec suspecta severo
Conticuit lyra. Fraternis cessisse putatur
Moribus Amphion: tu cede potentis amici
Lenibus imperiis; quotiesque educet in agros
Aetolis onerata plagis jumenta canesque,
Surge, et inhumanae senium depone Camenae,
Coenes ut pariter pulmenta laboribus emta;
Romanis solenne viris opus, utile famae,
Vitaeque et membris, praesertim quum valeas, et
Vel cursu superare canem vel viribus aprum
Possis: adde, virilia quod speciosius arma

25) Decem i. e. multis. 30) C. 1. *Arta*, Gl. modica. 31) Eutrapelus, locuples, solebat inter vendendum non inurbane jocare. 32) Beatus, Gl. dives factus, fortuna sua jam mutata, cum aliquid donaret inimicis. 35) Nummos foenore augebit. 36) C. 1, 5, 6. *Trax erit*, aut *olitoris agit.* Ad imum Thrax erit, i. e. urgente rerum inopia efficitur gladiator. 37) Al. *ullius.* 40) Ille sc. superior amicus. 41) Amphion et Zethus, Jovis et Antiopae filii, fuerunt diversi officii. A. cithara canebat, Z. pastoris fungebat officio; propter hanc vitae diversitatem tam diu dissiderunt, donec A. causa concordiae citharam omitteret. 42) Donec lyra Amphionis, Zetho odiosa, desiit sonare. 44) Vanderbourg: *parentis.* 45) C. 1. *educit.* 46) C. 1, 5, 6. *Aetholis.* 47) C. 5. *ac humanae.* 52) Quod decentius quam tu, o Lolli.

Non est qui tractet; scis quo clamore coronae
Proelia sustineas campestria: denique saevam
Militiam puer et Cantabrica bella tulisti,
Sub duce, qui templis Parthorum signa refigit
Nunc, et si quid abest, Italis adjudicat armis.
Ac, ne te retrahas, et inexcusabilis abstes,
Quamvis nil extra numerum fecisse modumque
Curas, interdum nugaris rure paterno:
Partitur lintres exercitus; Actia pugna
Te duce per pueros hostili more refertur:
Adversarius est frater; lacus, Hadria; donec
Alterutrum velox Victoria fronde coronet.
Consentire suis studiis qui crediderit te,
Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.
Protinus ut moneam (si quid monitoris eges tu)
Quid, de quoque viro, et cui dicas, saepe videto.
Percontatorem fugito: nam garrulus idem est;
Nec retinent patulae commissa fideliter aures;
Et semel emissum volat irrevocabile verbum.
Non ancilla tuum jecur ulceret ulla, puerve,
Intra marmoreum venerandi limen amici;
Ne dominus pueri pulchri caraeve puellae
Munere te parvo beet, aut incommodus angat.
Qualem commendes, etiam atque etiam adspice; ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, et quondam non dignum tradimus: ergo
Quem sua culpa premet, deceptus omitte tueri;
Ut penitus notum, si tentent crimina, serves,

53) Scis quo applausu populi circumstantis. 54) C. 5. *saeva.* 56) C. 4. *signa refulsit*; al. *refixit.* Signa sc. quae Crassus amiserat. 57) Bentl. *arvis.* 58) C. 4. *Ac te ne.* C. 1, 4, 5, 6. *absis*; al. *abest.* 60) C. 4. *Cures.* 61) Exercitus dividit naviculas inter se. 63) Al. *Adria.* Lacus in fundo patris tui simulat mare Adriaticum, in quo navale proelium gestum est inter Augustum et Antonium. C. 5. *Andria*, ab insula Andros. 64) C. 1. *velox.* 65) Qui sc. Augustus. 66) C. 4, 6. *Factor.* Utroque pollice i. e. summopere comprobabit. 68) Quid, et de quo viro. 70) C. 6. *retine.* 72) C. 4. *una puerve.* 74) C. 4 *cari pueri pulchraeque puellae.* 75) C. 4. *anget.* 78) Et quondam indignum alteri commendamus. 80) Bentl. *At pen.* C. 1. *temptent*, Gl. si malevoli false eum culpent.

Tuterisque tuo fidentem praesidio: qui
Dente Theonino quum circumroditur, ecquid
Ad te post paulo ventura pericula sentis?
Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet;
Et neglecta solent incendia sumere vires.
Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit. Tu, dum tua navis in alto est,
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.
Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi;
Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi;
Potores liquidi media de luce Falerni
Oderunt porrecta negantem pocula, quamvis
Nocturnos jures te formidare vapores.
Deme supercilio nubem: plerumque modestus
Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi.
Inter cuncta leges et percontabere doctos,
Qua ratione queas traducere leniter aevum,
Ne te semper inops agitet vexetque cupido,
Ne pavor, et rerum mediocriter utilium spes;
Virtutem doctrina paret, naturane donet;
Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum;
Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum,
An secretum iter, et fallentis semita vitae.
Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus,
Quid sentire putas? quid credis, amice, precari?
Sit mihi, quod nunc est; etiam minus: et mihi vivam
Quod superest aevi, si quid superesse volunt Dî:
Sit bona librorum et provisae frugis in annum
Copia; neu fluitem dubiae spe pendulus horae.
Sed satis est orare Jovem quae donat et aufert:
Det vitam, det opes; aequum mi animum ipse parabo.

---

81) C. 4. *fidens est*; Bentl. *fidenter.* 82) C. 4. *et qui*; C. 5. *et quid*; C. 6. *enquid.* Dente Theon. i.e. invidis detrectatoribus: fuit enim Theon poeta maledicentissimus. 87) C, 1, 6. *navum metuet.* C. 4. *Dum tu.* C. 5. *alta.* 90) C. 1, 5, 6. *navumque.* 91) Hic versus Codici 1. serius insertus fuit. Al. *bibuli* pro *liquidi.* 93) C. 1, 4, 5, 6. *tepores* pro *vapores*, sc. vini. 98) C. 1. *Num te.* C. 5, 6. *Non.* 99) C. 1. *Num.* C. 5, 6. *Non.* 100) Utrum virtutem. 105) Mandela est pagus in Sabinis, cujus incolae frigore contracti aquam Digentiae bibunt. C. 6. *Mandella.* 107) C. 4, 5. *ut mihi.* 108) C. 1. *Dii.* C. 5. *velint.* 109) C. 5, 6. Sit. 110) Al. *ne fluitem.* C. 4. *splendulus horae.* 111) C. 4. *Hoc satis.* Bentl. *quae ponit*; al. *qui*, vel *quo donat.* C. 6. *orasse.* 112) C. 4. *animum mi aequum*; al. *animum mihi ego ipse parabo.*

EPISTOLA XIX.

AD MAECENATEM.

Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino,
Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,
Quae scribuntur aquae potoribus. Ut male sanos
Adscripsit Liber Satyris Faunisque poëtas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camenae.
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus;
Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda. *Forum putealque Libonis*
Mandabo siccis, adimam cantare severis.
Hoc simul edixit, non cessavere poëtae
Nocturno certare mero, putere diurno.
Quid? si quis vultu torvo ferus, et pede nudo,
Exiguaeque togae simulet textore Catonem,
Virtutemne repraesentet moresque Catonis?
Rupit Iarbitam Timagenis aemula lingua,
Dum studet urbanus, tenditque disertus haberi.
Decipit exemplar vitiis imitabile: quod si
Pallerem casu, biberent exsangue cuminum.
O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe
Bilem, saepe jocum vestri movere tumultus!
Libera per vacuum posui vestigia princeps;
Non aliena meo pressi pede. Qui sibi fidit,
Dux regit examen. Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.

EP. XIX. 3) C. 4. *petoribus.* Male sanos, i. e. divino furore correptos et extra se positos. C. 6. *sanus.* 4) C. 6. *Adsc. Bacchus.* 5) C. 1. *Camoenae.* 8) Res forenses et sedem praetoris a Libone in foro collocatam. 10) Edixit, sc. Ennius, quasi praetor. Al. *edixi.* 11) C. 4. *coenare* pro *certare.* C. 5. *cuntare*, cunctare. 13) C. 6. *simul et.* 14) C. 6. Gl *moresne.* 15) C. 1. *Temaginis*, rhetoris, i. e. dirupit eum nimium clamando. 16) C 5. *tendetque.* 18) Si ego, inquit Hor., praeter solitum pallerem, mei imitatores biberent cuminum, quod eos redderet pallidos. C. 6. *biberem.* 22) C. 5, 6. *fidet.* 23) Jambos inventos ab Archilocho, qui fuit ex Paro insula. C. 5, 6. *reget.* 25) Verba ad laqueum adigentia.

Ac, ne me foliis ideo brevioribus ornes,
Quod timui mutare modos et carminis artem:
Temperat Archilochi musam pede mascula Sappho,
Temperat Alcaeus; sed rebus et ordine dispar,
Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris,
Nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
Hunc ego, non alio dictum prius ore, Latinis
Vulgavi fidicen: juvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi manibusque teneri.
Scire velis, mea cur ingratus opuscula lector
Laudet ametque domi, premat extra limen iniquus?
Non ego ventosae plebis suffragia venor
Impensis coenarum et tritae munere vestis;
Non ego, nobilium scriptorum auditor et ultor,
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor:
Hinc illae lacrimae. Spissis indigna theatris
Scripta pudet recitare, et nugis addere pondus,
Si dixi: *Rides, ait, et Jovis auribus ista
Servas; fidis enim manare poëtica mella
Te solum, tibi pulcher.* Ad haec ego naribus uti
Formido; et luctantis acuto ne secer ungui,
Displicet iste locus, clamo, et diludia posco.
Ludus enim genuit trepidum certamen et iram,
Ira truces inimicitias et funebre bellum.

---

23) Metrum Archilochi, quod nos imitamur, versibus Alcaei et Sapphus temperamus. 29) C. 5. *Archaeus.* 30) C. 1, 6. *obtinet atris.* 31) Nec sponsae, sc. Neobulae, Lycambes filiae, quae se quoque post patrem suspendit. C. 5. *laqueis.* 32) Al. *Latinus.* Hunc sc. Archilochum. 33) C. 1. *Volgari.* 35) C. 1. *velim.* C. 6. *velit.* 36) Premat sc. cur foris vituperet. 37) Venor, sequor. 39) Auditor, sc. alios audiens scripta sua recitantes, ultor vero ipse vicissim mea illis recitans. C. 6. *doctorum* pro *script.* 41) C. 4. *Spexis indigne.* Hinc illae dolores invidorum, quos contemno. 43) Auribus Augusti Jovis nostri. 45) Ad ea, quae mihi ab illo dicta sunt, vereor subsannare, i. e. irridere quae dixit. 46) C. 6. *ungue.* 47) C. 1. *Displicet ille.* Spatium emendandi carmina exposco, sicut gladiatoribus dilatio ludorum concessa est.

EPISTOLA XX.

AD LIBRUM SUUM.

Vertumnum Janumque, liber, spectare videris;
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.
Odisti claves, et grata sigilla pudico;
Paucis ostendi gemis, et communia laudas,
Non ita nutritus. Fuge quo descendere gestis,
Non erit emisso reditus tibi. *Quid miser egi?
Quid volui?* dices, ubi quid te laeserit; et scis
In breve te cogi, plenus quum languet amator.
Quod si non odio peccantis desipit augur,
Carus eris Romae, donec te deserat aetas.
Contrectatus ubi manibus sordescere vulgi
Coeperis, aut tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies Uticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.
Ridebit monitor non exauditus; ut ille,
Qui male parentem in rupes protrusit asellum
Iratus: quis enim invitum servare laboret?
Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem
Occupet extremis in vicis balba senectus.
Quum tibi sol tepidus plures admoverit aures,
Me libertino natum patre, et in tenui re
Majores pennas nido extendisse loqueris:
Ut, quantum generi demas, virtutibus addas:

EPISTOLA XX. 1) Vertumnus et Janus Dii sunt, qui praesunt rebus vendentium et ementium, ante quorum templa vel statuas erant loca, in quibus cum ceteris rebus libri etiam venales erant librariorum columnis affixi. 2) Ut palam te venalem offeras librariorum pumice expolitum. C. 6. *sociorum*, manus rec. *z.* super *c.* scripsit. 4) C. 1. *laudes.* 5) Al. *discedere.* 7) C. 4, 5. *ubi qui te deserit.* 8) C. 1, 4, 5, 6. *cum plenus*, C. 4. *languit.* 9) C. 4, 6. *decipit.* Odio, Gl. stultitia — augur, Gl. ego qui hoc auguror. 11) C. 4. *Contractatus.* 12) C. 1. *inertis.* C. 6. *pascet*, manus rec. superscripsit *s.* 13) Al. *unctus.* Utica est urbs in Africa. Fient ex te litterarum integumenta. C. 6. *victus.* C. 6. *ilerdas.* 15) C. 4. *pertruxit.* 19) C. 1. *pluris.* Hora diei tertia aut quarta, quo tempore ludi magistri dictata pueris praebere consueverant. 22) C. 6. *demus generi.*

Me primis Urbis belli placuisse domique,
Corporis exigui, praecanum, solibus aptum,
Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.
Forte meum si quis te percontabitur aevum,
Me quater undenos sciat implevisse Decembres,
Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

---

23) C. 5. *domoque*. 24) Praecanum, i. e. canum ante tempus. 26) C. 6. *percunctabitur*. 28) C. 6. *colleguam*.

Q. HORATII FLACCI
EPISTOLARUM
LIBER SECUNDUS.

EPISTOLA I.
AD AUGUSTUM.

Quum tot sustineas et tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes; in publica commoda peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Caesar.
Romulus, et Liber pater, et cum Castore Pollux,
Post ingentia facta Deorum in templa recepti,
Dum terras hominumque colunt genus, aspera bella
Componunt, agros assignant, oppida condunt,
Ploravere suis non respondere favorem
Speratum meritis. Diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore subegit,
Comperit invidiam supremo fine domari.
Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes,

LIBER II. *EPISTOLA I.* 2) C. 1. *tuearis*. Bentl. *moenibus*, licet vulgata lectio Z. Pearce verissima esse videtur. Nam voces *res Italae* significant statum Italiae s. rem publicam Romanam, quae muris ornari dici non potest. 6) C. 4. *recepi*. Bentl. *fata* pro *facta*. 7) Colunt, Gl. excolunt et ad meliorem statum perducunt. 10) C. 1. *Ydram*, quae est serpens quinquaginta capitum ab Hercule occisa. 13) C. 4. *splendore — praegravet*. Iste homines sua virtute accendit ad invidiam, qui artifices se inferiores sua excellentia quodammodo opprimit.

Infra se positos: exstinctus amabitur idem.
Praesenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras,
Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.
Sed tuus hic populus, sapiens et justus in uno,
Te nostris ducibus, te Grajis anteferendo,
Cetera nequaquam simili ratione modoque
Aestimat, et, nisi quae terris semota suisque
Temporibus defuncta videt, fastidit et odit,
Sic fautor veterum, ut tabulas peccare vetantes,
Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum,
Dictitet Albano Musas in monte locutas.
Si, quia Grajorum sunt antiquissima quaeque
Scripta vel optima, Romani pensantur eadem
Scriptores trutina, non est quod multa loquamur:
Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.
Venimus ad summum fortunae: pingimus atque
Psallimus, et luctamur Achivis doctius unctis.
Si meliora dies, ut vina, poëmata reddit,
Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus.
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos veteresque referri debet? an inter
Viles atque novos? excludat jurgia finis. —

---

14) Al. *positas.* Z. Pearce non satis intelligit, quo sensu ab
Horatio dicatur aliquis *praegravare* artes, nisi pro *artes*
legamus *arte*; sed neque haec mutatio satis se commen-
dat; arbitratur potius Horatium scripsisse: *Arte*, infra se
positos, sc. homines urit, quos dicitur ante *arte praegra-*
vare. 15) Praesenti, i. e. viventi. Maturos Gl. ante conse-
crationem. 16) Bentl. *numen.* 17) C. 1, 6. *nihil.* 18) Bentl.
hoc. 19) Pearce: *Te Grajis ducibus, te Nostris anteferendo.*
Aliter videbitur poeta censuisse Graios duces Romanis
potiores et celebriores fuisse. 20) De ceteris rebus non
recte judicat: nam veteres poetas ob solam vetustatem no-
vis anteponit. 23) C. 4. *Sic factor.* Gl. Ita favet veterum
scriptis, ut dictitet Albano etc. 26) Volumina vatum, qua-
lia multa circumferebantur. 28) Al. *Graecorum.* C. 5, 6.
Sed quia. 31) Al. *oleum*, sed inepte. C. 6. *nihil extra in.*
32) C. 1, 4, 5. *summum.* 33) Fea *scitius*; unus Codex Rom.
dictius. Gl. Doctius graecis palaestritis, qui ungi sole-
bant. 34) C. 4. *reddat.* C. 6. *reddunt.* Dies, i. e. tempo-
ris processus. 35) C. 1. *chartis pretium.* 37) C. 4. *veteres-*
ne — ut inter.

Est vetus atque probus, centum qui perficit annos. —
Quid? qui deperiit minor uno mense vel anno,
Inter quos referendus erit? veteresne poëtas?
An quos et praesens et postera respuet aetas? —
Iste quidem veteres inter ponetur honeste,
Qui vel mense brevi vel toto est junior anno. —
Utor permisso, caudaeque pilos ut equinae
Paulatim vello, et demo unum, demo etiam unum,
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi,
Qui redit ad fastos, et virtutem aestimat annis,
Miraturque nihil, nisi quod Libitina sacravit.
Ennius, et sapiens et fortis, et alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur,
Quo promissa cadant et somnia Pythagorea.
Naevius in manibus non est, et mentibus haeret
Paene recens? adeo sanctum est vetus omne poëma.
Ambigitur quoties uter utro sit prior, aufert
Pacuvius docti famam senis, Accius alti:
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro;
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi;
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.
Hos ediscit, et hos arcto stipata theatro
Spectat Roma potens, habet hos numeratque poëtas
Ad nostrum tempus, Livi scriptoris ab aevo.

---

41) Bentl. *veteresque probosque.* 42) Bentl. *respuat*, al.
respuit. 46) Bentl. *demo et item unum.* 48) Bentl. *in*
fastos, et virtutem sc. carminis. 50) C. 5. *ut alter.* C. 6.
Ennius est sapiens, cui etiam Pearce assentit. 51) C. 6.
breviter. Z. Pearce interpungit ita: (Ut critici dicunt;)
52) C. 4. *cadunt.* Ita negligenter scripsit, ut videatur par-
vi facere, quid de se promiserit vel somniaverit. 53) Bentl.
non est accipit interrogative, ut *nonne. Naevius*, poeta
Campanus, Ennio senior, non teritur manibus. 54) C. 5.
horret. 56) C. 1. *Actius.* M. Bacuvius, Brundusinus, Ennii
ex sorore nepos, natus a. 532, Laelii Sap. amicus. Accius,
poeta lat. tragicus, natus a. 582. 57) Togata comoedia
Afranii Menandro similis dicitur. Afranius, poeta lat.
circa a. 660. 58) M. Accius Plautus, Sarsinas ex Umbria,
poeta comicus, a. 568 mortuus. 59) Caecilius, Insuber Gal-
licus, poeta comicus. P. Terentius, natus a. 560, mortuus
597. Z. Pearce ad finem hujus versus interrogandi notam
ponit. 60) C. 1. *arto.* C. 5. *edixit.* 62) Ab aevo Livii An-
dronici poetae antiquissimi com., qui primus fabulam
Romae docuit a. 513.

Interdum vulgus rectum videt; est ubi peccat.
Si veteres ita miratur laudatque poëtas,
Ut nihil anteferat, nihil illis comparet, errat:
Si quaedam nimis antique, si pleraque dure
Dicere cedit eos, ignave multa fatetur;
Et sapit, et mecum facit, et Jove judicat aequo.
Non equidem insector delendave carmina Livi
Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare: sed emendata videri
Pulchraque et exactis minimum distantia miror.
Inter quae verbum emicuit si forte decorum,
Si versus paulo concinnior unus et alter,
Injuste totum ducit venditque poëma.
Indignor quidquam reprehendi, non quia crasse
Compositum illepideve putetur, sed quia nuper;
Nec veniam antiquis sed honorem et praemia posci.
Recte necne crocum floresque perambulet Attae
Fabula si dubitem, clament periisse pudorem
Cuncti paene patres, ea quum reprehendere coner,
Quae gravis Aesopus, quae doctus Roscius egit:
Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt;
Vel quia turpe putant parere minoribus, et, quae
Imberbi didicere, senes perdenda fateri.
Jam Saliare Numae carmen qui laudat, et illud,
Quod mecum ignorat, solus vult scire videri:
Ingeniis non ille favet plauditque sepultis,
Nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit.

---

63) C. 4. *Interdum vulgus videt est rectum; ubi peccat.* 65) C. 5. *comparat.* 66) C. 6. *pluraque.* 67) C. 4. 5. *Credit — fatemur.* 69) Bentl. *Laevi*, C. 6. *Levii.* 71) Orbilium magistrum meum plagas suis discipulis infligere gaudentem. 73) Al. *decorum, et.* 75) Bentl. *venitq.*, *vaenitque.* Z. Pearce vero nihil mutandum esse putat: per verbum *vendere* enim Hor. videtur voluisse, facere ut vendatur. Conf. I. Ep. 7, 8. I. Serm. 6, 77. 79) C. 4. *Apte.* Si dubitarem, utrum recte et merito fabula Attae, poetae lat. antiqui, recitetur in scena croco et floribus conspersa. C. 6. *flores crocumque.* 80) C. 4. *clamant.* 82) C. 4. *eget*, Gl. recitavit in scena. Q. Roscius, histrio eximius ac plane singularis. 83) C. 4. *dictum*, al. *dicunt* pro *ducunt*. C. 6. *ni quod.* 84) Parere minoribus, i. e. concedere nobis, quos se inferiores esse putant. 85) C. 1. *Inberbes*; C. 6, 4, 5. *Imberbes*; al. *Inberbi.* 86) Quod Salii Martis sacerdotes a Numa Pompilio instituti saliendo canebant. 89) C. 4. *invidus odit.*

Quod si tam Grajis novitas invisa fuisset,
Quam nobis, quid nunc esset vetus? aut quid haberet,
Quod legeret tereretque Quiritum publicus usus?
Ut primum positis nugari Graecia bellis
Coepit, et in vitium fortuna labier aequa,
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum;
Marmoris aut eboris fabros aut aeris amavit;
Suspendit picta vultum mentemque tabella;
Nunc tibicinibus, nunc est gavisa tragoedis:
Sub nutrice puella velut si luderet infans,
Quod cupide petiit, mature plena reliquit.
Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonae ventique secundi.
Romae dulce diu fuit et solenne, reclusa
Mane domo vigilare, clienti promere jura,
Cautos hominibus rectis expendere nummos,
Majores audire, minori dicere per quae
Crescere res posset, minui damnosa libido.
Mutavit mentem populus levis, et calet uno
Scribendi studio: puerique patresque severi
Fronde comas vincti coenant, et carmina dictant.
Ipse ego, qui nullos me affirmo scribere versus,
Invenior Parthis mendacior; et, prius orto
Sole vigil, calamum et chartas et scrinia posco.
Navim agere ignarus navis timet; abrotonum aegro
Non audet, nisi qui didicit, dare: quod medicorum est,
Promittunt medici; tractant fabrilia fabri:
Scribimus indocti doctique poëmata passim.
Hic error tamen, et levis haec insania, quantas
Virtutes habeat, sic collige: vatis avarus
Non temere est animus; versus amat, hoc studet unum;

---

90) Al. *Graecis.* 92) Al. *viritim*, ut omnes Cod. nostri. Gl. quod, dum singuli viri legunt, assiduo usu teretur. 96) C. 1. *eburis.* 97) C. 4. *victum* (?) pro *vultum.* 102) Ex pace igitur et rebus secundis nata est haec in Graecia artium varietas. 103) C. 1. *sollemne.* 105) C. 4, 6. *Captos*, Bentl. *scriptos.* Gl. Nummos per syngrapham viris bonis et fidis creditos. 107) C. 5. *possit.* 109) C. 1, 4. *pueri* sine *que.* 110) C. 4. *comes.* 112) *Mendacior* referatur ad bellum sub Crasso et Antonio contra Parthos. 114) C. 1. *Navem.* Abrotonum i. e. herbam valde amaram. 116) Bentl. *melici*, i. e. *musici.*

Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet;
Non fraudem socio, puerove incogitat ullam
Pupillo; vivit siliquis et pane secundo.
Militiae quamquam piger et malus, utilis urbi;
Si das hoc, parvis quoque rebus magna juvari.
Os tenerum pueri balbumque poëta figurat;
Torquet ab obscoenis jam nunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus praeceptis format amicis,
Asperitatis et invidiae corrector et irae;
Recte facta refert; orientia tempora notis
Instruit exemplis; inopem solatur et aegrum.
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem chorus, et praesentia numina sentit;
Coelestes implorat aquas docta prece blandus;
Avertit morbos, metuenda pericula pellit;
Impetrat et pacem, et locupletem frugibus annum.
Carmine Dî superi placantur, carmine manes.
Agricolae prisci, fortes, parvoque beati,
Condita post frumenta, levantes tempore festo
Corpus, et ipsum animum spe finis dura ferentem,
Cum sociis operum, pueris, et conjuge fida,
Tellurem porco, Silvanum lacte piabant,
Floribus et vino Genium, memorem brevis aevi.
Fescennina per hunc inventa licentia morem,
Versibus alternis opprobria rustica fudit;
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter, donec jam saevus apertam
In rabiem verti coepit jocus, et per honestas
Ire domos impune minax. Doluere cruento

122) C. 5. *incogitet.* 125) C. 4. *haec.* 127) C. 5. *aures.* 129) C. 4, 6. *correptor.* 130) Homines, qui hodie vivunt, et qui post nascentur. 133) Preces, i. e. carmina saecularia, quae apud antiquos ludis saec. virgines et pueri diis immortalibus canebant. C. 5. *Diceret.* 134) Chorus, i. e. puerorum et virginum. C. 5. *sortit.* 135) Bentl. rec. *blandus Avertit morb.* sine commate post *blandus.* 138) C. 1. *Dii.* Carmine sc. epico vel lyrico. 143) Sylvanus, sylvarum agrorumque tutor. 144) Genium, i. e. naturae Deum, qui facit homines vitae brevitatis esse memores. Z. Pearce legendum esse censet *memores* sc. agricolae, quibus, non autem eorum Genio, haec memoria referenda est. 145) Bentl. *invecta.* Fescennina carmina sunt jocularia et probrosa. C. 5. *Fascenino.* 147) Libertasque anniversaria. 149) C. 5. *coepit verti.* 150) Al. *domus.*

Dente lacessiti; fuit intactis quoque cura
Conditione super communi: quin etiam lex
Poenaque lata, malo quae nollet carmine quemquam
Describi. Vertere modum, formidine fustis
Ad bene dicendum delectandumque redacti.
Graecia capta ferum victorem cepit, et artes
Intulit agresti Latio: sic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius; et grave virus
Munditiae pepulere: sed in longum tamen aevum
Manserunt hodieque manent vestigia ruris.
Serus enim Graecis admovit acumina chartis;
Et post Punica bella quietus, quaerere coepit,
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.
Tentavit quoque rem, si digne vertere posset;
Et placuit sibi, natura sublimis et acer:
Nam spirat tragicum satis, et feliciter audet;
Sed turpem putat inscite metuitque lituram.
Creditur, ex medio quia res arcessit, habere
Sudoris minimum; sed habet Comoedia tanto
Plus oneris, quanto veniae minus. Adspice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi;
Ut patris attenti; lenonis ut insidiosi:
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis;
Quam non adstricto percurrat pulpita socco.
Gestit enim nummum in loculos demittere, post hoc
Securus, cadat an recto stet fabula talo.

151) C. 4. *fuit haec cunctis*, i. e. ii, quos maledicentia non attigerat, communi periculo prospiciebant. 153) Malo, i. e. maledicto. 154) Mutaverunt scribendi rationem metu fustuarii. 156) Al. *serum.* 157) Hoc modo paulatim evanuit numerus ille poeticus impolitus, qui Saturno regnante floruerat. 158) C. 1. *numeris.* 160) Vestigia rusticitatis in romanis poetis. 161) Romanus sero studium contulit ad scripta Graecorum. C. 5. *ammovet.* 163) C. 4. *Thestis et Echinus*, C. 6. *Ennius.* Id fuit circa medium saeculi VI reipublicae Romanae. 164) Si apte transferre posset graeca in latinum sermonem. C. 5. *possit.* 167) Bentl. *inscitus*, Veteres *in scriptis*, C. 4, 5. *inscitis.* 168) C. 4. *in medio q. r. excessit.* C. 6. *accessit.* 169) C. 6. *tantum.* 173) Dossennus, poeta comicus, quantum studium in describendis parasitis posuerit. 174) Quam incurius et negligens in aliis personis exhibendis. 175) C. 4, 5, 6. *dimittere*, Gl. gaudet enim lucrum facere Plautus s. Dossenus. 176) Cadat h. e. placeat aut explodatur.

Quem tulit ad scenam ventoso Gloria curru,
Exanimat lentus spectator, sedulus inflat.
Sic leve, sic parvum est, animum quod laudis avarum
Subruit ac reficit. Valeat res ludicra, si me
Palma negata macrum, donata reducit opimum.
Saepe etiam audacem fugat hoc terretque poëtam,
Quod numero plures, virtute et honore minores,
Indocti stolidique, et depugnare parati,
Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum aut pugiles: his nam plebecula plaudit.
Verum equiti quoque jam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertos oculos et gaudia vana.
Quatuor aut plures aulaea premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmae peditumque catervae;
Mox trahitur manibus regum fortuna retortis;
Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves;
Captivum portatur ebur, captiva Corinthus.
Si foret in terris, rideret Democritus; seu
Diversum confusa genus panthera camelo,
Sive elephas albus vulgi converteret ora:
Spectaret populum ludis attentius ipsis,
Ut sibi praebentem mimo spectacula plura.
Scriptores autem narrare putaret asello
Fabellam surdo. Nam quae pervincere voces
Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra?
Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum:
Tanto cum strepitu ludi spectantur, et artes,
Divitiaeque peregrinae; quibus oblitus actor

177) C 5. *cursu* 178) C. 1. *Examinat.* Spectator diligens superbire facit, s. gaudio *inflat* juxta C. 6. 180) C. 1, 4. *aut reficit*; C. 6. *refigit.* Pereat res scenica et nihil mihi cum ea sit. C. 6. *lubrica.* 185) C. 4. *Sic discordet* C. 5. *poscat.* 186) Al. *gaudet.* 187) C. 1, 5. *equitis*, C. 4. *equitum.* 188) Bentl. *ad ingratos.* 189) C. 4. *in auras*, sc. plebeji. 192) C. 5. *retorrita.* 193) Urbem Corinthum L. Memmius cepit ac demolitus est. 194) C. 4. *Democritus; et.* 196) C. 1. *elephans.* Bentl. *converterit.* 197) C. 4. *populum in vulgis*, Gl. ludis. 198) Al. *mimum*, sc. populum ut mimum praebentem spectacula plura ludis ipsis. C. 6 *risu* pro *plura.* 202) Garganum mons Apuliae. C. 5. *Garganus.* 204) Quibus actor commaculatus; al. undique sono perfusus et tumultu ac admiratione. C. 5. *auctor.*

Quum stetit in scena, concurrit dextera laevae.
Dixit adhuc aliquid? — Nil sane. — *Quid placet ergo?* —
Lana Tarentino violas imitata veneno.
Ac ne forte putes, me, quae facere ipse recusem,
Quum recte tractent alii, laudare maligne;
Ille per extentum funem mihi posse videtur
Ire poëta; meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, et mulcet, falsis terroribus implet,
Ut magus, et modo me Thebis, modo ponit Athenis.
Verum age, et his, qui se lectori credere malunt,
Quam spectatoris fastidia ferre superbi,
Curam impende brevem, si munus Apolline dignum
Vis complere libris, et vatibus addere calcar,
Ut studio majore petant Helicona virentem.
Multa quidem nobis facimus mala saepe poëtae,
(Ut vineta egomet caedam mea) quum tibi librum
Sollicito damus aut fesso; quum laedimur, unum
Si quis amicorum est ausus reprendere versum;
Quum loca jam recitata revolvimus irrevocati;
Quum lamentamur, non apparere labores
Nostros, et tenui deducta poëmata filo;
Quum speramus eo rem venturam, ut simul atque
Carmina rescieris nos fingere, commodus ultro
Arcessas, et egere vetes, et scribere cogas.
Sed tamen est operae pretium cognoscere, quales
Aedituos habeat belli spectata domique
Virtus, indigno non committenda poëtae.
Gratus Alexandro regi Magno fuit ille

205) Plausus a populo datur propter elegantem actoris vestitum, non propter orationem ejus, qui nihil adhuc dixerat. 206) C. 1. *Nihil sane.* C. 4. *Nil placet.* 207) C. 1. *Terentino.* Veneno, i. e. colore. 209) C. 6. *tractant.* 210) C. 1. *finem.* 212) C. 5. *et mulcet.* 216) Al. *redde* pro *impende.* C. 1. *si minus.* Gl. si bibliothecam Apollini a te consecratam etc. 217) C. 6. *libens* pro *libris.* 218) Helicon, Boeotiae mons, Musis sacer. 219) C. 6. *nobis facimus.* 220) C. 1. *cedam*, ut meipsum omnium primum reprehendam. 223) C. 6. *irrecitatur*, Gl. *irrecitamur*; al. *inrecitati*, *inrevocati.* 227) C. 5, 6. *nos*; al. *non fing.* 228) Scribere cogas, Gl. dignum est, ut cognoscamus, quis poetarum dignus sit scribere tua facta, quae non sunt committenda turpi poetae. 229) C. 4. *Sed tamen haec.* 230) Aeditui fuerunt sacrarum aedium custodes. 231) Virtus tua, o Auguste. 232) Hor. Alexandrum notat, qui sine judicio poetam dilexerat.

Choerilus, incultis qui versibus et male natis
Retulit acceptos, regale numisma, Philippos.
Sed veluti tractata notam labemque remittunt
Atramenta, fere scriptores carmine foedo
Splendida facta linunt. Idem rex ille, poëma
Qui tam ridiculum tam care prodigus emit,
Edicto vetuit, ne quis se, praeter Apellem,
Pingeret, aut alius Lysippo duceret aera
Fortis Alexandri vultum simulantia. Quod si
Judicium subtile videndis artibus illud
Ad libros et ad haec Musarum dona vocares,
Boeotum in crasso jurares aëre natum.
At neque dedecorant tua de se judicia, atque
Munera, quae multa dantis cum laude tulerunt,
Dilecti tibi Virgilius Variusque poëtae:
Nec magis expressi vultus per aënea signa,
Quam per vatis opus mores animique virorum
Clarorum apparent. Nec sermones ego mallem
Repentes per humum, quam res componere gestas;
Terrarumque situs et flumina dicere, et arces
Montibus impositas, et barbara regna, tuisque
Auspiciis totum confecta duella per orbem,
Claustraque custodem pacis cohibentia Janum,
Et formidatam Parthis te principe Romam;
Si, quantum cuperem, possem quoque. Sed neque parvum
Carmen majestas recipit tua, nec meus audet
Rem tentare pudor, quam vires ferre recusent.
Sedulitas autem, stulte quem diligit, urget;
Praecipue quum se numeris commendat et arte.

---

233) Choerilus, poeta malus. C. 6. *notis*. 234) Philippos, i. e. nummos imagine Philippi regis signatos. Al. *nomisma*. 235) C. 6. *remittant*. 237) Linunt, i. e. deturpant. 239) C. 6. *Apellem*. 240) Al. *cuderet*. Verbum *duceret* pertinet ad imaginem ceream, et ad ea, quae malleo laborantur, referendum est. Lysippus, Sicyonius, statuarius nobilissimus, a quo solo Alexander se fingi voluit. 242) C. 1, 4. *vi-dentis*, Gl. in pictura et sculptura perspicienda. 244) Jurares Alexandrum pinguem esse et hebetem, quales sunt in Boeotia nati. 247) C. 1, 4, 5, 6. *Varusque*. C. 5. *poeta*. 249) C. 6. *vatis per*. 251) Res tua virtute gestas. C. 6. *Reptantes*. 252) C. 1, 4, 5, 6. *situs et flumina* sine *que*. 253) C. 4. *Montibus et positas*. 256) C. 4. *et principe*. 259) C. 1. *temptare*. C. 1, 4, 5. *recusant*.

Discit enim citius meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.
Nil moror officium quod me gravat, ac neque ficto
In pejus vultu proponi cereus usquam
Nec prave factis decorari versibus opto,
Ne rubeam pingui donatus munere, et una
Cum scriptore meo, capsa porrectus aperta,
Deferar in vicum vendentem thus et odores
Et piper et quidquid chartis amicitur ineptis.

EPISTOLA II.

AD JULIUM FLORUM.

Flore, bono claroque fidelis amice Neroni,
Si quis forte velit puerum tibi vendere, natum
Tibure vel Gabiis, et tecum sic agat: *Hic et*
Candidus, et talos a vertice pulcher ad imos,
Fiet eritque tuus nummorum millibus octo,
Verna ministeriis ad nutus aptus heriles,
Literulis Graecis imbutus, idoneus arti
Cuilibet, argilla quidvis imitabitur uda:
Quin etiam canet indoctum, sed dulce bibenti.
Multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.
Res urget me nulla; meo sum pauper in aere:
Nemo hoc mangonum faceret tibi: non temere a me

---

265) C. 5, 6. *unquam*. 267) C. 4. *Nec rub.*, ne pudore afficiar crasso descriptus carmine. 268) C. 1, 6. *operta*. Porrectus, extentus, quasi cadaver in cista. 270) Amicitur, involvitur.

EPISTOLA II. C. 1. Gl. Florus irascebatur Horatio, quod ejus epistolam non acciperet, excusat autem se Horatius, cum ait, injuste irasci eum, qui exigeret non nisi carmina; ideo autem se non mittere, quia philosophari coeperit. 1) C. 4, 5, 6. *claroque*. 2) Puerum sc. servum. 3) Gabii, Latii oppidulum, medium fere Romam inter et Praeneste. 6) Servus, ex ancilla mea natus, accommodatus omnibus servitiis ad heri sui arbitrium. 8) Plurimi: *imitaberis* contra Cod. 10) Levant, minuunt. 11) C. 4. *excludere*, *menses* (?) C. 6. *extendere*. 12) Res urget, verba iterum venditoris. 13) Nemo ex iis, qui servos vendunt, tibi vitia eorum patefaceret, ut ego tibi. C. 6. *faciet*.

Quivis ferret idem: semel hic cessavit, et, ut fit,
In scalis latuit metuens pendentis habenae.
Des nummos, excepta nihil te si fuga laedit.
Ille ferat pretium, poenae securus, opinor.
Prudens emisti vitiosum; dicta tibi est lex:
Insequeris tamen hunc, et lite moraris iniqua.
Dixi me pigrum proficiscenti tibi, dixi
Talibus officiis prope mancum; ne mea saevus
Jurgares ad te quod epistola nulla veniret.
Quid tum profeci, mecum facientia jura
Si tamen attentas? Quereris super hoc etiam, quod
Exspectata tibi non mittam carmina mendax.
Luculli miles collecta viatica multis
Aerumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat: post hoc vehemens lupus, et sibi et hosti
Iratus pariter, jejunis dentibus acer,
Praesidium regale loco dejecit, ut ajunt,
Summe munito et multarum divite rerum.
Clarus ob id factum, donis ornatur honestis;
Accipit et bis dena super sestertia nummûm.
Forte sub hoc tempus castellum evertere praetor
Nescio quod cupiens, hortari coepit eundem
Verbis, quae timido quoque possent addere mentem:
I, bone, quo virtus tua te vocat; i pede fausto,
Grandia laturus meritorum praemia: quid stas?
Post haec ille catus, quantumvis rusticus, *Ibit,*
Ibit eo quo vis, qui zonam perdidit, inquit.
Romae nutriri mihi contigit atque doceri,
Iratus Grajis quantum nocuisset Achilles:

---

14) Al. *feret — cassavit.* C. 5, 6. *ferret.* 16) C. 1, 4, 5, 6. *laedat.* 17) C. 4 *feret.* Poenae, Gl. cum fugitivum esse confessus est. 18) Bentl. addidit *est.* Sciens, o Flore, quasi mancipium emisti me vitiosum, ita tamen, ut vitium meum tibi praedixerim. 20) C. 1. pignum (?). 22) C. 1, 4, 5, 6. *rediret.* 23) C. 4. *mecum facientia,* i. e. me adjuvantia jura labefactare coneris. 24) C. 4 *etiam, quid.* Z. Pearce praefert: *Si tandem att.* 25) *Mendax* ad utrumque potest intelligi. 26) L. Lucullus, bello Mithridatico illustrissimus. 27) C. 4, 6. *lapsus.* 30) Praesidium Mithridatis. 31) C. 1. *monito.* 34) C. 4. *praetor everte.* 35) C. 4. *Nescio quid.* 39) Catus, prudens miles. 40) Qui juxta graecam fabulam omnem pecuniam et viaticum, quod in zona milites portare solebant, perdidit. 41) Doceri, i. e. Iliadem Homeri didici. 42) Loco *Grajis* Z. Pearce substituit *Priscis,* sc. Romanis, Ennio, Naevio, et antiquorum temporum poetis.

Adjecere bonae paulo plus artis Athenae;
Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,
Atque inter silvas Academi quaerere verum.
Dura sed emovere loco me tempora grato,
Civilisque rudem belli tulit aestus in arma,
Caesaris Augusti non responsura lacertis.
Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pennis, inopemque paterni
Et laris et fundi, paupertas impulit audax
Ut versus facerem: sed, quod non desit, habentem
Quae poterunt unquam satis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem quam scribere versus?
Singula de nobis anni praedantur euntes;
Eripuere jocos, Venerem, convivia, ludum;
Tendunt extorquere poëmata: quid faciam vis?
Denique non omnes eadem mirantur amantque:
Carmine tu gaudes; hic delectatur iambis;
Ille Bioneis sermonibus et sale nigro.
Tres mihi convivae prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod jubet alter;
Quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.
Praeter cetera, me Romaene poëmata censes
Scribere posse, inter tot curas totque labores?
Hic sponsum vocat, hic auditum scripta, relictis
Omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,
Hic extremo in Aventino; visendus uterque:
Intervalla vides humane commoda. — *Verum*
Purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet. —
Festinat calidus mulis gerulisque redemtor;

---

44) C. 1. *possim — dinoscere.* 45) Inter obscuros philosophos academicos, sic dictos ab heroe quodam Academo Atheniensi, qui Athenis construxerat porticum, quae postea Academia nominata est, s. gymnasium suburbanum Athenarum. 43) Lacertis, viribus. 49) Philippi, urbs in Thracia a Philippo condita. 57) Fendunt, Gl. facilitatem scribendi vel comitatem extorquere jam tentant. 59) Carmine, sc. heroico. C. 5. *hi delectantur.* 60) Lividis jocis, i. e. satira. Bion, Sophistes cognominatus, adeo mordax fuit in poetas, ut ne Homero quidem parceret. 63) Bentl. *renuis quod tu.* 67) Hic ad respondendum pro se sponsum vocat. 68) Heinsius: *Quirino.* Cubat, aegrotat. 69) C. 4 *Aaventino.* 71) C. 6. *Plures sunt.* 72) Redemptor, operum conductor. Geruli portant necessaria ad fabricam. C. 5. *mulus gerulusque.*

Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum;
Tristia robustis luctantur funera plaustris;
Hac rabiosa furit canis, hac lutulenta ruit sus:
I nunc, et versus tecum meditare canoros.
Scriptorum chorus omnis amat nemus, et fugit urbes,
Rite cliens Bacchi, somno gaudentis et umbra
Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere, et contracta sequi vestigia vatum?
Ingenium, sibi quod vacuas desumsit Athenas,
Et studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris et curis, statua taciturnius exit
Plerumque, et risu populum quatit: hic ego rerum
Fluctibus in mediis, et tempestatibus urbis,
Verba lyrae motura sonum connectere digner?
Frater erat Romae consulti rhetor, ut alter
Alterius sermone meros audiret honores;
Gracchus ut hic illi foret, huic ut Mucius ille.
Qui minus argutos vexat furor iste poëtas?
Carmina compono, hic elegos; mirabile visu
Caelatumque novem Musis opus. Adspice primum,
Quanto cum fastu, quanto molimine circum-
Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem.
Mox etiam, si forte vacas, sequere, et procul audi,
Quid ferat et quare sibi nectat uterque coronam.
Caedimur, et totidem plagis consumimus hostem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.
Discedo Alcaeus puncto illius: ille meo quis?

---

73) C. 4. *Torquet nunc ingens lapidem nunc machina tignum.* 74) Hic versus in C. 4 deest. 75) C. 1. *Hic rabiosa furit;* al. fugit. 76) C. 1. *et verbis tecum.* 77) C. 4. *urbem.* C. 5. *fugat.* 80) C. 1. *contacta;* Bentl. *non tacta.* C. 6. *constrata.* 81) C. 4. *Ingenium sibi qui* elegit Athenas vacuas, i. e. urbem quietissimam. C. 6. *quid.* 83) C. 4. *Saturnius (?) exit.* 87) C. 4. *Pater e. R. c. rector.* Bentl. *Partus e. R. consulto rhetor.* 89) C. 1, 6. *hic ut Mucius illi.* (Conf. Cic. acad. 2, 5, 4.) In C. 4. *illi* deest post: *ut hic.* Tib. Gracchus, orator summus, utitur consilio P. Mucii Scaevolae, pontificis maximi. 90) Bentl. *versat.* C. 4 *ille poetas.* 92) Bentl. *Sacratum* pro *coelatum.* 94) Aedem, i. e. templum Apollinis, cui bibliotheca fuit adjuncta ab Augusto exstructa. 97) C. 4. *Credimus (?) et tot.* 98) C. 4. *prima virorum.* Samnites, gladiatores, qui ineunte convivio pugnam praeludentes solebant oblectare convivas, et adversus Romanos pugnaverunt usque ad nocturnas lucernas, i. e. vesperam.

Quis, nisi Callimachus? si plus adposcere visus,
Fit Mimnermus, et optivo cognomine crescit.
Multa fero, ut placem genus irritabile vatum,
Quum scribo, et supplex populi suffragia capto:
Idem, finitis studiis et mente recepta,
Obturem patulas impune legentibus aures.
Ridentur mala qui componunt carmina: verum
Gaudent scribentes, et se venerantur, et ultro,
Si taceas, laudant quidquid scripsere, beati.
At qui legitimum cupiet fecisse poëma,
Cum tabulis animum censoris sumet honesti;
Audebit quaecunque parum splendoris habebunt,
Et sine pondere erunt, et honore indigna ferentur,
Verba movere loco, quamvis invita recedant,
Et versentur adhuc intra penetralia Vestae.
Obscurata diu populo bonus eruet, atque
Proferet in lucem speciosa vocabula rerum,
Quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis,
Nunc situs informis premit et deserta vetustas:
Adsciscet nova, quae genitor produxerit usus.
Vehemens et liquidus, puroque simillimus amni,
Fundet opes, Latiumque beabit divite lingua.
Luxuriantia compescet, nimis aspera sano
Levabit cultu, virtute carentia tollet:
Ludentis speciem dabit, et torquebitur, ut qui
Nunc Satyrum nunc agrestem Cyclopa movetur.
Praetulerim scriptor delirus inersque videri,
Dum mea delectent mala me vel denique fallant,
Quam sapere et ringi. Fuit haud ignobilis Argis,

---

100) Callimachus, poeta elegiae princeps, vixit sub Ptolomaeo Philadelpho et Euergete. 101) C. 1. *crescet.* Appellatur Mimnermus, poeta elegiacus, qui carmina amatoria lusit. 103) C. 4. *suffragia posco.* C. 5. *Dum scribo.* 105) Obturare mihi liceat aures sine periculo. C. 5. *Opturem.* Z. Pearce versus: Idem — aures? modo interrogative verum hujus loci sensum capere potest. 108) C. 6. *scripsisse.* 110) C. 4. *sumet censoris honesti*, Gl. qui vitiosas corrigunt mentes. 112) C. 1, 5. *feruntur.* 115) Verba obsoleta et inusitata e tenebris extrahet. 117) C. 4. *Quae primis.* M. Cornelius Cethegus, Priscus, Consul eloquens a. 548. M. Cato, Censorius, natus a. 519 mort. a. 603, sermonem patrium novis verbis locupletavit. 120) C. 6. *anni (?).* 125) Qui saltat nunc Satyrum, nunc tardum Cyclopa. C. 6. *Nunc sacrum.* 127) C. 1. *delectant.* C. 4, 5. *fallunt.*

Qui se credebat miros audire tragoedos,
In vacuo laetus sessor plausorque theatro;
Cetera qui vitae servaret munia recto
More; bonus sane vicinus, amabilis hospes,
Comis in uxorem, posset qui ignoscere servis,
Et signo laeso non insanire lagenae,
Posset qui rupem et puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus
Expulit elleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad sese: Pol, me occidistis, amici,
Non servastis, ait, cui sic extorta voluptas,
Et demtus per vim mentis gratissimus error.
Nimirum sapere est abjectis utile nugis,
Et tempestivum pueris concedere ludum;
Ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
Sed verae numerosque modosque ediscere vitae.
Quocirca mecum loquor haec, tacitusque recordor:
Si tibi nulla sitim finiret copia lymphae,
Narrares medicis: quod quanto plura parasti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes?
Si vulnus tibi monstrata radice vel herba
Non fieret levius, fugeres radice vel herba
Proficiente nihil curarier. Audieras, cui
Rem Di donarint, illi decedere pravam
Stultitiam; et, quum sis nihilo sapientior, ex quo
Plenior es, tamen uteris monitoribus isdem?
At si divitiae prudentem reddere possent,
Si cupidum timidumque minus te; nempe ruberes,
Viveret in terris te si quis avarior uno.
Si proprium est, quod quis libra mercatus et aere est,
Quaedam, si credis consultis, mancipat usus:
Qui te pascit ager, tuus est; et villicus Orbi,
Quum segetes occat tibi mox frumenta daturas,

130) In vacuo, ubi nulli spectatores erant. 131) C. 5. *re-ctum.* 136) C. 4. *refectis.* 137) Al. *helleboro.* 138) C. 5. *Et stabit.* 139) C. 4. *cui sicco.* 141) C. 4. *Nil mirum.* 145) C. 4, 5, 6. *loquor hoc.* 150) C. 4. *Si fieret.* 152) C. 1, 4, 5, 6. *donarent*; al. *donarunt, donarant.* C. 4. *pravam.* Rem, i. e. opes, multa bona. 154) C. 1. *hisdem.* 155) C. 4. *Et si.* 158) C. 1, 4, 5, 6. *mercatur et aere.* 169) Mancipat, i. e. efficit usus quaedam propria. 160) C. 1. *vellicus.* Orbius videtur multa praedia coemisse. 161) C. 4, 5. *daturus.* Occare est semen sparsum terra operire fractis glebis.

Te dominum sentit: das nummos, accipis uvam,
Pulles, ova, cadum temeti: nempe modo isto
Paulatim mercaris agrum, fortasse trecentis,
Aut etiam supra, nummorum millibus emtum.
Quid refert, vivas numerato nuper an olim?
Emtor Aricini quondam Vejentis et arvi
Emtum coenat olus, quamvis aliter putat; emtis
Sub noctem gelidam lignis calefactat aënum;
Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis
Limitibus vicina refugit jurgia; tanquam
Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horae,
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema,
Permutet dominos et cedat in altera jura.
Sic, quia perpetuus nulli datur usus, et heres
Heredem alterius velut unda supervenit undam,
Quid vici prosunt aut horrea? quidve Calabris
Saltibus adjecti Lucani, si metit Orcus
Grandia cum parvis, non exorabilis auro?
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, vestes Gaetulo murice tinctas,
Sunt qui non habeant, est qui non curat habere.
Cur alter fratrum cessare et ludere et ungi
Praeferat Herodis palmetis pinguibus; alter,
Dives et importunus, ad umbram lucis ab ortu
Silvestrem flammis et ferro mitiget agrum,
Scit Genius, natale comes qui temperat astrum,
Naturae Deus humanae, mortalis in unum-
Quodque caput, vultu mutabilis, albus et ater.
Utar, et ex modico, quantum res poscet, acervo
Tollam; nec metuam, quid de me judicet heres,
Quod non plura datis invenerit: et tamen idem

167) Aricia est oppidum trans montem Albanum in via Appia. Al. *quoniam.* 163) C. 1. *holus.* 170) Usque suum, i. e. usque ad suam partem. 171) Bentl. *refigit.* Wieland: *vicini.* 173) C. 1, 4, 5, 6. *morte suprema.* 174) C. 4. *altera rura*, Gl. in alterius jura et potestatem. 175) C. 6. *Si quia.* 176) Alterius, Gesner tres successionis gradus designat. 178) C. 6. *metat.* 180) Tabellas, picturas. 181) Gaet. mur. i. e. purpura. 182) Bentl. *curat.* 183) C. 6. *Cur animum.* 184) Scit Genius, quam ob rem alter ex duobus fratribus malit esse otiosus, quam possidere omnia Syriae palmeta, i. e. loca palmis consita. 188) C. 4. *moralis*, Gl. qui uno quoque nostrum mortuo, moritur. 190) C. 4. *poscat.*

Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti
Discrepet, et quantum discordet parcus avaro.
Distat enim, spargas tua prodigus, an neque sumtum
Invitus facias neque plura parare labores,
Ac potius, puer ut festis quinquatribus olim,
Exiguo gratoque fruaris tempore raptim.
Pauperies immunda domu procul absit: ego, utrum
Nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.
Non agimur tumidis velis aquilone secundo;
Non tamen adversis aetatem ducimus austris;
Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re,
Extremi primorum, extremis usque priores.
Non es avarus: abi. Quid? cetera jam simul isto
Cum vitio fugere? caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine et ira?
Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
Natales grate numeras? ignoscis amicis?
Lenior et melior fis accedente senecta?
Quid te exemta levat spinis de pluribus una?
Vivere si recte nescis, decede peritis.
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti;
Tempus abire tibi est; ne potum largius aequo
Rideat et pulset lasciva decentius aetas.

---

193) Nepoti sc. luxurioso. 197) C. 4. *puer infestis*, Gl. quinque diebus festis Minervae dicatis. C. 6. *At puer, ut fruitur festis.* 199) Al. *domus*; al. *procul procul.* 200) Ad omnem eventum imperturbatus ero. 201) C. 4. *velis tumidis.* C. 5. *vel. aversis.* 203) Al. *virtute, colore.* 205) C. 5. *simul esto.* 206) C. 1. *fugerare.* 210) Commemoras libenter aetatem tuam et annos, qui propinquitatem mortis denunciant? 212) Al. *juvat.* 214) C. 5. *Lusisti satis et tibi potum largius aequo.* 215) Ne te nimis potum. C. 6. *licentius.* 216) C. 4. 6. manus coaeva et ininterrupte addit versum 217: *Castus reddetur bene qui legendo meretur.*

EPISTOLA III.

AD PISONES.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere si velit, et varias inducere plumas
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis, amici?
Credite, Pisones, isti tabulae fore librum
Persimilem, cujus, velut aegri somnia, vanae
Fingentur species; ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formae. — *Pictoribus atque poëtis*
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. —
Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim:
Sed non ut placidis coëant immitia; non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis gravibus plerumque et magna professis
Purpureus, late qui splendeat, unus et alter
Assuitur pannus; quum lucus et ara Dianae,
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus. Et fortasse cupressum
Scis simulare: quid hoc, si fractis enatat exspes
Navibus, aere dato qui pingitur? Amphora coepit

EPISTOLA III. De arte poetica. Al. *Ad. L. Calpurnium Pisonem et ejus filios.* 2) Al. *pennas.* 3) C. 2. *atram.* 5) Markland: *teneatis? Amici*, quia haec epistola non ad amicos in universum, sed ad Pisones scripta est. 6) Familia Pisonum Roma fuit et nobilissima et antiquissima, originem ducens a Numa Pompilio. 8) C. 3. *Finguntur*; Cod. d'Orveille Goetting. *Pinguentur.* 9) C. 3, 6. *Reddantur.* 12) Al. interpungunt: *Sed non, ut — non, ut.* 14) Principiis gravibus. 15) Inepta descriptio ornandi causa adhibetur. 16) C. 3. *Insuitur.* Galiani verbum *pannus* de clavo, qui secundum longitudinem vesti inseritur, vulgo intellectum, interpretatur de instita foeminarum, extrema vestis parte s. limbo. 18) C. 3. *Rheni.* C. 2. *fluvius* pro *pluvius.* 19) C. 3. *non nunc.* C. 2. *locus his.* C. 3. *cupressos.* His i. e. eloquentiae intempestivae. *Et* significat gradationem prioris effati, vel ironicam affirmationem, vel minationem juxta Mitscherlich. 20) C. 1. *similare — expers.*

Institui; currente rota cur urceus exit?
Denique sit quod vis, simplex duntaxat et unum.
Maxima pars vatum, pater et juvenes patre digni,
Decipimur specie recti. Brevis esse laboro,
Obscurus fio; sectantem lenia nervi
Deficiunt animique; professus grandia turget;
Serpit humi tutus nimium timidusque procellae;
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpae fuga, si caret arte.
Aemilium circa ludum faber unus et ungues
Exprimet, et molles imitabitur aere capillos,
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet. Hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quam naso vivere pravo,
Spectandum nigris oculis nigroque capillo.
Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis haec virtus erit et venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici,
Pleraque differat et praesens in tempus omittat.
In verbis etiam tenuis cautusque serendis,
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum. Si forte necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum,

---

22) Progrediente operis scriptione. *Exit* sumatur pro exigitur, perficitur. 23) Bentl. *quidvis.* 25) C. 3. *Decipitur.* 26) Al. *levia.* Hic opponuntur lenitas atque vis. 29) Prodigialiter s. ad miraculum usque. 30) i. e. qui in aquis degit, i. e. inepta scribit, ab ipsa natura prorsus abhorrentia. 31) C. 3. *fuga culpae.* 32) C. 3. *unus et ungues*, Gl. ad ungues, al. *imus.* Aemilium s. Aemilianum, i. e. locum gladiatorium a L. Aemilio sic nominatum. 33) C. 3. *Exprimit.* 35) C. 1. *Nesciat.* C. 2. *Nesciret.* 36) C. 1, 6. *pravo vivere naso.* C. 3. *naso v. pravo.* 40) Humeri, i. e. ingenii sui. 41) C. 3. *deserit.* 42) Venus, i. e. venustas, suavitas, cujus parens est Venus. 45) C. 1, 2, 3, 6. versum 45 postponit versui 46. 46) Markland dubitat de voce: *promissi.* C. 6. *actor.* Al. *professi carm.* 49) C. 1. 2. *rerum et.* Indiciis, i. e. vocabulis.

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia sumta pudenter.
Et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Graeco fonte cadant, parce detorta. Quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio Varioque? Ego cur, acquirere pauca
Si possum, invideor, quum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit,
Signatum praesente nota procudere nomen.
Ut silvae foliis pronos mutantur in annos;
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata vigentque.
Debemur morti nos nostraque; sive receptus
Terra Neptunus classes aquilonibus arcet,
Regis opus; sterilisve diu palus aptaque remis
Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum;
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius. Mortalia facta peribunt:
Nedum sermonum stet honos et gratia vivax.
Multa renascentur quae jam cecidere, cadentque
Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi.
Res gestae regumque ducumque et tristia bella

---

50) C. 2. *quinuctis*, i. e. cinctis militari baltheo. Vocabula priscis Romanis incognita, qualis erat M. Cornelius Cethegus, quem Cicero in Bruto posuit inter priscos oratores. C. 6. *cicutis.* 55) C. 1, 2, 3, 6. *Cadent.* 54) Romanus, i. e. populus. 55) C. 1, 3, 6. *Varoque?* 56) Scripta priscorum autorum rudium et impolitorum ditaverint. De Ennio dicit Ovidius: arte rudis, ingenio maximus. Cato Major, s. Censorinus, variis hist. et oecon. operibus de lingua Romana optime meritus. 57) C. 2. *dictaverit.* 59) Bentl. *producere.* Al. *nummum.* 60) Pearce: *Ut sylvis folia*, ubi littera *a* longa est, quia vox secuta incipit per *pron.* (Conf. Zach. Pearce conjecturae in Horatii epistolas in The class. Journ. N. XI. Sept. 1812. p. 145—147.) *Proni* anni non de vere, sed de autumno explicandi sunt. 64) Mare receptum in terram, i. e. Julium portum, quem magnis molibus J. Caesar incluserat. Aquilones a navium classibus prohibet, et per portum a tempestatibus defendit. 65) Al. *sterilisque palus pulsataque remis.* Palus intelligitur Pontinus. 67) C. 1. *Secursum.* 68) Bentl. *cuncta per.* Al. sine interpunctione. 69) C. 1. *Necdum.*

Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant, et adhuc sub judice lis est.
Archilochum proprio rabies armavit iambo.
Hunc socci cepere pedem grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, et populares
Vincentem strepitus, et natum rebus agendis.
Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,
Et pugilem victorem, et equum certamine primum,
Et juvenum curas, et libera vina referre.
Descriptas servare vices operumque colores,
Cur ego, si nequeo ignoroque, poëta salutor?
Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?
Versibus exponi tragicis res comica non vult:
Indignatur item privatis, ac prope socco
Dignis carminibus narrari coena Thyestae.
Singula quaeque locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen et vocem Comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore:
Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri.

---

74) Al. *Monstrabit.* Quo carminis genere, sc. heroico. 75) Carminibus elegiacis. 76) Postea coeperunt describi etiam res latae, quae nobis ex animi sententia eveniunt. 79) Archilochus, nobilis ille poeta Graecus, usus est tanquam armatura versu jambico a se invento ad convitia et maledicta contra socerum suum. 80) Socci sunt calceamenta Comicorum — cothurni Tragicorum, praecipue regum. 83) Versus lyrici fidibus canuntur, et res a Diis, Heroibus, Olympicis victoribus etc. gestae sunt argumenta Lyricorum. C. 6. *animos pu.* Al. sic interpungunt: *fidibus, divos puerosque.* 85) C. 2. *referri.* 86) C. 2. *descriptas,* i. e. si suas cujusque poematis partes a me descript. observare possum. *Colores* sunt carminum ornatus, venustates, quibus varie colorentur. 87) C. 2. ponit hunc versum 87. ante v. 86. 91) C. 2. *scena,* tragoedia de Thyeste scripta, cui proprius filius Plisthenes, a fratre Atreo occisus et coctus, manducandus apponebatur. Carmina proprie sunt lyricae poeseos. 92) C. 2. *decentem.* 93) Interdum Comicus etiam Tragici vocem elevat. 94) Chremes, senex dives et avarus, a servo elusus in fab. Terentii 5, 1, 33. 95) C. 2. *Tragicus,* sine: *et.* Tragoediae scriptae de Telepho (Herculis filio, Mysiae rege) et Peleo, Aeaci filio, Achillis patre.

Telephus et Peleus, quum pauper et exsul, uterque
Projicit ampullas et sesquipedalia verba,
Si cor spectantis curat tetigisse querela.
Non satis est pulchra esse poëmata; dulcia sunto,
Et quocunque volent, animum auditoris agunto.
Ut ridentibus arrident, ita flentibus afflent
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi; tunc tua me infortunia laedent,
Telephe vel Peleu. Male si mandata loqueris,
Aut dormitabo aut ridebo. Tristia moestum
Vultum verba decent; iratum plena minarum;
Ludentem lasciva; severum seria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum; juvat, aut impellit ad iram,
Aut ad humum moerore gravi deducit et angit;
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites peditesque cachinnum.
Intererit multum, Divusne loquatur an Heros;
Maturusne senex an adhuc florente juventa
Fervidus; et matrona potens an sedula nutrix;
Mercatorne vagus cultorve virentis agelli;
Colchus an Assyrius; Thebis nutritus an Argis.
Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge,

---

96) Bentl. *aut exsul.* 98) C 3, 6. *Si curas cor spectantis;* al. *si curat cor spectantis.* 99) Bentl. *pura esse,* i. e. incorrigibilia. Pulchra, ex arte facta, suo cujusque poeseos generi et formae apta. 100) C. 2, 3. *volunt.* 101) Bentl. *adflant;* al. *adstent;* C. 3. *assint;* al. *adsunt, adflent.* 102) Animus vel poetae vel actoris ludorum, quae aut oratione reddere, aut in scena repraesentare velint, ipse percepisse debet. 103) Al. *laedant.* 104) Telephus et Peleus sunt etiam hic objecta Romani authoris. 108) Ad omnem fortunae varietatem vultu et animo exprimendam. *Enim* pro *nimirum.* 110) C. 1. *gravide ducit.* C. 6. *Aut humanum.* 111) C. 1. *metus.* 112) Fortunis dicta dicentis absona esse non debent. 114) C. 2. *Clavus,* al. *Davusne,* nomen servi comici in fabulis Menandri et Terentii. 116) C. 2. *et sedula* pro *an.* 117) C. 6. *Mercatorque.* 118) C. 2. *Assyrus,* C. 3. *Ausurus,* Gl. *Assyrius,* i. e. mollis et divitiis affluens, Colchus vero crudelis et inhospitalis, an Thebanus, an Argivus sit.

Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem:
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, tristis Orestes.
Si quid inexpertum scenae committis, et audes
Personam formare novam, servetur ad imum
Qualis ab incepto processerit, et sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere: tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.
Publica materies privati juris erit, si
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem;
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres; nec desilies imitator in arctum,
Unde pedem proferre pudor vetet aut operis lex.
Nec sic incipies, ut scriptor cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo et nobile bellum.

---

120) Al. *Honoratus*, quia nec critica nec exegetica ratione hic locus alias expediendus esset. 121) C. 6. *ita Diis* (?) 122) C. 3. *sibi neget*, i. e. sit legum contemtor. 123) C. 2. *Juno.* Medea, Aetae, Colchorum regis, filia, quae Jasonis perfidiam ulta, filios ei comedendos apposuit, fratremque Absyrtum obtruncavit. *Ino*, Cadmi et Hermionis filia, Athamantis Thebanorum regis uxor, persequente marito furente cum Melicerte filio in mare cum se praecipitasset, in Deam marinam est mutata. 124) *Ixion*, Thessaliae rex, Jovis contubernalis cum Junonis amplexus petiisset, apud inferos rotae illigatus poenas luit. *Io*, Inachi filia, a Iove in juvencam conversa, a Junone exagitata, tandem in Aegyptum devenit, ubi Epaphum peperit. *Orestes*, Agamemnonis et Clytaemnestrae filius, matrem una cum adultero Aegistho, Thyestae filio, occidit, 126) C. 3. *servatur.* 127) C. 2. *constat.* 128) C. 2. *Difficile proprie.* 129) *Iliacum*, i. e. ex Homeri Iliade desumtum carmen. 130) Ignota quoad rem, indicta quoad formam. 131) Hor. docet, quo modo aggrediatur aliquis carmen jam ab aliquo scriptum. 132) C. 2. *Non circa.* 133) C. 1. *verbo verbum.* 134) C. 2. *ne des. im. in actum*, C. 3, 6. *in arcum.* 135) C. 2. *vetat.* 136) Bentl. *Cyclius.* C. 2. *Cilicus*, poeta circumforaneus, qui in conventiculis suos versus obtrudere solebat in orbem coactis; al. subintelligunt Antimachum. 137) Hic Hor. initium carminis epici, Romanis noti, e graeco transtulit.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte:
Dic mihi, Musa, virum, captae post tempora Trojae,
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamque, et cum Cyclope Charybdin.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.
Semper ad eventum festinat, et in medias res,
Non secus ac notas, auditorem rapit, et quae
Desperat tractata nitescere posse, relinquit;
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.
Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi.
Si plausoris eges aulaea manentis, et usque
Sessuri, donec cantor, *Vos plaudite*, dicat:
Aetatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor maturis dandus et annis.
Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere, et iram

---

139) C. 6, 2, 3. *Parturient.* 140) Hic, sc. Homerus. nihil inepte scribere conatur. 141) Bentl. *moenia Trojae*, Virum sc. Ulyssem. 143) C. 2. *Nec fumum.* 145) Antiphatem, Lami filium, Laestrigonum regem, carne humana vescentem, a quo una cum sociis Ulysses discerptus fuisset, nisi praecisis anchorarum funibus propere in altum se recepisset. Bentl. *Circamque*, pro *Scyllamque*, Phorcynis et Hecatae filiam, in marinum monstrum conversam, cujus latera canibus latrantibus undique succincta fuisse describit. 146) C. 2. *Nec reditu Diomedis*, Tydei filii, Graecorum post Achillem fortissimi, nepos Meleagri, qui fuit Oenei Aetolorum regis ex Althaea filius, et capro ingenti occiso, culpa sororis et matris periit. 147) C. 2. *ab ovo et.* Pulchra Helena ex uno ovorum Ledae provenisse dicitur. 149) C. 1. *Non secus ad notas.* 150) C. 1. *Desperat dictata.* 153) C. 2. *Tu, quod.* C. 3. *desiderat.* 154) Bentl. *Si fautoris* etc., i. e. usque ad finem. 155) *Plaudite* formula erat solemnis, qua spectatores peractis fabulis dimitterentur. 157) Al. *naturis.*

Colligit ac ponit temere, et mutatur in horas.
Imberbus juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque et aprici gramine campi;
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus aeris,
Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.
Conversis studiis aetas animusque virilis
Quaerit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda; vel quod
Quaerit, et inventis miser abstinet, ac timet uti;
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus; laudator temporis acti
Se puero, censor castigatorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum,
Multa recedentes adimunt. Ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles;
Semper in adjunctis aevoque morabimur aptis.
Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quae sunt oculis subjecta fidelibus, et quae
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus
Digna geri promes in scenam; multaque tolles
Ex oculis, quae mox narret facundia praesens.
Ne pueros coram populo Medea trucidet;
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;

---

160) C. 2. *et ponit.* C. 6. *ac mut. Iram colligere* pro *reddi iratum* rem bene ornat. 161) C. 1, 2, 3. *Inberbis.* Bentl. *Inberbi.* Custode. i. e. paedagogo, remoto. 162) Equis, canibus aliisque juvenilis aetatis illecebris Catilina adolescentes fere sibi adjunxit. 168) Al. *munire.* 169) C. 2. *circ. et incom.* 172) Bentl. *spe lentus*, Gl. illa sperans, quae vivendo non attingit. 174) C. 1, 3, 6. *castigator censorque.* 175) Ante — et post mediam aetatem. 178) C. 1. *morabitur* in iis moribus, qui cuique aetati conveniunt. 179) C. 6. *Et ag.* 180) C. 3 *dimissa.* 181) C. 6. *sint.* 184) C. 6. *narrat.* 185) C. 3. *trucidat.* C. 2. *Ne pu.* 186) *Atreus*, Pelopis filius, Tantali nepos, Argivorum rex, liberos ex Thyestae fratris uxore genitos epulandos apposuit fratri.

Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.
Neve minor neu sit quinto productior actu
Fabula, quae posci vult et spectata reponi:
Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit: nec quarta loqui persona laboret.
Actoris partes Chorus officiumque virile
Defendat; neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat et haereat apte.
Ille bonis faveatque et consilietur amice,
Et regat iratos, et amet pacare tumentes:
Ille dapes laudet mensae brevis; ille salubrem
Justitiam, legesque, et apertis otia portis:
Ille tegat commissa, Deosque precetur et oret,
Ut redeat miseris, abeat Fortuna superbis.
Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubaeque
Aemula, sed tenuis simplexque foramine pauco
Adspirare et adesse Choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu;
Quo sane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi castusque verecundusque coibat.
Postquam coepit agros extendere victor, et urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius festis impune diebus,
Accessit numerisque modisque licentia major.
Indoctus quid enim saperet liberque laborum

---

187) *Progne*, Pandionis filia crudelis, in hirundinem conversa. *Cadmus*, Agenoris Phoenicum regis filius, Europae frater, Thebarum conditor, in serpentem cum uxore sua Hermiona mutatus. 191) C. 3. *judice nodus.* 193) Officium virile, quamvis sit mulierum coetus. 194) C. 3. *Ne — intercidat.* 196) C. 2, 3, 6. *faveatque consilietur amice.* Al. *amicis.* Ille sc. chorus. 197) Al. *peccare timentes.* 199) C. 2. *et otia portis*, sine: *apertis.* C. 3. *otia templis.* 200) Commissa fidei suae arcana occultet. 202) Bentl. *juncta tub.* Veteres simplici musica in scenis usi sunt. 203) C. 1, 3, 6. *parvo.* 206) In C. 2. deest hic versus. Bibl. crit. 1820. II. 1, 581: *parcus.* 207) C. 2. *castus verecundus*, sine: *et.* 208) C. 2, 3, 6. *atque urbes.* 209) Bentl. *Crassior*, al. *Laxior.* 210) Genius est natalis Deus, natura cujusque. Hic locus intelligendus est de *tempestivis conviviis*, quae apud Romanos male audivere.

Rusticus, urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscae motumque et luxuriem addidit arti
Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem:
Sic etiam fidibus voces crevere severis,
Et tulit eloquium insolitum facundia praeceps;
Utiliumque sagax rerum, et divina futuri,
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudavit, et asper
Incolumi gravitate jocum tentavit, eo quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris, et potus, et exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo;
Ne, quicunque Deus, quicunque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper et ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas;
Aut, dum vitat humum, nubes et inania captet.
Effutire leves indigna Tragoedia versus,
Ut festis matrona moveri jussa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
Non ego inornata et dominantia nomina solum,
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo;
Nec sic enitar tragico differre colori,
Ut nihil intersit, Davusne loquatur et audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum,
An custos famulusque Dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis

214) C. 2. *Sic primae motum et.* C. 6. *luxuriam.* 216) Fides adhibebantur tragoediis, tibicines comoediis. 217) C. 2. *insolitum eloquium.* 218) Divina s. prophetica. 219) Oraculis Apollinis, quae per sortes etiam Delphis, urbe Boeotiae, edebantur. 221) C. 2. *mutavit, personas Satyrorum.* Lambinus: in illis Satyri, Fauni, Sileni, nudi inducebantur. 222) C. 2. *eodem.* 227) C. 2. *Nec.* 229) C. 3. *Migrat.* C. 2. *obscoenas.* 231) C. 2. *indignatur. Tragoedia* Casaubonus de satyrica fabula, Haberfeld de persona tragica intelligit. 234) Dominantia, i. e. propria. 236) C. 3. *Non sic.* 237) C. 3, 6. *an audax.* 238) Pythias, ancilla comica apud Lucilium, postquam Simonem senem deceptum pecunia emunxisset, i. e. spoliasset. 239) Silenus, Bacchi comes et custos, senex. 240) Ex re nota carmen satyricum fingam.

Speret idem; sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem. Tantum series juncturaque pollet;
Tantum de medio sumtis accedit honoris.
Silvis educti caveant, me judice, Fauni,
Ne, velut innati triviis ac paene forenses,
Aut nimium teneris juvenentur versibus unquam,
Aut immunda crepent ignominiosaque dicta.
Offenduntur enim, quibus est equus, et pater, et res;
Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emtor,
Aequis accipiunt animis, donantve corona.
Syllaba longa brevi subjecta vocatur Iambus,
Pes citus; unde etiam Trimetris accrescere jussit
Nomen iambeis, quum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi. Non ita pridem,
Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondeos stabiles in jura paterna recepit
Commodus et patiens; non ut de sede secunda
Cederet aut quarta socialiter: hic et in Acci
Nobilibus Trimetris apparet rarus, et Enni
In scenam missos magno cum pondere versus
Aut operae celeris nimium curaque carentis,
Aut ignoratae premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poëmata judex;
Et data Romanis venia est indigna poëtis.
Idcircone vager, scribamque licenter? Ut omnes
Visuros peccata putem mea. Tutus et intra
Spem veniae cautus, vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Graeca

241) C. 3. *tantum series*, Gl. sudet multum. 242) C. 6. *vincturaque.* 243) C. 3. *succedit*, C. 2. *accedet.* 244) Fauni sunt in dramate satirico comites Bacchi, ipsi et Satyri, quorum princeps est Pan. Al. *deducti.* 246) C. 2. *invenientur.* 248) Hoc comice dictum pro: equites, patricii, plebeji. 249) C. 2, 6. *fracti*, C. 3. *stricti.* Emptor fricti ciceris, i. e. aliquis de plebe, qui cicere et nucibus, dum fabulae agebantur, famem levaret. 250) C. 2. *donantque.* C. 3. *coronam.* 252) C. 6. *accedere jussit.* 254) C. 2. *simul sibi.* 255) C. 6. *ut parvo.* 256) C. 6. *reliquit.* 258) C. 2. *Crederet.* 259) *Accius* et *Ennius* in tragoediis, quas scripserunt, raro jambos adhibuerunt. 260) C. 3, 6. *cum magno.* Versus crebris spondaeis tardatos. 265) C. 2, 3, 6. *an omnes.* 263) Exemplaria s. libri.

Nocturna versate manu, versate diurna.
At nostri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales. Nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati; si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
Legitimumque sonum digitis callemus et aure.
Ignotum tragicae genus invenisse Camenae
Dicitur et plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.
Post hunc personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus et modicis instravit pulpita tignis,
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.
Successit vetus his Comoedia, non sine multa
Laude; sed in vitium libertas excidit, et vim
Dignam lege regi. Lex est accepta, Chorusque
Turpiter obticuit, sublato jure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poëtae:
Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deserere, et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret clarisve potentius armis,
Quam lingua, Latium, si non offenderet unum-
Quemque poëtarum limae labor et mora. Vos, o

---

270) Bentl. *At vestri*, quod Hor. proavos liberos aut ingenuos habere non potuerit, utpote ex libertino patre natus. Sed potius nostri Majores, qui ab aetate Plauti devenerunt ad illam Horatii. 271) Utrumque, numeros et sales. 272) C. 3. *Nec dicam.* 273) C. 2. *urbano.* 274) C. 2. *digito.* 276) *Thespis* primus poeta tragicus. 277) Bentl. *Qui* habentes ora faecibus vini peruncta. 278) C. 3. *pallae personaeque.* 279) C. 2. *Aesthynus.* Subintellige hic: *est secutus.* Aeschylus, Tragicorum Graecorum princeps, nat. a. U. C. 230, mort. 299, quem Romani post tria fere saecula imitari coeperunt. 281) Comoediam seriorem esse tragoedia, cum qua unam habebat originem, festum Bacchi, testis est Aristoteles. *His*, sc. Satyris. 285) C. 2. *linquere.* 286) C. 2. *Nec nimium.* 287) C. 6. *Ausi disserere.* 288) C. 3. *togatus.* Latinas fabulas, in quibus praetextati, i. e. personae nobiles, fuerunt inducti; vel fabulas tabernarias, in quibus plebejae et privatae personae fuerunt inductae. 289) C. 3. *Non virt. f. clarisque.*

Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coërcuit, atque
Praesectum decies non castigavit ad unguem.
Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit, et excludit sanos Helicone poëtas
Democritus, bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poëtae,
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. O ego laevus,
Qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata. Verum
Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis, acutum
Reddere quae ferrum valet, exsors ipsa secandi:
Munus et officium, nil scribens ipse, docebo;
Unde parentur opes; quid alat formetque poëtam;
Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte, sapere est et principium et fons.
Rem tibi Socraticae poterunt ostendere chartae:
Verbaque provisam rem non invita sequentur.
Qui didicit, patriae quid debeat, et quid amicis,
Quo sit amore parens, quo frater amandus et hospes,
Quod sit conscripti, quod judicis officium, quae
Partes in bellum missi ducis: ille profecto
Reddere personae scit convenientia cuique.

---

292) Qui a Numa Pompilio, secundo Romanorum rege, originem ducitis. 294) C. 2. *Prospectum,* C. 6. *Perfectum.* Bentl. *Praefectum.* Al. *Profectum.* Non perfectissime polivit. Metaphora ducta a marmoriis artificibus, qui unguibus jacturas probant, et opus perpoliunt. 296) C. 3, 6. *exclusit.* Helicon, Boeotiae mons, musis sacer. 299) C. 3. *nomen pretiumque.* 300) C. 2. *Anciberis,* C. 3. *Antiseris* pro Anticyris, insula in Locride, in qua multum nascitur ellebori, quo sumpto dementes sanantur. 301) Si Licinio, chirurgo opulentissimo, qui postea factus est Senator a Caesare, quod odisset Pompejum, caput tondendum curaverit. *O ego stultus!* pro *laevus.* 302) C. 2. *verni sub temp.* C. 6. *Qui purgo.* 304) C. 3, 6. *fungor.* Materiam, quam debes scribere, ostendunt libri a Socratis discipulis scripti. 305) C. 3. *expers.* 307) C. 2. *parantur opes; quod.* 310) C. 2. *potuerunt.* 314) C. 2. *Quid sit,* C. 3. *quid jud.* Conscripti sc. Senatoris.

Respicere exemplar vitae morumque jubebo
Doctum imitatorem, et veras hinc ducere voces.
Interdum speciosa locis morataque recte
Fabula, nullius veneris, sine pondere et arte,
Valdius oblectat populum meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum nugaeque canorae.
Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Musa loqui, praeter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. *Dicas,*
Filius Albini, Si de quincunce remota est
Uncia, quid superet? Poteras dixisse: Triens. Eu!
Rem poteris servare tuam. Redit uncia, quid fit?
Semis. — An, haec animos aerugo et cura peculi
Quum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, et levi servanda cupresso?
Aut prodesse volunt aut delectare poëtae,
Aut simul et jucunda et idonea dicere vitae.
Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris:
Ne, quodcunque volet, poscat sibi fabula credi;
Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo.
Centuriae seniorum agitant expertia frugis;
Celsi praetereunt austera poëmata Rhamnes.

---

318) C. 3, 6. *vivas hinc.* 319) C. 3, 6. *speciosa jocis*, sed potius locis communibus, sententiisque e philosophia petitis referta. 321) C. 2. *Blandius.* Markland dubitat de voce: *meliusque* 323) C. 3. *Grugis.* 324) C. 3. *avari*, nullius sc. rei. 326) C. 3. *deducere.* Al. *Dicat.* 327) C. 2. *Albani*, si de quinque unciis una uncia ablata est. Albinus fuit praedives foenerator. 328) C. 2. *quod superest*, al. *superat?* p. d. *triens*, quae est tertia pars librae s. quatuor unciae. Al. *poterat.* 330) C. 5, 6. *Ad haec.* Semis est dimidia pars librae s. sex unciae. 332) C. 2. *limenda.* Quae perpetuo vivant; ea etenim, quae cedri succo linuntur, non putrescunt. 335) C. 3. *ut scito dicta.* 339) Al. *Nec.* C. 3. *velit.* 340) Lamia est monstrum ad infantes terrendos fictum. 341) Senes Romani aspernantur poemata inutilia. C. 6. *expientia frugis.* 342) C. 2. *Celsa.* C. 5. *austria*, C 6. *austrea.* Equites Romani a Romulo Rhamnes appellati sunt.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo.
Hic meret aera liber Sosiis, hic et mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat aevum.
Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus.
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens,
Poscentique gravem persaepe remittit acutum;
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo est?
Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus, venia caret; ut citharoedus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum cessat, fit Choerilus ille,
Quem bis terve bonum cum risu miror; et idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum operi longo fas est obrepere somnum.
Ut pictura, poësis: erit quae, si propius stes,
Te capiet magis, et quaedam, si longius abstes.
Haec amat obscurum; volet haec sub luce videri,
Judicis argutum quae non formidat acumen:
Haec placuit semel, haec decies repetita placebit.
O major juvenum, quamvis et voce paterna
Fingeris ad rectum, et per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium et tolerabile rebus

---

345) C. 1. *Sosis.* Tale poema pretium meretur, et multos reperit emptores. *Sosiis*, i. e. bibliopolis s. scriptoribus librariis, qui maximum quaestum vendendis libris faciebant. 348) C. 1. *redit;* C. 3. sonum quem, sine: *reddit;* C. 2. *quam.* 349) C. 2. *per se remittit acerûn.* 350) C. 6. *quocunque.* 354) Scriptor librarius, qui libros scripsit et vendidit semper. 355) Al. *et cith.* 357) C. 3. *Choerulus*, est similis Choerilo illi malo poetae, qui Alexandri M. res gestas scripsit. 358) Al. *terque.* 360) Al. *opere in longo fas.* 361) Sub *pictura* hic intelligatur tabula, et sub *poesi* nil nisi *carmen.* 363) C. 2. *amet.* 364) C. 2. *angustum.* 367) C. 2. *parte sapis.* Fingeris i. e. formaris ad rectam poetices imitationem. C. 6. *haec tibi.* 368) C. 3. *medium tol.* sine *et.*

Recte concedi: consultus juris et actor
Causarum mediocris abest virtute diserti
Messalae, nec scit quantum Cascellius Aulus;
Sed tamen in pretio est: mediocribus esse poëtis
Non homines, non Dî, non concessere columnae.
Ut gratas inter mensas symphonia dicors
Et crassum unguentum, et Sardo cum melle papaver
Offendunt; poterat duci quia coena sine istis:
Sic animis natum inventumque poëma juvandis,
Si paulum a summo decessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.
Indoctusque pilae discive trochive quiescit,
Ne spissae risum tollant impune coronae:
Qui nescit, versus tamen audet fingere! — *Quidni?*
Liber et ingenuus, praesertim census equestrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni. —
Tu nihil invita dices faciesve Minerva;
Id tibi judicium est, ea mens: si quid tamen olim
Scripseris, in Maeci descendat judicis aures,
Et patris, et nostras, nonumque prematur in annum,
Membranis intus positis. Delere licebit,
Quod non edideris: nescit vox missa reverti.
Silvestres homines sacer interpresque Deorum

---

369) C. 6. *auctor.* 371) C. 2, 3. *Messali nescit — Cathelius.* Al. *Casellius.* M. Valerius Corvinus, Messala et Casselius Aulus fuerunt juris peritissimi, ingenio, judicio et eloquentia clarissimi. C. 5, 6. *nescit.* 372) C. 2. *in pretio: med.* Verum ut poetae sint mediocres et vulgares, non homines etc. 373) Columnae, ad quas poetae carmina sua recitarunt, vel libri venales prostiterunt. 375) C. 2. *Ut crassum unguentum, Sardo.* 376) C. 2. *Offendit.* Hic versus etiam priori antepositus est. 377) C. 2. *Sic natum inventumque animis.* 378) C. 2, 3, 6. *Si paulum summo discessit.* 382) C. 2. *Quidni est?* 383) Qui dum censerer a censore, repertus sum habere in bonis meis quadringenta sestertia. 386) C. 2. *siquod.* 387) C. 2. *Mechi*, C. 3. *Meti*, al. *Maetii*, *Metii.* Spurius Maetius Tarpa, censor fabularum in ludis scenicis agendarum, vixit circa a. 700 U. C. 388) Hic non tempus, sed diligentia praescribitur. Voluit nempe, temere nihil publicandum esse. 389) Si libros domi contineas, ne foras exeant.

Caedibus et victu foedo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres rabidosque leones:
Dictus et Amphion, Thebanae conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, et prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit haec sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor et nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus,
Tyrtaeusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit. Dictae per carmina sortes,
Et vitae monstrata via est, et gratia regum
Pieriis tentata modis, ludusque repertus,
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Musa lyrae solers, et cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaesitum est. Ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, et conjurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit et alsit,
Abstinuit Venere et vino. Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magistrum.
Nec satis est dixisse: *Ego mira poëmata pango:*
Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est,
Et, quod non didici, sane nescire fateri.
Ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores jubet ad lucrum ire poëta

---

392) Orpheus, Calliopes et Apollinis filius, poetarum primus et parens. 393) C. 3, 6. *rapidosque.* 394) Hic versus in C. 1. positus est ante priorem. C. 3, 6. *urbis.* Amphion, frater Zeti, musicus praestantissimus. 399) C. 3. *molliri.* 400) C. 1, 3, 6. *Sic honos.* 402) C. 1, 6. *Pirceusque*, C. 3. *Dirceusque* (Pindar). Tyrtaeus poeta Atheniensis. 403) Dictae p. c. sortes, i. e. responsa ab Apolline data. 404) Amicitia regum carminibus comparata est. 405) Delectatio animorum in tragoediis, comoediis et satiris. 409) C. 2. *Ergo.* 410) C. 2. *quod prosit.* 416) C. 1, 2, 6. *Nunc satis*, C. 3. *Non.* 417) Indoctus sc. et gloriosus poeta non vult in extremo ordine versari, sed suam ignorantiam tegit jactatione et audacia. 420) C. 3. *Assensatores.*

Dives agris, dives positis in fenore nummis.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit,
Et spondere levi pro paupere, et eripere atris
Litibus implicitum, mirabor si sciet inter-
Noscere mendacem verumque beatus amicum.
Tu seu donaris, seu quid donare voles cui,
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Laetitiae; clamabit enim, *Pulchre! bene! recte!*
Pallescet super his; etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem; saliet, tundet pede terram.
Ut quae conductae plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: sic
Derisor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant,
An sit amicitia dignus: si carmina condes,
Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.
Quintilio si quid recitares, *Corrige sodes*
Hoc, ajebat, *et hoc* Melius te posse negares,
Bis terque expertum frustra, delere jubebat,
Et male ter natos incudi reddere versus.
Si defendere delictum, quam vertere, malles,
Nullum ultra verbum aut operam insumebat inanem,
Quin sine rivali teque et tua solus amares.
Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomtis allinet atrum
Transverso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit;
Fiet Aristarchus; non dicet: *Cur ego amicum*
Offendam in nugis? Hae nugae seria ducent

422) Qui splendidum convivium dare possit. 428) Al. *eripere arctis, artis.* 430) C. 2. *tondet.* 434) C. 2. *culillis*, poculis grandibus explorare. C. 6. *curulis.* 437) C. 2. *Numquid te.* 438) Quinctilio Varo Cremonensi, judici alienorum scriptorum sincero. 439) C. 3. *Hoc agebat.* 440) C. 3. *expertum si frustra.* 441) Al. *tornatos.* 443) C. 2. *sumebat.* 445) C. 1, 2, 3. *reprehendit.* 446) C. 2. *illinet.* 447) C. 3. *recidit.* 450) C. 3. *nec dicet.* Aristarchus versus aliquot Homeri liberrime reprehendit; vixit a. U.C. 600 Alexandriae.

In mala derisum semel exceptumque sinistre.
Ut mala quem scabies aut morbus regius urguet,
Aut fanaticus error, et iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent fugiuntque poëtam,
Qui sapiunt; agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic, dum sublimis versus ructatur, et errat.
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum foveamque, licet, *Succurrite*, longum
Clamet, *io cives!* ne sit, qui tollere curet.
Si curet quis opem ferre, et demittere funem,
Qui scis, an prudens huc se dejecerit: atque
Servari nolit? dicam: Siculique poëtae
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Insiluit. Sit jus liceatque perire poëtis.
Invitum qui servat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit; nec, si retractus erit, jam
Fiet homo, et ponet famosae mortis amorem.
Nec satis apparet, cur versus factitet: utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus: certe furit, ac velut ursus
Objectos caveae valuit si frangere clathros,
Indoctum doctumque fugat recitator acerbus:
Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

455) C. 2. *Vesana.* 457) C. 2. *sublimes.* C. 3. *ruptatur.* 458) C. 3. *Sic veluti.* C. 6. *decidat.* 459) C. 2. *succurrere.* 460) C. 2. *Clamat — curat.* Al. *si quis curet.* 461) C. 3, 6. *dimittere.* 462) C. 1, 2, 3, 6. *projecerit.* C. 3. *Qui scit.* C. 6. *Quis scit.* 465) Empedocles, Agrigentinus, poeta et philosophus, qui de physicis egregie scripsit. 468) C. 2. *Non semel.* C. 6. *haec.* 469) C. 3. *ponat.* C. 2. *fabulosae.* 472) C. 6. *an velut.* 473) C. 2. *Obj. caute — clatos.* 474) C. 2, 3. *fugit.* 475) C. 2. *Quem vere.* 476) C. 2. *hirundo.* Hic versus C. 6. serius insertus fuit.

E r r a t a.

Pag.		lin.	lege:
Pag. 27	lin.	33	lege: placabitur.
— 50	—	7	— intermittat.
— 51	—	43	— civilia.
— 84	—	39	— Troiano.
— 97	—	27	— biberes.
— 108	—	18	— Ne formosum.
— 119	—	13	— vocat.
— 135	—	31	— Hippolytum.
— 140	—	33	— ut, quid.
— —	—	34	— excussus.
— 156	—	33	— indignatur, venena.
— 168	—	4	— ab ea.
— 185	—	8	— vitia.
— 187	—	31	— adulteri.
— —	—	47	— pro T. Annio Milone.
— 192	—	38	— declinatis, quique — et 34 naribus.
— 202	—	39	— imponis.
— 214	—	45	— exsecrabantur.
— 223	—	24	— Ter uncti.
— 240	—	38	— Salaminis.

Historischer

H a n d - A t l a s.

Erste Lieferung,

die alte Geschichte,

auf vier grofsen Charten und sechzehn Cartons,

erläuternd.

(*Nebst vier Zeitrechnungstafeln auf 2½ Bogen Quarto.*)

W e i m a r,

im Verlage d. G. H. S. priv. Landes-Industrie-Comptoirs.

1 8 2 1.

Das verehrliche Publicum erhält hiermit den Anfang des bereits im vorigen Jahre angekündigten *historischen Hand-Atlasses,* welcher, wie der *historische Schul-Atlas* das Bedürfniss für Schulen befriediget, zum weiteren Selbststudium der Geschichte ein bequemes Hülfsmittel gewährt, und daher, so hoffen wir, dem Publico willkommen seyn wird.

Die Charten und Zeitrechnungstafeln sind von dem Königl. Preussischen Hauptmann Hn. *Fr. W. Benicken,* dem kenntnifsreichen Uebersetzer des Polybius, entworfen, und Jeder, welcher den ungeheuren Umfang der Geschichte erwägt, wird finden, dafs sie allen billigen Foderungen genügen.

Doch bemerken wir, dafs jeder Vorschlag zur Verbesserung dieses historischen Hand-Atlasses, er werde uns von Sachkennern in Privatbriefen oder in Recensionen geäussert, sorgfältig erwogen, und so weit es der allgemeine Plan nur immer erlaubt, benutzt werden soll.

Der Preis dieser ersten Lieferung ist, auf ordinärem Landcharten-Papier 2 Thlr. 12 gr. oder 4 fl. 30 kr., auf Holländ. Olifant-Papier 3 Thlr. 6 gr. oder 5 fl. 51 kr.

Lehr - und Handbücher
zum
Studium der Geschichte,
welche
im Verlage des G. H. S. priv. Landes-Industrie-Comptoirs
erschienen sind:

L. v. Dresch über den methodischen Unterricht in der allgemeinen Geschichte. Weimar, 1818. 3 gr. od. 13 kr.

— — — Lehrbuch der allgemeinen Geschichte; insbesondere Europens. Erster Cursus. Zum Gebrauch für Schulen, im Auszuge bearbeitet von Dr. *J. G. Petri*. Weimar, 1818. 12 gr. oder 54 kr.

— — — Lehrbuch der allgemeinen Geschichte, insbesondere Europens. Zweiter Cursus. Weimar, 1818. 1 Thlr. oder 1 fl. 48 kr.

— — — Uebersicht der politischen allgemeinen Geschichte, insbesondere Europens.
I. Theil. Alte Geschichte, 1814. 2 Thlr. oder 3 fl. 36 kr.
II. Theil. Geschichte des Mittelalters, 1816. 3 Thlr. 12 gr. oder 6 fl. 18 kr.
III. Theil. Neueste Geschichte, 1815. 3 Thlr. oder 5 fl. 24 kr.

Historischer Schul-Atlas, in vierzehn Charten, die alte, mittlere und neuere Geschichte versinnlichend. Auf ordinärem Landcharten - Papier 3 Thlr. 6 gr. oder 5 fl. 51 kr., auf starkem Velin-Papier 4 Thlr. 6 gr. oder 7 fl. 40 kr.

Historischer Hand-Atlas. Erste Lieferung. die *alte Geschichte* auf vier grofsen Charten und fechzehn Cartons erläuternd. Auf ordinären Landcharten-Papier 2 Thlr. 12 gr. oder 4 fl. 30 kr., auf Holländ. Olifant-Papier 3 Thlr. 6 gr. oder 5 fl. 51 kr.

Anzeige und Ankündigung
wegen
der Fortsetzung des grofsen Handbuchs
der
neuesten
Erdbeschreibung;
bearbeitet von
A. Ch. Gaspari, G. Hassel, J. Ch. Fr. Cannabich
und J. C. F. Gutsmuths.

Wir haben bereits dem Publikum den *eilften Band* unsers grofsen Handbuchs der neuesten Erdbeschreibung übergeben: er enthält das Europäische Rufsland, und mit ihm ist nun *Europa* vollendet, indem der

I. Band die allgemeine Einleitung in die Erdbeschreibung, die Geschichte der Erdbeschreibung, die Einleitung in die mathematische, physische und politische Erdbeschreibung; bearbeitet von *Gaspari, Kries* und *Hassel*. XVI und 464 S. 1 Rthlr. 18 gr. oder 3 fl. 9 kr.

II. Band. Die Einleitung zu Europa, und vom mittlern Europa das Oesterreichische Kaiserthum, bearbeitet von *Hassel*. XX und 804 S. 3 Rthlr. oder 5 fl. 24 kr.

III. Band. Vom mittlern Europa, Preufsen und Krakau, bearbeitet von *Hassel.* XX und 683 S. 2 Rthlr. 18 gr. oder 4 fl. 57 kr.

IV. Band. Vom mittlern Europa, die Einleitung von Teutschland und das königliche Teutschland, bearbeitet von *Hassel.* XXVIII und 718 S. 2 Rthlr. 12 gr. oder 4 fl. 30 kr.

V. Band. Vom mittlern Europa, das fürstliche u. republikanische Teutschland, bearbeitet von *Hassel.* LXXXII und 890 S. 3 Rthlr. 12 gr. oder 6 fl. 18 kr.

VI. Band. Vom mittlern Europa, die Helvetische Eidgenossenschaft und ganz Italien, bearbeitet von *Hassel.* III und 948 S. 3 Rthlr. 18 gr. oder 6 fl. 45 kr.

VII. Band (IIte Abtheilung 1. Band). Von West-Europa, das Britische Reich mit den Jonischen Inseln, bearbeitet von *Hassel.* XXII und 676 S. 2 Rthlr. 18 gr. oder 4 fl. 57 kr.

VIII. Band (IIte Abtheil. 2. Bd.). Von West-Europa, Frankreich, bearbeitet von *Cannabich.* XXVI und 938 S. 3 Rthlr. 18 gr. oder 6 fl. 45 kr.

IX. Band (IIte Abtheil. 3. Bd.). Von West-Europa, Spanien, Portugal und die Niederlande, beide erste bearbeitet von *Hassel*, letztere von *Cannabich.* XLII und 798 S. 3 Rthlr. 6 gr. od. 5 fl. 51 kr.

X. Band (IIIte Abtheil. 1. Bd.). Von Nord- und Ost-Europa, Dänemark, Schweden und das Osmannische Europa, letzteres mit der Statistik des ganzen Reichs, bearbeitet von *Hassel* LVIII u. 915 S. 3 Rthlr. 18 gr. oder 6 fl. 45 kr. und

XI. Band (IIIte Abtheil. 2. Bd.). Von Nord- und Ost Europa, das Europäische Rufsland, mit einer allgemeinen Einleitung zur Statistik dieses unermefslichen Reichs, und verbunden mit der Beschreibung von Polen, bearbeitet von *Hassel.* XXVIII u. 926 S. 3 Rthlr. 18 gr. od. 6 fl. 45 kr.

So eben hat auch die Presse verlassen:

XII. Band (IVte Abtheil. 1. Bd.). Das Asiatische Rufsland, mit Einschlufs der Kaukasus-Länder, der Kirgisensteppe und Dschagatai, bearbeitet von *Hassel.* 3 Rthlr. 18 gr. oder 6 fl. 48 kr.

Indem wir hiermit von unserer Thätigkeit bei diesem grofsen Unternehmen, das der Teutschen Literatur wahrhaft zur Ehre gereicht, Rechenschaft ablegen, hoffen wir, dafs uns auch das Publicum, bei der Fortsetzung desselben, die ununterbrochen fortgehen wird, hinlänglich unterstützen werde.

Bedenkt man dabei übrigens, dafs an Büschings Erdbeschreibung von deren Umarbeitern und Fortsetzern 20 volle Jahre, von 1788 bis 1808 gearbeitet, und dennoch nichts, als jetzt ganz unbrauchbar gewordene Fragmente geliefert worden, welche doch zusammen 35 Rthlr. 6 gr. kosten, so kann uns der Beifall aller Kenner und Liebhaber der Erdbeschreibung gewifs nicht entstehen.

Wir werden, ununterbrochen, zu jeder der beiden Leipziger Messen einen oder zwei Bände liefern, so dafs wir uns schmeicheln, nach dem Verlaufe von zwei, höchstens drei Jahren, das Ganze vollendet zu haben. Zwar ist das Wichtigste noch zurück: über Alles, was aufser unserm Erdtheile liegt, schwebt ein Dunkel, was selbst durch unsern *Ritter* noch nicht ganz gehoben ist; ein systematisch und gleichmäfsig bearbeitetes Werk ist aber *gar nicht vorhanden.* Bruns, Ebeling und Zimmermann haben in ganz verschiedenem Geiste gearbeitet, und unsere kleineren Handbücher sind, selbst bis auf die neuesten, viel zu dürftig, viel zu unvollkommen. Da wir indefs die Ausarbeitung unter mehrere würdige Gelehrte vertheilt haben, und noch ein Paar ausgezeichnete Geographen uns beigetreten sind, so können wir mit Gewifsheit versprechen, dafs das Ganze in diesen zwei, höchstens drei Jahren vollendet dastehen werde.

Gewifs — und es ist diefs schon von Briten und Franzosen bereits anerkannt! — hat keine Nation ein

ähnliches, mit gleichem Geiste, mit gleicher Genauigkeit, mit gleicher Vollständigkeit und mit solcher Gleichförmigkeit bearbeitetes Werk über die Erdkunde aufzuweisen! Es fehlt uns Teutschen zwar nicht an sogenannten Hand- und Lehrbüchern über die Erdkunde, und jede Messe bringt deren mit; allein sie sind meistens so dürftig, daſs sie kaum für den gewöhnlichen Bedarf der Zeitungsleser und für den ersten Anlauf ausreichen, und die Meisten derselben wimmeln von Fehlern, da ihre Verfasser gewöhnlich das Studium der Quellen und Hülfsmittel ganz vernachlässigten und genug gethan zu haben glauben, wenn sie ein altes Lehrbuch zu Grunde legen, und nur mit Zeitungs- und Journalnachrichten bis auf den heutigen Tag fortfuhren. Derjenige, der in das innere Heiligthum der Wissenschaft eindringen will, der Lehrer, der eines höheren Leitfadens bei seinem Unterrichte bedarf; der Lernende, der sich selbst forthelfen; der Kaufmann, der sich über Gegenstände der Industrie und des Commerzes unterrichten, und überhaupt jeder Liebhaber der Geographie, der sich gründlicher mit ihr bekannt machen will, der hatte bisher nichts, was ihm seinen Büsching ersetzte. Das, was Mentelle in Frankreich, Playfair auf den Inseln mit ihren sogenannten vollständigen Erdbeschreibungen geleistet haben, blieb tief unter der Erwartung, so bändereich auch ihre Werke ausfielen, welches besonders da klar wurde, als *Malte-Brun* mit seinem Précis, unser *Ritter* mit seiner vergleichenden Erdbeschreibung, hervortraten.

Unser vorliegendes grofses Handbuch erfüllt völlig diesen Zweck. Mit solcher Ausführlichkeit und Vollständigkeit ist die Erdkunde noch nirgends behandelt, und vorzüglich herrscht in demselben eine Uebereinstimmung und Gleichförmigkeit, die wir in den meisten Werken ähnlicher Art vermissen. Ueberall haben die Verfasser bloſs nach Quellen und den als sichere Führer anerkannten Hülfsmitteln gearbeitet, und unser Handbuch macht durch seine Erscheinung alle einzelne Choro- und Topographien, wo nicht unnütz, doch entbehrlich; man findet wenigstens in demselben den Kern von dem, was uns in hundert andern Werken einzeln vorgeführt wird. Wir sind indeſs weit entfernt, einen Panegyrikus unserem Werke mitzugeben; das Publikum hat bereits über den Werth desselben sein Urtheil ausgesprochen, und selbst Ausländer denselben anerkannt.

Die vier noch übrigen Erdtheile werden von den bisherigen Mitarbeitern und noch zweien hinzugetretenen Gelehrten bearbeitet werden, nämlich:

Asia, in 3 Bänden, Afrika, in 2 Bänden, Amerika, in 4 Bänden und Australien, in 1 Bande.

Der *Preis* der bisher erschienenen XII Bände ist oben bei jedem Bande, nebst dessen Inhalte, angegeben, und da wir erbötig sind, *jeden Band*, der, nebst dem Haupttitel, noch einen *besonderen* hat, *auch einzeln abzulassen*, so wird dieſs jedem Liebhaber gewiſs sehr bequem und angenehm seyn.

Daſs unser Handbuch seinen Ankäufern und Besitzern auch *für die Folge stets brauchbar* bleibe, dafür werden wir sorgen, und diese Einrichtung zum *Schlusse des Werks anzeigen.*

Weimar, im Juni 1821.

Das Geographische Institut.

35 Scanlan Mich Feb/64.

In unserem Verlage ist erschienen:

James Johnson's Abhandlung über den Einfluſs des bürgerlichen Lebens, des häufigen Sitzens und der geistigen Verfeinerung auf Gesundheit und Wohl des Menschen. Aus dem Englischen übersetzt und mit einer Vorrede und Anmerkungen begleitet von Dr. *Breslau*, praktischem Arzte in München.

Es ist dieſs ein Werkchen, welches sich durch reifes Urtheil, eigne Erfahrung des Verfassers und eine originelle Darstellung, vor andern ähnlichen Versuchen in der populären Medicin vortheilhaft auszeichnet. Es ist nicht allein sehr belehrend, sondern auch interessant und unterhaltend.


Nach einer in der Einleitung gegebenen gemüthlichen Ansicht über den Zusammenhang der Seele mit dem Körper, schildert das erste Capitel den Einfluſs des civilisirten Lebens, des vielen Sitzens und der intellectuellen Verfeinerung, a) auf die Verdauungs-Werkzeuge; b) auf das Herz und die Blutgefäſse; c) auf die Lungen und das Drüsensystem. Das zweyte Capitel erörtert den Einfluſs des civilisirten Lebens etc. auf das animalische oder Muskelsystem. Das dritte Capitel handelt von dem Einflusse, den das bürgerliche Leben und die sitzende Lebensart auf das Hirn- und Nervensystem hat, a) vermittelst der Verdauungsorgane etc., b) vermittelst der Leidenschaften.

Der Herr Uebersetzer hat die Teutsche Ausgabe durch eine Vorrede und hinzugefügte Anmerkungen bereichert.

Wir glauben, daſs das Büchlein verdienen könne, gebildeten Nichtärzten empfohlen zu werden, zumal da schon einige Aerzte es mit vielem Interesse gelesen zu haben versichern.

Weimar, im Juni 1821.

Gr. H. S. pr. Landes-Industrie-Comptoir.


Specimina Scripturarum ad editionem Q. Horatii Flacci operum a Bibl. Jaeck adhibitarum.
Codex I. e Bibliotheca Regia Bambergensi
Codex II. e Bibliotheca Josephi Heller
Codex III. e Bibliotheca Schoenborn Gaibacensi sub N. 2799.
Codex IV. a. e Bib. Schoenb. Gaib. s. N. 1804.
Cod. IV. b. e B. Sch. G. s. N. 1804.
Cod. V. e Bibl. Schoenb. Gaib. s. N. 2045.
Cod. VI. a. e Bibl. Schoenb. Gaib. s. N. 2446.
Cod. VI. b. e Bibl. Sch. G. s. N. 2446.
Delineavit Franc. Conrad Schmitt Bamberg
Sculpsit A. Falger

Verzeichniß einiger historischer, geographischer, mathematischer und anderer Verlagsartikel des Landes-Industrie-Comptoirs und des Geographischen Instituts, welche durch alle Buchhandlungen zu bekommen sind.

Bossi, C., Geschichte Italiens vor Erbauung der Stadt Rom. Mit 1 Charte und 5 Tafeln Abbildungen in Steindruck. Aus dem Ital. übersetzt von Dr. C. Fl. Leidenfrost. gr. 8. 1820. 1 Thlr. 6 Gr. oder 2 Fl. 15 Kr.

Darstellung, geschichtliche, des alten und neuen Teutschen Münzwesens und Vorschläge zu der Gründung einer dauerhaften Münzverfassung in den Teutschen Bundesstaaten. gr. 8. 1817. 15 Gr. oder 1 Fl. 8 Kr.

Handwörterbuch, vollständiges, der alten Erdkunde, mit sorgfältiger Rücksicht auf die neuere. Nach dem Franz. von Dufau und Guadet bearbeitet und mit den Arbeiten Teutscher Geographen bereichert. I. Bd. A bis F. gr. 8. 2 Thlr. 6 Gr. oder 4 Fl 3 Kr.

(Der II. Band von G bis Z. ist im Druck beinahe vollendet und wird in einigen Wochen erscheinen.)

Polybius Kriegsgeschichte in 5 Büchern, übersetzt von F. W. Benicken. Mit erläuternden Anmerkungen und 20 bildlichen Darstellungen in Steindruck. gr. 8. 1820. 5 Thlr. oder 9 Fl.

Porträts der berühmtesten Geographen, Seefahrer, Reisebeschreiber und anderer um die Erd- und Länderkunde wohlverdienter Männer; mit kurzen biographischen Notizen von ihnen. 1. und 2. Decade. gr. 8. 1808. 2 Thlr. oder 3 Fl. 36 Kr.

Streit, F. W., Lehrbuch der reinen Mathematik, für den Selbstunterricht. 8 Theile, gr. 8. 1816 bis 1820. 9 Thlr. oder 16 Fl. 12 Kr.

Ukert, F. A., über die Art der Griechen und Römer, die Entfernungen zu bestimmen und über das Stadium. Ein Versuch. gr. 8. 1813. 15 Gr. oder 1 Fl. 8 Kr.

Dessen Untersuchungen über die Geographie des Hekatäus und Damastes. gr. 8. 1814. 6 Gr. oder 27 Kr.

Dessen Bemerkungen über Homers Geographie. gr. 8. 1815. 6 G. oder 27 Kr.

Dessen Handbuch der Geographie der Griechen und Römer, von den frühesten Zeiten an. I. Band. 1. Abtheilung. gr. 8. 1816. 1 Thlr. oder 1 Fl. 48 Kr.

Desselben I. Bd. 2. Abtheilung. Mit 4 Charten. gr. 8. 1816. 2 Thlr. 12 Gr. oder 4 Fl. 30 Kr.

Desselben II. Bandes 1. Abth. Mit 2 Charten. gr. 8. 1821. 2 Thlr. 18 Gr. oder 5 Fl.

Umriß, kurzer, der Begebenheiten auf dem festen Lande von Europa, in den Jahren 1813 und 1814, zur Befreiung von der Französischen Tyrannei; nebst kritischen Bemerkungen von einem Engländer. gr. 8. 1814. 1 Thlr. 6 Gr. oder 2 Fl. 15 Kr.

Voigt, Dr. Joh., Hildebrand als Papst Gregor VII. und sein Zeitalter, aus den Quellen dargestellt 2 Theile. gr. 8. 1815. 2 Thlr. 12 Gr. oder 4 Fl. 30 Kr.

Voigt's, J. H., populäres Lehrbuch der Sternkunde, sowohl zum Gebrauch für Schulen, als zum Selbstunterrichte für Liebhaber der Astronomie. Mit Kupfern. gr. 8. 1799. 1 Thlr 18 Gr. oder 3 Fl. 9 Kr.

Desselben cosmographische Entwickelung aller Begriffe und Kenntnisse, welche bei der zweckmäßigen Benutzung der künstlichen Himmels- und Erdkugeln erforderlich sind. Mit Rücksicht auf die beiden neuen, zugleich erschienenen, zwölfzölligen Globen. Mit einer Kupfertaf. gr. 8. 1810. 1 Thlr. 6 Gr. oder 2 Fl. 15 Kr.

Wraxall, Sir N. Will., historische Denkwürdigkeiten meiner Zeit. Nach der zweiten Ausgabe des Englischen Originals übersetzt. gr. 8. 1816. 1 Thlr. 12 Gr. od. 2 Fl. 42 Kr.

400